Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Christian Baumeister

M. Frid. Christiani Bavmeisteri, Avgvsti Gymnasii Gorlicensis Rectoris Elementa Philosophiae Recentioris : Vsibvs Ivventvtis Scholasticae Accommodata Et Plvribvs Sententiis Exemplisqve Ex Vetervm Scriptorvm Romanorvm Monimentis Illvstrata

Lipsiae: Svmtibvs Io. Frider. Gleditschii, 1747

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0001
DFG


70370

6a
65

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0002
DFG

MECKLENB.
LANDES-
BIBLIOTHEK
SCHWERIN

Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1727138562/phys_0003
DFG



Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0005
DFG



M. Frid. Christ. Baumeister
Gymnas. Görl. Rector.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0006
DFG

M. FRID. CHRISTIANI BAVMEISTERI,
AVGVSTI GYMNASII GORLICENSIS RECTORIS

ELEMENTA PHILOSOPHIAE RECENTIORIS

VSIBVS IVVENTVTIS SCHOLASTICAE ACCOMMODATA ET PLVRIBVS SENTENTIIS EXEMPLISQVE EX VETERVM SCRIPTORVM ROMANORVM MONIMENTIS ILLVSTRATA.



CVM PRIVILEGIO SERENISSIMI REGIS POLON. ET ELECTOR. SAXON.

LIPSIAE,
SVMTIBVS IO. FRIDER. GLEDITSCHII.
1747.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0007
DFG

MECKLENB.
LANDES-
BIBLIOTHEK
SCHWERIN

Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1727138562/phys_0008
DFG


ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
HERMANNO CAROLO
S. R. I. COMITI
DE KEYSERLINGK,
AVGVSTISSIMAE IMPERATRICIS TOTIVS RVSSIAE CONSILIARIO INTIMO ACTVALI ET MINISTRO PLENIPOTENTIARIO IN AVLA REGIS BORVSSIAE ETC. ETC.
DYNASTAE BIDGOSTENSI ET FORDANENSI, CAPITANEO POLANGENSI, NEC NON DOMINO VTRIVSQVE TERRAE BLüHDENSIS, ETC. ETC.
EQVITI AQVILAE ALBAE,

DOMINO SVO LONGE
CLEMENTISSIMO
MAECENATI LITTERARVM MAXIMO

HOC PIETATIS ET OBSERVANTIAE MONIMENTVM
SVBMISSISSIME OFFERT

FRIDERICVS CHRISTIANVS
BAVMEISTERVS.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0009
DFG



COMES ILLVSTRISSIME

DOMINE CLEMENTISSIME.

Quamuis, quas ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO inſcribere audeo, lucubrationes exiles admodum ſint, dignitatisque, qua emines, amplitudine et ſplendore parum dignae, tanto tamen minus meae tenuitatis conſcientia me

ab

ab obsequii cultu publice TIBI testificando, reuocare potuit, quanto plura illustrioraque inusitatae cuiusdam in me clementiae documenta adhuc exstare uoluisti.

Ex omnibus diebus, quos per uitam optatissimos uidi, hunc laetissimum multoque felicissimum iudico, quo, ante hos quatuor annos, contigit mihi, ad TE, iussu TVO arcessituque, uenire, et coram demirari tot uirtutum, uariaeque et exquisitioris doctrinae decora, quibus, inter gentium legatos, purpuratosque aularum Europaearum proceres, ita exsplendescis, ut uniuersum, qua cultioribus litteris pretium statuit, orbem ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI ueneratione dudum impleueris, omnesque, quibus TVI conueniendi copia datur, stupore defixos, mirificisque clementiae significationibus exhilaratos dimittas. Quod quidem, si quisquam, ego profecto cumulatius expertus sum, qui, cum TE Gorlicii, praestita clientis obsequentia, uenerabundus salutarem, nesciebam fere, conueniretne magis reuereri et obseruare excelsum illud splendidissimumque dignitatis fastigium, in quo diuina TE prouidentia, rerum humanarum moderatrix et domina, collocauit, an admirari incredibilem TVAM erga litterarum cultores clementiam, ac scientiam recon-

reconditiorem earum artium, quibus ingenia, publicis grauissimisque negotiis expediundis nata, ad magnae fortunae cultum excitantur.

Tantum mihi non sumo, ut uel excelsi TVI sagacitatem ingenii, uel plurium florentiorumque linguarum peritiam, quae tanta est, ut in earum, quibuscum agis, gentium sinu genitus uidearis et expolitus, uel admirabilis eloquentiae uim flumenque, uel acumen et perspicaciam, qua abditos naturae recessus exploras, et in ipsa philosophiae penetras adyta, uel insignem historiarum omnis aeui scientiam, uel exquisitissimam, ciuilium tractatione rerum egregie spectatam, totque Regibus, et maxime AVGVSTISSIMAE INVICTISSIMAEQVE RVSSORVM IMPERATRICI mirifice probatam, prudentiam, uel alia denique, quibus supra, quam laudari, quam credi queat, enitescis, illustris et heroicae litteraturae ornamenta enarrare, nedum digne collaudare sustineam.

Quae omnia, et alia plura, quemadmodum non modo Aula Dresdensis et Berolinensis, sed uniuersa quoque Europa, ad TVI uenerationem conuersa, admiratur et extollit, ita uel in primis ad posteritatis memoriam commemorari meretur effusae TVAE benignitatis ubertas, quae, diductis late riuis, ita

ita se diffundit in litteratorum rempublicam, ut haec plurimum TIBI debeat incrementi, omniumque adeo, si qui sunt, qui perpauci sunt, Maecenatum optimus munificentissimusque recte habearis.

Tantae ergo Gloriae TVAE, in illustri quasi monimento positae, splendore obstupefactus, leuidense hoc meae in TE pietatis obseruantiaeque pignus TIBI quanta maxima possum animi submissione trado, rogoque TE per eum, quo litteras tam prolixe foues, earumque decus tueris, amorem, ut qualecunque hoc sancti obsequii, TIBI deuotissimi, monimentum clementissime accipias, gratiamque TVAM, qua nihil mihi optatius, et ad spes fortunasque meas constabiliendas accommodatius contingere potest, perpetuam serues.

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

Gorlici apud
Lusatos
cIↃ IↃCCXXXXVII
Id. April.

Obsequentissimus obseruantissimusque
cultor
FRIDERICVS CHRISTIANVS
BAVMEISTERVS.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0014
DFG



PRAEFATIO
DE
ELEGANTIORIS STILI CVLTVRA, PHILOSOPHIS NON INDIGNA.

Ad philosophiae recentioris elementa, quae nunc edo, publicae exponenda luci induxit me muneris, quo fungor, ratio, quae a studio, iuuentutis, ad humanitatem erudiendae, commodis inseruiendi seiuncta esse non debet. Ex quo rationibus rei scholasticae moderandis praefui, haec duo mihi proposita existimaui, alterum, ut eorum, qui se mihi limandos permittunt, rationem, idque philosophia adiutrice, perficerem, alterum, ut orationis poliendae comendaeque praecepta, quam possem breuissime distinctissimeque, traderem. Quod utrumque ut assequerer, in eam semper uiam ingressus sum, quae esset expeditissima, minimumque haberet salebrarum.

Quare, in philoſophia tradenda, quantum potui, ſeruii perſpicuitati, neque committendum putaui, ut, quod faciunt multi, iuuenum, nondum iudicio ſatis ac ratione firmatorum, aciem obtunderem, eosque per tortuoſos ducerem anfractus. Ea, quae pluſculum habere uideri poterant difficultatis, tantiſper ſepoſui, definitiones concinnaui, cuiusque captui accommodatiſſimas, et, quas alii ſubtilius artificioſiusque contexunt, demonſtrationes, operam dedi, ut proponerem quam euidentiſſime, ſemotis, quae methodo mathematicae ineſſe putantur, ineptiis offenſionibusque. Inprimis uero, tanquam condimentis, ueterum ſcriptorum ſententiis exemplisque perſpergendas putaui grauiſſimas philoſophiae doctrinas, quae capiuntur facilius, iucunditatisque plus habent, cum hauriuntur ex politioris humanitatis fontibus. Plerumque enim res, quae docentur, ſunt eiusmodi, ut earum uel difficultas diſcentium contentionem frangeret, uel doctrinarum aſperitas deterreret eos, niſi uariis ingenii amoenioris ſuauitatibus, ex humanioris litteraturae penu depromendis, diſciplinarum grauiſſimarum rigor mitigaretur. Recte ergo ii faciunt, qui, in proponendis ſaluberrimis doctrinis utile miſcent dulci, audientiumque uoluptati et uſui ita inſeruiunt, ut, quod ſubtilitate uideri poterat horridum, aut incultu aſperum id uel hiſtoriarum ſententiarumque, ex cultioris Latii monimentis arceſſitarum,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0016
DFG

rum, conueſtiant floribus, uel aliis ingenii feſtiuitatibus molliant.

Cum qua docendi philoſophiam ratione, dici non poteſt, quam multi optabilesque coniungantur fructus, quorum is praecipuus eſt, ut non modo cogitandi facultas in iuuenibus inſtruatur lautius, meditandique uis acuatur, ſed ut litterarum quoque, quae ad humanitatem pertinent, quaeque, noſtra aetate, tantopere negliguntur, ſtudio inflammentur. Nihil enim eſt, quod ad ſolidam exquiſitioremque eruditionem aſſequendam plus ualeat, quam artium humaniorum cum philoſophia coniunctio, quam ita nunc complures dirimere uideas, ut uel ii, qui rationi perficiendae operam dant, omnem orationis poliendae curam abiiciant, uel ii, qui de adiumentis, quae ad orationem ornatam, et expolitione artificioque diſtinctam pertinent, ſunt ſoliciti, de rebus, quae dictione explicandae ſunt, non magnopere laborent. Turpiter hi ea, quae natura cohaerent, praepoſtero ſtudio diſtrahunt, ipſasque adeo, quas natura ſanxit, peruertunt leges, propterea, quod uinculum, quo uerba colligantur cum rebus, prorſus diſſoluunt.

Minus ergo mihi probantur critici nonnulli, qui rerum delectum, eaque omnia, quibus excellenter ſubtiliterque cogitandi uel comparatur facultas, uel inſtruitur, inſolenter faſtidiunt, ueraeque eruditionis decus omne in ſcita et numeroſa uerborum collocatione

tione, ornatuque orationis et splendore positam arbitrantur. Quod quidem tanto est ineptius, quanto magis habetur praeposterum, in corpore, quod sensu et uita caret, ornando multum elaborare. In omni enim oratione, quod in corpore humano est anima, esse solent sententiae, quibus si uerba destituuntur, fieri non potest, quin orationis corpus eneruetur et cadat. Non attinet, et hoc loco alienum est, horum, quia uerborum cultu rerum scientiam seiungunt, ineptias, quas notandas putarunt alii, copiosius commemorare.

At non minus perperam peruersque agunt ii, qui, ut optime cogitent, nihil non sibi agendum putant, de eo, ut optime dicant, cogitataque puro tersoque sermone proferant, parum sunt soliciti.

Audeo, si ueniam dabitis, audeo, inquam, uos compellare, qui, nostra aetate, quicquid habetis uirium ingeniique, ad ornandam philosophiam confertis. Eximie uos collaudo, quod fines rationis longius proferre et suum ueritati decus propugnaculis errorum disiectis asserere allaboratis. Praedico uestram diligentiam, quam in contundendis profligandisque iis ponitis, qui, eleuata rationis auctoritate, nugas ineptiasque, et, nescio quae, commenta pro sapientiae regulis obtrudunt. Neque, ut hoc addam, infensus sum iis, qui se Wolfii, philosophorum nostrae aetatis principis, commentationibus aut interfuisse, aut eius-

dem

dem scriptis delectari, aiunt. Nostis, opinor, ipsi, me adhuc si multum non potui, at uoluisse certe, quantulumcunque potui, ad illustrandam philosophiam VVolffianam conferre. Atque illud denique inprimis mihi laetandum iure esse uideo, quod sentiendi dissentiendique libertas, philosophiae ope, nostris temporibus, tanta ceperit incrementa, quantis eam, ante hoc tempus, auctam fuisse non facile recordamur.

At, at hoc indigne ferunt plerique, hoc ipse nonnullis uestrum duco crimini, quod, quae cogitatis optime, pessime saepius inquinatissimeque enunciatis, horrido usi dicendi genere, strigoso, barbaro, inculto, tali denique, quale uel ipsas scholasticorum aures uulneret et offendat. Non sum tam delicati fastidii, ut omnem orationem, quae non sit Ciceroniana, repudiari uelim, proiectamque respui, quin etiam ipse ego, quicquid pictum nimis coloratumque est et fuco meretricio imbutum, id ineptum puto, putidum, et otiosum. Neque enim recipit philosophia lenocinia, sed ipsam, tanquam grauem matronam, decet cultus purus, simplex, rectus, minimeque sordidus, cuius ipsam non debeat suppudere.

At quid uos? Ridetis Scholasticos, et, quod mirum nonnullis uideri poterat, philosophiam multo sordidiori dedecoratis habitu, quam quo eam, Scholasticorum temporibus, barbarie foedatis, comparuisse, reperimus. Incusatis Auerrois, Auicennae, et totius Aristotelico-

telicorum gregis obscuritatem et tenebras; ipsi uero uocibus horridioribus, et ante hunc diem ne fando quidem auditis, sententias mentemque uestram ita inuoluitis, ut ipsi diei lucem eripuisse uideamini. Veterum Petreitates, animalitates, futuribilitates, ceteras ineptias, salsius, si inciderit occasio, perstringitis; neque ipsi erubescitis scripta uestra tot implere terriculamentis, tot foedare barbarismorum sordibus, ut, qui uestras legerit commentationes, in turbidum lacum, qui non fluat, aut lutulentus fluat, sibi delatus uideatur. Maxime uero fastidium mihi excitant nonnullorum, qui philosophiae magistri haberi uolunt, exercitationes academicae, quas cum lego, parum abest, quin obscurorum uirorum epistolas legere mihi uidear. Quam sicca in his sunt omnia, quam sine neruis, quam elumbis, sordida, corrupta, exsanguisque oratio, quam parum aequabile temperatumque dicendi genus! Verba uerbis coagmentata uideo, quibus nulla persaepe subest sententia, et, si dicendum, quod res est, omnes latinitatis corruptelae in minutorum horum philosophorum scripta confluxisse uidentur.

Sequitur, ut lutulentos, ex quibus tot profluant sordes, indicem fontes, excutiamque latebras, unde tot dictionis barbarae monstra oriantur. Plurimi uestrum, dicam enim aperte, plurimi ex scholis in academias cum commeant, nihil adferunt politioris li-

tera-

teraturae, rudes, impoliti, hoſpitesque in Latio et peregrini. Neque quisquam fere ueſtrum eſt, qui, quod in ſcholis factum eſt, damnum in Academia duplicato reconcinnare labore uelit, propterea, quod diligentiam, quae in humanitatis ſtudiis linguaeque cultu latinae ponitur, putidam nimis nugatoriamque exiſtimatis. Ad magna ſurgitis, ſi Dis placet, et, ne pueriliter facere uideamini, id omne, quod ad ſcholica nugalia, quae uocatis, pertinet, arroganter ſpernitis. At haud impune ſpernitis. PRISCIANVS enim iniurias ultum it, et ipſa Grammatica ſui contemtionem, data occaſione, uindicat. Non ergo magnopere miror, quid ſit, quod pleraque ſcripta ueſtra cum faſtidio, nonnunquam etiam cum irriſione, legantur a prudentioribus, ueritasque adeo ipſa, ſciſſo ſordidiſſimoque induta ueſtitu, perſaepe foras proiiciatur.

Alteram cauſam, cur nouorum philoſophorum nonnulli tam illoto utantur ſermone, eam eſſe exiſtimo, quod ueterum, qui pure emendateque ſcripſerunt, commentarios uix ſumant in manus. CICERONEM legere, aeque puerile eſſe, putant, ac nucibus ludere cum infantibus. Praeter nonnullos dictionum floſculos et orationis lumina, nihil, putant, ex CICERONE peti poſſe. At ueſtram uos opinionem multum fefelliſſe, reperietis, cum ipſum TVLLIVM euolueritis, quem, ſcimus, ſubtilitatem dialecticae, moralis partis utilitatem, et rerum motus cauſasque accurate diſtincte-

que cognouisse, disciplinamque sapientiae grauiter, et rei cuiusuis naturae conuenienter, exposuisse. Quod luculenter probant, quos de officiis inscripsit, libri, quibus, ita saluus sim, ut nihil uel ad acute cogitandi facultatem, uel ad ea, quae subtiliter cogitas, pure incorrupteque enunciandi scientiam lautius instruendam potest esse accommodatius. Magnopere ergo errant, qui solis pueris legendum CICERONEM arbitrantur, quin etiam, praeter philosophum, neminem cum fructu Ciceronis euoluere scripta, confidenter affirmo.

At philosophia, inquis, non magnopere desiderat orationis ornatum, qui, cum sit eloquentiae proprius, tanto rectius ex philosophorum eiicitur scriptis, quanto certius est, ornamentorum copiam, si quid aliud, uim inferre perspicuitati. Non refert, quam eleganter, sed quam perspicue philosophus dicat.

Certum est, quid respondeam. Cuiusuis est, in omni oratione, cum ea, quae in circulis congressionibusque familiarium uersatur, tum illa, quae in iudiciis eruditorumque aut populi concionibus adhibetur, eo referre omnia, ut ii, qui uel nos loquentes audiunt, uel nostra legunt scripta, sensa animi, quae dicendo exprimuntur, quam optime facillimeque intelligant. Secus enim si fit, nullus est orationis usus, et nihilo plus ages, quam si des operam, ut cum ratione insanias, quod non, nisi in ineptissimum quemque ac stolidissimum, cadere potest. Inprimis uero philoso-

losophus perspicuitatem, quam maxime potest, in loquendo scribendoque consectetur, nihilque adeo admittat, quod uel uerbis parum apertum, uel sensu occultum sit.

Ex quo consequitur illud, ut ea oratio, quae ex uerbis coagmentatur propriis, dilucidis, usitatis, praeferenda sit ei, quae dictionibus, in alieno natis solo, maculatur, iisque foedatur uocibus, quarum sonum ipsum, ob asperitatem, cultiores reformidant. Maiorem ne, dic, quaeso, euidentiam in CICERONIS, qui philosophiam puro incorruptoque dicendi genere explanauit, scriptis reperis, an in Scholasticorum purgamentis? Num tibi, quod barbare dicitur et inquinate, minus habere uidetur obscuritatis, quam quod tersioris Latinitatis regulis consentaneum est? Num in turbido fluuio, qui limum coenumque uehit, uel iniectos lapides, uel imaginem tui clarius intuebere, quam in aqua pura et limpida?

Neque audiendi sunt, qui ornatum orationis perspicuitati uim inferre, pertendunt. Ornamenta enim, quae euidentiam tollunt, ut in eloquentia, sic uel maxime in philosophia reiicimus, neque quidquam, quod a natura abhorret, facile probamus. Vt enim commentitia, et arte quaesita, pulchritudo, quam natura non tribuit, nec uultus pudorque ingenuus commendat, sani nihil habet, fastidiumque excitat elegantibus formarum spectatoribus, ita orationis ornamenta, quae repugnant naturae, uel rebus proponendis lucem

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0023
DFG

eripiunt, tantum abeſt, ut aut a me, aut a quocunque alio, commendentur, ut potius explodi mereantur et repudiari.

Semoueas omnes elegantias, et ornatum, tanquam ueſtem, philoſophi orationi detrahas, ſit ſimplex illa, ſit preſſa, ſit plana, ſit tenuis, ſit nullis pigmentis colorata. Quid tum? Nonne poterit eſſe pura, nonne ſermonis ſimplicitas naturalem admittet pulchritudinem, qua, quid obſtat, quo minus uel philoſophorum oratio exſurgat?

At, quod ait CICERO, non uocabulorum opificem, ſed rerum inquiſitorem decet eſſe ſapientem. Decet, ſed ita, ut, quemadmodum in omni uita cultuque, ſic in oratione ſit lautus, purus, minimeque ſordidus. Sapientis eſt, id agere, ut placeat omnibus, aut certe prudentiſſimis. Vtra uero ſapientis oratio magis probabitur uere eruditis? Barbara et ſordibus foedata, an pura, terſa, culta, et ad elegantioris Latinitatis regulas exacta? Fac, res, quas meditatione ingenioque inueniſti, eſſe grauiſſimas, et ob uſum, quem praeſtant, ſcitu perquam neceſſarias. Finge, eas proponi horrido et inculto dicendi genere. Nonne idem excitabunt faſtidium, quod cibi creant, cum uaſa, quibus apponuntur, illuuie et ſqualore obſita fuerint. Nonne tenuiſſimum et contemtiſſimum cibum, terſis et nitentibus incluſum crateris, praeferes exquiſitiſſimis eſcis et potionibus, quae patinis poculisque, coeno conſpurcatis, continentur? Poma argentea uaſis apponi aureis, non indecorum eſt, ſed perpulchrum. At

At philosopho, inquis, licet ὀνοματοποιεῖν. Neque ipse CICERO, neque ueterum scriptorum castissimus quisque dubitauit, hac nouas effingendi uoces libertate uti. Paucis, quia copiosius nunc non licet, ad haec respondeo. Latissime patet disputatio de nouorum effictione uocabulorum, neque ea ad elegantioris tantum cultores stili, sed ad Theologos quoque, philosophos, medicos, atque item iure consultos pertinet, quos omnes, scimus, de inconsulta nouas comminiscendi uoces lubidine identidem fuisse conquestos. Et id recte quidem ac merito. Dici enim non potest, quam multa mala in rempublicam litterariam ὀνοματοποιΐα inuexerit. Hanc enim, scito, lutulentum illum esse fontem, ex quo tot defluxerint sordes, quibus latinam linguam foedissime contaminatam esse, reperimus. Hanc item discordiae sparsisse semina, et, dissociatis eruditorum animis, funestas excitasse contentiones, is demum nouit, qui ex historiarum monimentis didicit, plurimum corruptelarum, plurimumque confusionis, omni tempore, ex uerborum immutatione cum in philosophiam, tum in Theologiam ceterasque disciplinas immigrasse. Sed incidunt tempora, cum, quae alias in uitio ponitur, nouorum confectio uocabulorum non modo est licita, sed prorsus etiam necessaria. At, si quando, hic profecto est modus adhibendus, ne quid fiat temere aut perperam. CICERONIS aliorumque exemplum scriptorum ueterrimorum quod proferatis, in eo nihil uideo, quod culpandum

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0025
DFG

sit. At audite, quae BERGERVS, hanc in rem, scite eleganterque disputat. *Nihilo minus*, inquit, CAESAR, *quam* CICERO, *uerbis, recens editis, eo spectarunt, ut facerent linguam locupletiorem, id autem non potuerunt animo prouidere, homines e posteris fore tam immanes ac barbaros, qui nullum comminiscendi, praesertim non necessaria, modum adhiberent, et, abiecta omni munditie, sordibus orationem coenoque foedarent.* De Natural. Pulchrit. Orat. p. 511.

Ex his ergo iudicari nunc potest, quam praeclare de philosophia aeque ac re scholastica, nostris temporibus, promeritus fuerit ERNESTI, limatissimi uir iudicii, qui philosophiam tam terse tamque eleganter libello, quem plures ante annos edidit, proposuit, ut ad ueterum scriptorum laudem peruenisse uideatur.

Nos, quamuis ERNESTIANI praestantiam ingenii imitatione minus nos consequi posse, facile intelligamus, uoluntate certe proxime accedimus, summa ope conniſi, ut cogitata animi euidenter et plano dicendi exprimeremus genere, non illo quidem ERNESTIANO, quod perpaucorum est, sed apto tamen, et, quoad eius fieri potuit, puro.

Quae desiderari uideri poterant in hoc opusculo, separatim, si quos harum mearum lucubrationum lectores nactus fuero, edentur. Ceterum me tuo, lector, commendo fauori, et, ut res tuas feliciter agas, ex animo opto. Dab. Gorlici, cIↃ IↃCC XXXXVII, Mense Aprili.

CAP. I.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0026
DFG

CAP. I.

Prolegomena de Philosophia eiusque partibus.

§ 1.

Quandoquidem in eo nunc nostra uersabitur opera, ut omnes philosophiae partes, apta connexaque ratione, tradamus, opus est, ut ante, quam ad ipsas disciplinas explicandas accedimus, strictim carptimque exponamus, quid per *philosophiam* uelimus intelligi. Cuius si distinctam notionem animo comprehensam habere uelis et insignitam, ad ea, oportet, attendas, quae de uariis cognitionis humanae generibus et experientia nos docet et recta ratio.

§ 2.

Triplex est cognitio humana. Aut enim, quidpiam factum esse, uel fieri, nouimus, aut causas etiam et rationes earum rerum, quae sunt uel fiunt, perspectas habemus, aut denique, quanta quaeque res sit, intelligimus, et uires mensurare didicimus.

§ 3.

Cum ea, quae sunt uel fiunt, cognoscimus, tum gaudere dicimur cognitione historica siue

 uulgari.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0027
DFG

uulgari. Vt adeo *cognitio hiſtorica* nihil aliud ſit, quam cognitio factorum ſiue rerum exiſtentium.

E. gr. Noſti, magnetem attrahere ferrum. Noſti, nonnunquam cooriri tempeſtatem, cum magno fragore tonitribusque. Noſti, ut hoc addam, ex LIVIO, rempublicam Romanam, ab exiguis profectam initiis, ad ſumma peruenisſe faſtigia, deinde, magis magisque lapſam, a ſummo faſtigio ad ima praecipitatam fuiſſe. Haec omnia cum noſti, noſti *hiſtorice*.

§ 4.

Cauſſas uero rerum et rationes cum perſpectas habes, tum altius ſurgit cognitio tua, diciturque *philoſophica*, quae nihil aliud eſt, quam cognitio cauſſarum.

Si, rempublicam Romanam, ſcis, ideo ruiſſe praecipitem, quod diuitiae auaritiam, et abundantes uoluptates deſiderium, per luxum atque libidinem pereundi, perdendique omnia, inuexerant, tum tua tantae euerſionis cognitio eſt philoſophica, propterea, quod cauſſas, cur collapſa ſit respublica, intelligis.

§ 5.

Qui, praeter cauſſas rerum, uires quoque cauſſarum menſurare didicerunt, et quantitatem, quam uocant philoſophi, perſpectam habent, eos, dicimus, inſtructos eſſe *cognitione mathematica*, quam recte dixeris cognitionem quantitatis ſiue menſurae rei.

Mathematicorum ſcilicet eſt, inueſtigare, quanta quaeque res ſit, et in dimetiendis ponderandisque corporibus occupari. Quod ut intelligas, haec habeto. Audit e. gr. ruſticus, tormentum bellicum magno cum fragore explodi. Audit, at, cur, incenſo puluere pyrio, tam horrendus edatur fragor, iuxta cum ignaris-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0028
DFG

ignarissimis ignorat. *En cognitionem historicam!* Philosophus hoc cum rustico habet commune, ut eundem audiat fragorem. At causſas quoque accurate cognoscit, cur quodlibet pulueris pyrii granulum motu celerrimo ignem concipiat, cur item, concepto igne, tormentum maxima ui disſplodatur, cur denique, disſploso illo, concutiantur aedificia, terraque ipsa contremiscere uideatur. *En cognitionem philosophicam!* Mathematicus nouit, quanta pulueris pyrii moles requiratur ad proiiciendum globum ferreum mille pluresue passus; ipsumque adeo locum definit, quo is, tormento excussus, deuehatur.

§ 6.

His rite explicatis, facile nunc intelliges positiones subnexas.

I. Quia historica cognitio est cognitio eorum, quae sunt uel fiunt, (§ 3.) euidens est, cognitionem historicam sensuum ope acquiri, propterea, quod ea, quae sunt uel fiunt, non, nisi sensuum ministerio, nobis innotescunt.

II. Cognitio historica est fundamentum cognitionis historicae. Ecqua enim ratione causſas rerum cognosces, nisi res ipsas antea noueris?

III. Cognitio historica est infimus cognitionis humanae gradus, quia inferior in cognoscendo gradus excogitari nequit.

IV. Qui cognitione philosophica instructus est, ueritatum rerumque connexionem perspiciat, oportet. Qui enim causſas rerum intelligit, is relationem inter causſas et effecta nosscit, atque adeo nexum perspicit, (quia *nexus* est illa relatio, quae est inter causſas et effecta,

ut inter patrem et filium, DEVM et mundum).

V. Ad cognitionem philosophicam acquirendam non soli sufficiunt sensus, sed requiritur uel maxime *ratio*, quippe quae est facultas nexum rerum et ueritatum distincte perspiciendi.

§ 7.

Perspicuum ex his est, quid sit *Philosophari*. Philosophari est, rerum causas nosse, siue de illa re philosopharis, cuius habes cognitionem philosophicam.

§ 8.

Conficiuntur hinc hae positiones:

I. Cuiuscunque rei ratio et causa reddi potest, de ea possumus philosophari.

II. Qui philosophatur, debet ueritatum connexionem perspicere (§ 6 pos. 4.)

III. Qui philosophatur, non solis stare debet sensibus, sed rectam rationem uel in primis in subsidium adhibeat (§ 6 pos. 5.)

IV. Qui facultate uel habitu gaudet rerum causas uel rationes sufficientes inuestigandi et perspiciendi, dicitur *philosophus*. (Scite hanc in rem CICERO; *Vt quisque*, inquit, *maxime perspicit, quid in re quaque uerissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et uidere et explicare rationem; is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet.* Off. Lib. I c. 5.

§ 9.

§ 9.

Vt adeo *philoſophia* nihil aliud ſit, quam habitus ſiue facultas ueritatum rationes ſufficientes et cauſſas inueſtigandi et perſpiciendi.

Quae de origine uocis *philoſophi* uel *philoſophiae* adferri poterant, ea uero uerboſe ſatis eleganterque expoſita inuenies in HEVMANNI *Actis philoſophorum P. I c.* 2, item *P. II c.* 4. Id hic monuiſſe iuuabit, uocem *philoſophiae* nonnunquam ita accipi a quibusdam, ut per eam intelligant complexum ueritatum, ex ratione cognitarum et apte connexarum, ſiue doctrinam, ratione ſola cognitam, qua id, quod homini ad felicitatem ſuam promouendam neceſſarium eſt, diſtincte traditur. Quod cum ſit, philoſophiam *obiectiue* et *ſyſtematice* conſiderari, aiunt Philoſophi. At ſi per philoſophiam intellexeris eam mentis dotem, eam facultatem, qua homo eas, quibus res diuinae humanaeque continentur, cauſſas diſtincte accurateque nouit, tum uocabulum philoſophiae *ſubiectiue* ſumi, intelligitur. Hoc ſenſu definit CICERO philoſophiam per *ſcientiam rerum diuinarum et humanarum, cauſſarumque, quibus hae res continentur.* Off. Lib. II c. 2.

§ 10.

Cum philoſophia ſit *habitus*, (§ 9.) perſpicuum eſt, non eum ſtatim uocandum eſſe philoſophum, qui quarundam rerum cauſſas perſpectas habet. Accedat, oportet, firma quaedam facilitas, ſtudio et induſtria comparata, et conſuetudine longoque uſu corroborata.

Quemadmodum is nondum dici meretur linguae Gallicae magiſter, qui nonnulla, ex lingua Gallica deſumta, uocabula tenet, et quasdam colloquii particulas, ex Grammatica decerptas, profert, ſed ille demum nomine hoc inſigniendus eſt, qui uſu et conſuetu-

dine, aut multo studio eam sibi comparauit scribendi loquendique facultatem, ut cogitata animi, apto expeditoque sermone, et concitato quodam orationis flumine, cum aliis possit communicare; ita is minime appellandus est philosophus, qui quarundam rerum, quae sub sensus cadunt, et quotidie obuiae sunt, causas tenet, sed qui quadam gaudet facultate earum maxime ueritatum, quae meditandi artificio abstractae sunt, iustas idoneasque causas inuestigandi, qui, quid in quaque re ueriſſimum sit, maxime perspicit, quique acutissime et celerrime potest et uidere et explicare rationem.

Ineptum ergo est, sutorem uel quemcunque alium opificem dicere philosophum, propterea, quod earum rerum, quas tractat quotidie, et in quibus uersatur, causas nouit. Num sutorem uel rusticum dicis Theologum, si prima religionis elementa praecipuaque doctrinae caelestis capita animo tenet?

§ II.

Colligitur ex his

I. Non posse quemquam philosophum nominari, nisi habitu uel facilitate positiones demonstrandi sit instructus. (§ 8 pos. 4.) Est enim *demonstrare* nihil aliud, quam effecta sua ex causis principiisque certis deducere.

II. Scientiam a philosopho non debere esse seiunctam. Est enim *scientia* habitus asserta sua demonstrandi.

III. Philosophum ueri nominis omnia ea, quae uel affirmat, uel negat, certis minimeque dubiis fundamentis siue principiis debere superstruere. Postulat enim hoc natura demonstrationis, quae esse nulla potest, nisi ita omnes positiones secum inuicem connectantur,

tur, ut, solidis constitutae fundamentis, plurimum habeant firmamenti, nullaque ratione possint conuelli.

§ 12.

Ex iis, quae praestruximus, nunc manifestum fit, qua *methodo* philosophus in tradendis ueritatibus uti debeat. Leges, quibus Philosophorum methodus in cogitando ueritatibusque proponendis confirmari debet, his complectemur positionibus.

I. Cum philosophi sit, asserta sua principiis certis et immotis superstruere, (§ 11 pos. 3.) consequens est, ut philosophus uel in cogitando, uel in tradendis ueritatibus eum obseruare debeat ordinem, ubi certa principia praestruuntur, et fundamenti loco, substernuntur, et ex iis legitimo nexu ceterae positiones deriuantur, siue, ut CICERONIS utar uerbis, ubi est apta argumentorum sententiarumque series, et ex alio alia nectuntur.

Ad principia certa pertinent 1) *definitiones*, 2) *axiomata*, i. e. eiusmodi propositiones, de quibus non magis dubitare potes, quam, sol sit, nec ne, 3) *experientiae certae minimeque dubiae.*

II. Principia demonstrandi, quibus asserta sua superstruit philosophus, dicuntur eiusmodi propositiones, ex quibus ueritates aliae robur suum repetunt, et quae ideo praemittuntur, ut sequentia ex iis intelligantur. In ordine ergo, quo philosophus in tradendis ueritatibus utitur, ea sunt praemittenda, per quae sequentia intelliguntur.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0033
DFG

III. Ordo denique, quo philosophus in meditando aut cogitatis proponendis utitur, requirit, ut nullus admittatur terminus, nisi qui accurata definitione fuerit iam ante rite explicatus.

Definitiones enim, ut diximus (num. I not.) in demonstrandi principiis, quibus superstruere debet asserta sua philosophus, recte numerantur.

§ 13.

His ordinis legibus, qui conformat cogitationes suas et doctrinas, is *methodo* utitur *mathematica*, quippe quae nihil est aliud, quam ille ordo tractandi ueritates, ubi ex principiis certis immotisque conclusiones, nexu legitimo, deducuntur.

Si uoces, *methodus mathematica*, offensionis quid habent, tolle eas, eumque, cuius leges stabiliuimus, ordinem dicas *methodum naturalem*, *methodum systematicam*, *philosophicam*, *cetera*. Mutatis nominibus, idem dicis. Vid. *commentatio nostra de cautione philosophi circa uoces odiosas*.

§ 14.

Haec de methodo. Iam ad stilum philosophicum deueniamus, quem appellamus illud dicendi scribendiue genus, quo uti debet philosophus in ueritatibus proponendis.

§ 15.

Haec igitur prima lex stili philosophici sanciatur,

I. Vt nihil, quod uerbis obscurum est, admittatur, perspicuitatisque uel in primis habeatur ratio. Est enim philosophi, uoces adhibere

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0034
DFG

bere nullas, nisi definitione legitima fuerint explicatae (§ 12 pos. 3.) luxque adeo iis, quae dicuntur, sit affusa.

II. Cuilibet uoci et phrasi constans et fixus significatus est tribuendus.

III. Omnis ornatus, qui perspicuitati sermonis uim infert, ex stilo philosophico est proscribendus. Cum autem orationis elegantia euidentiam non tollit, tantum abest, ut eam negligi uelimus a philosopho, ut commendemus etiam maximopere, ipsique, quoad eius fieri potest, consectemur.

CAP. II.

De Partibus et diuisione philosophiae.

§ 16.

Cum in philosophia, si systematice eam consideraueris, ea tradantur, quae homini ad felicitatem suam firmandam uel augendam, scienda agendaue sunt, (§ 9.) intelligitur, ueritates nonnullas in philosophia esse eiusmodi, ut easdem, felicitate potituri, scire tantum debeamus, nonnullas uero esse eius indolis, ut nostras actiones dirigant et conforment ad felicitatem adipiscendam.

§ 17.

Illa pars philosophiae, quae ueritates, ad felicitatem scitu necessarias, magisque ad intelligentiam instruendam, quam actiones conformandas perti-

nent, complectitur, dicitur *theoretica.* Eae autem disciplinae, quae praecepta exponunt, quibus actiones moresque hominum conformantur, constituunt *philosophiam practicam.*

Ad philosophiam theoreticam referimus 1) philosophiam naturalem siue *Physicam*, quae in corporum naturalium uiribus explicandis uersatur, 2) *Metaphysicam*, qua notiones communes ueritatesque generaliores exponuntur. Ipsam autem Metaphysicam, scimus, his quatuor constare disciplinis α) *Ontologia*, β) *Cosmologia*, γ) *Psychologia*, cum *empirica*, tum *rationali*, δ) *Theologia* denique *naturali.*

Ad philosophiam practicam pertinent 1) *philosophia practica uniuersalis*, quae notiones generaliores principiaque tradit regularum uiuendi.

2) *Ius naturae*, in quo leges, ad quas actiones nostrae sunt instituendae, traduntur, et in quo iubentur, quae facienda, uetanturque, quae ratio uult omitti.

3) *Ethica*, in qua uia ratioque ostenditur, qua iis, quae legibus sancita sunt, obsequi possimus.

4) *Politica*, in qua praecepta demonstrantur, quibus hominis, in republica uiuentis, bonique ciuis munia obituri uita ad ueram felicitatem dirigitur.

Differentiam harum disciplinarum scies, si nosti, Ius naturae regulas *iusti*, Ethicam regulas *honesti*, Politicam denique *decori* explicare. De quibus infra pluribus exponemus.

§ 18.

In disciplinis his pertractandis is ordo est obseruandus, ut ea praemittantur, quae intelligendis reliquis subseruiunt. (§ 12 pos. 11.) Recte ergo

I. Logica ceteris disciplinis praemittitur, quia illa intelligendi uim quasi acuit et praeparat ad ueritates, uel in spirituum doctrina, uel in

in physica, uel in morum scientia obuias, distinctius perspiciendas diiudicandasque.

II. Metaphysica seu philosophia prima praemittenda est philosophiae morum.

III. Metaphysica prius, quam Physica, tractetur.

IV. Ipsae autem Metaphysicae partes ita collocentur, ut primum quidem locum Ontologia, secundum Cosmologia, tertium Psychologia, quartum denique Theologia naturalis occupet.

PHILOSOPHIAE RATIONALIS PROLEGOMENA.

§ 19.

Vt, quid sit Logica, rectius intelligi queat, nonnullas ante adferamus positiones, necesse est, ceteris, quae dicentur, uberius explicandis subseruituras.

§ 20.

Omnes homines naturali quadam, uel uerum cognoscendi, uel cognitum examinandi, uel rationes denique conficiendi siue ratiocinandi dote sunt instructi.

§ 21.

Haec, a natura data, iudicandi ratiocinandique uis exercitatione et usu crebriori ita perficitur a nonnullis, ut non modo, quid in quaque re ueri sit, perspicere, uerum quoque, quale illud sit, iudicare possint.

§ 22.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0037
DFG

§ 22.

Si qui naturalem hanc, quam diximus, iudicandi ratiocinandique facultatem assidua exercitatione ita perfecerunt, ut et uerum cognoscere, et illud diiudicare queant, tum ipsis tribuimus *Logicam naturalem*, quae est naturalis nostra iudicandi ratiocinandique facultas, usu et exercitatione quomodocunque polita.

§ 23.

Haec Logica naturalis regulis quibusdam dirigatur, necesse est. Mens enim hominis in inuestigando cognoscendoque uero saepius labitur. Atqui uero nulla prolapsio, nullus error esse potest, nisi adsint regulae, a quibus deflectatur.

§ 24.

Has regulas, secundum quas identidem iudicant uel ratiocinantur, qui Logica naturali unice sunt contenti, non distincte perspiciunt.

Idem scilicet ipsis accidit, quod iis, qui solo usu linguam Gallicam didicerunt. Verba hi iungunt secundum Grammatices regulas, ipsas autem regulas prorsus ignorant. At quemadmodum, qui solo usu linguam aliquam sibi familiarem reddiderunt, maiori errandi uitioseque loquendi periculo sunt expositi, quam quidem illi, qui regulas loquendi distincte perspiciunt, et rationem sermonis ex regulis, distinctius cognitis, reddere possunt; ita mirum non est, eos, qui, solo usu et exercitatione, iudicandi facultatem consecuti sunt, saepenumero labi, et leges recte ratiocinandi identidem migrare.

§ 25.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0038
DFG

§ 25.

Ea disciplina, quae exponit regulas, quibus mens humana in cognoscendo diiudicandoque uero dirigitur, dicitur *Logica artificialis*, quam recte appellaueris artem cogitandi.

Haec elegantissima disciplina uocatur quoque *philosophia rationalis*, propterea, quod uel maxime in eo occupatur, ut regulas, ad rationem perficiendam spectantes, exponat.

§ 26.

Ex his conficiuntur sequentes propositiones.

I. Logica artificialis a naturali non *essentialiter*, ut philosophi loquuntur, differt, sed Logica artificialis est distincta explicatio Logicae naturalis.

II. Logica artificialis tantum praestat Logicae naturali, quantum distincta et solida rerum cognitio confusae.

III. In Logica artificiali regulae deducendae sunt ex mentis humanae natura, propterea quod artificialis Logica explicat leges, quibus naturalis iudicandi uis dirigitur.

IV. Intelligis denique, quid sit, quod eruditum, negemus, unice posse esse contentum Logica naturali.

§ 27.

Quandoquidem ergo Logica artificialis regulas exponit, quibus mentis humanae uires, et intellectus operationes dirigi debeant in ueritate perspicienda examinandaque; intelligitur, Logicam artificialem

ficialem optime ita disponi, ut prima quidem parte operationes mentis earundemque natura explicentur, subnexis generalioribus iudicandi ratiocinandique regulis, altera uero parte uia ostendatur, in quam mens ingredi debeat, ut ueritatem uel inueniat, uel inuentam diiudicet. Illam partem Logices uocamus partem *theoreticam*, hanc *practicam*.

§ 28.

Parte ergo theoretica explicabuntur praecipuae illae tres mentis intellectusque operationes,

I. *perceptio*, siue *idea*,
II. *iudicium*, siue idearum connexio,
III. *ratiocinium*, siue *Syllogismus*.

Quam quidem Logicam pertractandi rationem et simpliciſſimam et naturae conuenientiſſimam esse iudico. Ecquis enim est, quem non quotidiana edoceat experientia, nostram intelligendi uim sese exserere his tribus modis, ut aut rem aliquam contueamur mentemque contemplemur, aut de ea iudicemus; aut ex iudiciis noua formemus, siue ratiocinemur.

De usu Logices plura hic addere non attinet. Quicquid diligentior rationis cultura tibi adtulerit commodi, id omne exspectabis a Logica.

LOGI-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0040
DFG

LOGICAE
PARS I
Theoretica seu de tribus mentis operationibus.

CAP. I.
De Ideis seu notionibus.

§ 29.

Quae primo loco explicanda est mentis nostrae operatio, simplicem perceptionem, siue notionem itemque *ideam* appellamus, quae nihil aliud est, quam rei alicuius repraesentatio in mente, sine affirmatione et negatione.

E. gr. Animo informas notionem patriae tuae, parentumque, a quibus nunc disiunctus uiuis, cum scilicet patria parentesque tui animo quasi praesentes sistuntur, adeo, ut coram intueri eos uideare. Nonne tum imago siue, Graeco uocabulo, *idea* patriae parentumque menti obuersatur? Addidimus in definitione: *sine affirmatione et negatione*. Neque enim, quod putant nonnulli, semper iudicamus, cum rem uel oculis uel animo contemplamur.

Notio quoque uocatur *conceptus*, et ueteres eam appellitasse scimus simplicem apprehensionem.

§ 30.

Notiones, quas mens humana format, uarie distinguuntur. Primum ratio habenda est *modi*, quo

quo notiones siue ideae effinguntur, deinde *ipsae* quoque *res*, quae percipiuntur, sunt eiusmodi, ut inde noua idearum siue notionum distinctio oriatur.

§ 31.

Ratione modi repraesentandi omnis notio siue idea est uel *clara*, uel *obscura*. Illa est, quae sufficit ad rem perceptam ab aliis rebus distinguendam. Haec uero, quae non est sufficiens ad rem, quam percipis, ab aliis internoscendam.

Notiones clarae sunt, si e. gr. album a nigro colore, odorem rosae ab odore alius floris, dulce ab amaro, poteris dignoscere.

§ 32.

Has ergo positiones facili nunc negotio intelliges

I. Quo plura potes in re, quam percipis, distinguere, hoc clarior est idea.

Si, e. gr. hominem, ruri ambulantem, sed longius abs te remotum, conspicis, primum moueri quid, sentis. At nescis, num equus sit, an homo. Sed si id ipsum, quod moueri tantum uidebas, nunc propius ad te accedit, animaduertis iam, esse hominem. At neque faciem, neque uestem, ob distantiam loci, ita nosti, ut ab aliis discernere possis. Quo propius uero accedit, hoc plura distinguis, tandemque amicum tuum CAIVM agnoscis. Vides, paullatim pedetentimque ideam tuam clariorem fieri, cum plura scilicet in re, quam percipis, distinguere potes.

II. Vt claram acquiras notionem siue ideam, usus requiritur sensuum.

III. Quo

III. Quo pluribus ſenſibus rem quampiam uſurpaueris, hoc clarior fit notio.

Medicus ut medicamentum ab aliis recte diſtinguat, illud intentis oculis et acerrime contuetur, nec contuetur modo, ſed naribus quoque illud admouet, ut odoretur, quin ipſum ſaporem in conſilium adhibet, clariſſimam medicinae notionem adepturus.

IV. Cum bruta, ſenſibus in ſubſidium adhibitis, rem alteram ab altera diſtinguant, recte illis tribuimus ideas claras.

V. Eruditus in ſolis ideis claris acquieſcere non poteſt, cum eas et cum uulgo et cum brutis communes habeat. Altius ſurgit eruditi cognitio, quae in interiores rerum latebras et receſſus, a ſenſibus remotiſſimos, penetrat.

§ 33.

Quemadmodum aliam ideam alia clariorem eſſe diximus, (§ 32.) ſic obſcuritatis quoque gradus dari, lucide apparet.

Cum rem quidem nobis repraeſentamus, ſed illam rem *prorſus* non poſſumus ab aliis rebus diſtinguere, tum haec idearum *obſcuritas abſoluta* dicitur. At fit nonnunquam, ut, quod clare percipio, alter clarius ſentiat, tum perceptio mea, comparata cum clariori alterius perceptione, obſcura eſt, quae obſcuritas eſt *relatiua*.

§ 34.

De ideis obſcuris ſequentes propoſitiones habeto:

I. Caue, exiſtimes, alteri ſtatim eſſe obſcuram ideam eius rei, quam tu obſcure nec clare ſatis percipis. Qui hebetioris eſt inge-

nii, ei philosophorum et scripta et placita ita obscura sunt, ut, uix ea a quoquam intelligi posse, sibi persuadeat. At aliis, qui acutius uident, tam clara sunt, ut de nulla conquerantur obscuritate.

II. Quo ipso patet, praecipitanter nimis iudicare illos, qui, obscuritatem suo ingenii modulo mensi, id omne *in se* obscurum esse clamitant, quod ipsi non capiunt.

III. Obscurae perceptionis caussa plerumque in hominibus, raro in re percepta, quaerenda est. Rem aliquam si non attente satis consideras, quid mirum, te obscure eam percipere.

IV. Cum res, mentis perturbationibus siue affectibus turbati, contemplamur, non satis clare eas percipimus.

V. Cum, in meditatione alia defixi, rem consideramus, aut uno momento nimis multa oculis animoque subiicimus, mirum non est, perceptiones, nocte quasi menti offusa, esse obscuriores.

VI. Si denique nimis celeriter a perceptione una ad alteram transgredimur, nec satis diu iis, quae menti sistimus, immoramur, fieri non potest, ut perceptio sit clara.

Hinc perquam commode complures discendi regulae poterunt deduci, quas in bonarum artium disciplinis colendis, iuuenes, literis dediti, magno cum suo fructu, obseruabunt.

§ 35.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0044
DFG

§ 35.

Cum rem perceptam ita ab aliis rebus distinguimus, ut notas quoque, quibus ab aliis discernitur, sigillatim nobis repraesentemus, easque mente distinguamus, tum notio siue idea dicitur *distincta*, quae est nihil aliud, quam repraesentatio notarum rei alicuius.

Tibi e. gr. notionem distinctam *spei* formas, cum nosti, spem esse gaudium ob futurum bonum. Hic enim notas sigillatim tibi mente repraesentas, speciatimque enumeras characteres, quibus spes ab omnibus aliis rebus internoscitur. Notae autem siue characteres *spei* sunt 1) *gaudium*, 2) *bonum*, 3) *futurum bonum*.

§ 36.

Si minus poteris notas et characteres, quibus res percepta ab aliis discernitur, sigillatim tibi sistere et enumerare, quamuis rem ab altera distinguas, tum idea appellatur *confusa*.

Experientia testatur, nos colores a se inuicem posse internoscere. At quotusquisque est, qui notas, quibus e. gr. color albus a nigro discernatur, possit sigillatim enumerare. Colorum ergo, patet, nos habere ideas confusas.

§ 37.

De ideis distinctis confusisque has positiones teneto:

I. Ad ideas distinctas acquirendas attentio plurimum adfert adiumenti.

II. Praecipuum notionis distinctae κριτήριον existimo, si quis ea, quae cogitat, sigillatim enumerare, cumque aliis communicare potest.

III. At, cum cogitata proloqui non potes, indicio id est, te ideis confusis impediri.

IV. Hinc est, ut, si cum altero debet communicari id, quod confuse cogitas, res ipsa, quam confuse percipis, alterius sensibus obiici, coramque ostendi, aut cum alia re, cuius iam habemus ideam claram, comparari debeat.

Vt hae positiones rectius intelligantur, exemplum addam. Si uis scire, num SEMPRONIVS amicus tuus, idea distincta uel *amoris*, uel *odii* gaudeat, quaere ex ipso, quid sit amor, quid odium. Si notas proferre potest, quibus ab odio amor, ab amore odium discernatur, tum odii amorisque notione distincta gaudet. Roga ipsum porro, ut homini, qui inde ab utero materno coecus fuit, distincte explicet, quomodo a nigro album, et ab albo nigrum differat, tum obmutescet, quod ipsum ideam confusam indicat.

§ 38.

Si notas tibi sistis aut enumeras, quae sufficiunt ad rem repraesentatam ubique et semper agnoscendam, et ab omnibus aliis discernendam, tum idea distincta uocatur *completa*, at si, quas recenses, notae minus suffecerint, notionem dicimus *incompletam*.

Si, e. gr. de *commiseratione* has enumeraueris notas, quod sit α) *taedium*, β) ob *infelicitatem alterius*, tum omnia ea adfers, quae ad commiserationem ab omnibus aliis rebus internoscendam pertinent.

Notio ergo commiserationis non modo distincta est, sed completa quoque. At si dixeris: *Verba sunt signa conceptuum*, facile uides, has notas ad uerba ab omnibus aliis rebus semper internoscenda minus sufficere.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0046
DFG

ficere. Dantur enim signa conceptuum, quae non sunt uerba.

§ 39.

Cum distinctam rerum cognitionem sibi acquisiuisse censendus sit, qui partes rei cognitae et notas interiores separatim animo contemplatur (§ 35.) intelligitur, tanto cuiusque notionem esse distinctiorem, quanto plures rei partes peruidet, notasque adeo notarum, altius penetrando, animo cogitationibusque percurrit. Quod cum fit, idea dicitur *adaequata*, quam eiusmodi repraesentationem appellamus, ubi nouas notas notarum sigillatim mente nobis sistimus. Sin minus id possumus, tunc idea dicitur *inadaequata*.

E. gr. Notae siue characteres, qui notionem spei ingrediuntur eamque constituunt, sunt 1) *gaudium*, 2) *futurum bonum*. (Spes enim est gaudium ob futurum bonum). Has notas, quibus notio spei constituitur, si sigillatim tibi repraesentare et enumerare potes, notione spei distincta gaudes. At si nouas notas notarum, *gaudii* nimirum, et *boni*, perspectas habueris, ut, quid sit gaudium, quid sit bonum, enumerare possis, tum idea spei est adaequata.

§ 40.

Haec adaequatarum idearum formatio dicitur a philosophis *notionum analysis*.

Quemadmodum scilicet rei medicae periti, dissecto in partes corpore humano, omnes coagmentationis tam pulchrae, tamque elegantis, recessus latebrasque perscrutantur, ita philosophorum est, analysi notionum facta, minimas quasque rei cognitae partes perquirere, attentiusque contemplari.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0047
DFG

§ 41.

Ex his facile intellectu est,

I. Quod, quo longius in enumerandis et allegandis nouis notarum notis poteris progredi, hoc fiat adaequatior idea.

II. Quod idea adaequata oriatur ex idea distincta notarum characteristicarum.

III. Quod de omnibus rebus ideas adaequatas formare nobis non possimus, propterea, quod omnes res non possimus, ob sensuum limites, distincte percipere.

IV. Quodque adeo in analysi notionum non possimus in infinitum progredi, fere, uti illi, qui corpora dissecant membraque articulatim diuidunt, particulas uel cordis uel cerebri, uel reliquorum membrorum non in infinitum resoluere queunt.

§ 42.

Hactenus recensuimus diuersa idearum genera, quae ex diuerso perceptionum modo existunt. Nunc illud excutiendum, quae notionum diuersitas nascatur ex rerum perceptarum uarietate.

§ 43.

Res scilicet, quas cognoscimus, aut existunt et sub sensus cadunt, aut sunt proprietates quaedam, rebus existentibus communes, quas a rebus, mente et cogitatione, abstrahimus.

§ 44.

Quicquid existit siue sensu percipimus, id uocamus *rem indiuiduam* siue *singularem*.

E. gr.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0048
DFG

E. gr. Hic liber, quem coram uides, haec sella, in qua sedeo, sunt indiuidua.

§ 45.

Cum indiuiduum siue rem singularem nobis repraesentamus, tum *idea* dicitur *indiuidualis* siue *singularis*.

E. gr. Si tibi ideam formas de hac mensa, tum idea tua appellatur singularis siue indiuidualis.

§ 46.

Res indiuiduae siue singulares, sensibus perceptae, quamuis ob innumeras περιστάσεις, quae eas comitantur, ita a se inuicem differant, ut altera alteri nunquam in omnibus similis deprehendatur, sunt tamen nonnulla, in quibus indiuidua perpetuo conueniunt, quaeque in omnibus, ceteroquin diuersissimis, eadem reperiuntur.

Quod ut intelligas clarius, haec habeto. Sumas complura indiuidua, CAIVM, PETRVM, PAVLLVM, ROMVLVM, IVL. CAESAREM, CICERONEM, hanc mensam, hunc librum. Dubitari non potest, mirum quantum haec, quae recensui, indiuidua, a se inuicem differre, at sunt tamen nonnulla, in quibus perpetuo similia sibi esse deprehendes, e. gr. quod CAIVS, PETRVS, PAVLLVS, ROMVLVS, &c. sint *homines*, quod liber hic, haec mensa, CICERO, CAESAR, sint *substantiae*.

§ 47.

Ea igitur, in quibus indiuidua perpetuo sunt sibi similia, constituunt *speciem*, quae est similitudo indiuiduorum.

CAIVS, CICERO, CAESAR, LIVIVS, differunt uel ratione aetatis, uel staturae, uel diuitiarum, uel ingenii,

genii, uel dignitatis, in eo uero perpetuo conuenire obſeruabis, quod uiuo et ad ſentiendum apto corpore, animoque, rationis compote, gaudeant, quodque adeo ſint *homines*. Vides itaque, cur notio *hominis* ſpeciem conſtituat. Voce enim *homo* ſimilitudinem innumerorum indiuiduorum exprimis, eademque in claſſe, quaſi quadam collocas.

§ 48.

Quod ſi plures ſpecies inter ſe conferimus, easdemque, obſeruamus, in quibusdam proprietatibus ſibi eſſe ſimiles, tum illa ſimilitudo ſpecierum claſſem quandam ſuperiorem conſtituit, quae, ſpecies illas complexa, genus uocatur. *Genus* enim eſt ſimilitudo ſpecierum.

Sic, e. gr. homo, equus, lupus, canis, leo, ouis, pluresque ſpecies ſi inter ſe comparantur, eas quidem in compluribus, reperies, a ſe inuicem differre, at in eo tamen conueniunt inter ſe perpetuo, ſimilesque ſibi ſunt, quod *uiuant* et *ſentiant*. Hanc ſimilitudinem uno uerbo *animalis* complectimur. Vt adeo pateat, animal conſtituere notionem *generis*.

§ 49.

Notiones uniuerſales ſunt notiones, quibus ea repraeſentantur, quae rebus pluribus communia ſunt.

Sic notio *hominis*, itemque notio *animalis* ſunt notiones uniuerſales, quia per ideam *hominis* ſiſtitur nobis id, quod pluribus indiuiduis, e. gr. PAVLLO, PETRO, SEMPRONIO, &c. eſt commune, et per ideam *animalis*, quod pluribus ſpeciebus commune eſt.

§ 50.

Hinc facili negotio ſequentes poſitiones intelliges.

I. No-

I. Notiones ſpecierum et generum ſunt uniuerſales, quia ſpecies nobis ſiſtit ea, quae pluribus indiuiduis ſunt communia (§ 47.) genus autem, quae pluribus ſpeciebus ſunt communia (§ 48.)

II. Genera et ſpecies non exiſtunt, niſi in indiuiduis.

Quod ut plenius intelligas, notionem hominis ſumas. Ad eam conſtituendam requiruntur haec duo, 1) *Corpus*, ſentiendi facultate et ſubſidiis inſtructum, 2) *Animus*, rationis particeps, et cum corpore connexus. Nullum autem ens exiſtit, quod duo tantum haec praedicata ſuſtineat, et nulla alia praeterea. Omnia enim indiuidua, quae hominum claſſem conſtituunt, pluribus aliis determinationibus gaudent, ad notionem *hominis* conſtituendam non pertinentibus. Exiſtit, PAVLLVS, PETRVS, CAIVS, at homo, quatenus homo eſt, non exiſtit, niſi in his indiuiduis.

III. Plus eſt in indiuiduis, quam eſt in ſpecie.

E. gr. In his indiuiduis, PETRO, PAVLLO, CAIO, TITIO, deprehendis innumeras proprietates et determinationes, e. gr. eruditionem, ingenium, ueſtes, ſtaturam, parentes, honorem et dignitatem, reliqua, quae efficiunt, ut PETRVS et PAVLLVS haec ſint indiuidua, nec alia. At in notione ſpeciei, ſcilicet hominis, praeter corpus organicum, et animam rationis compotem, nihil inuenis.

IV. In ſpecie itidem plus eſt, quam eſt in genere.

V. A determinata ſpecie non concludi debet ad genus.

VI. Non omne id, quod repugnat ſpeciei, ideo repugnat generi, quamuis, quod repugnat generi, idem repugnet ſpeciei.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0051
DFG

Quas positiones ut clariores efficiamus, haec subiungemus exempla.

In *anima* hominis, tanquam specie, plures sunt determinationes, quam in *spiritu*, tanquam genere. Anima humana est limitibus circumscripta, est cum corpore connexa, quotusquisque uero est, qui haec ita ad *spiritus* notionem constituendam pertinere dixerit, ut sine his spiritus esse non possit? Neque adeo haec probandi ratio ualere potest: *Anima mea est limitibus definita. Omnis igitur spiritus debet esse limitibus obnoxius.* Porro, quamuis in animam, tanquam speciem, non cadat omnium rerum scientia, spiritus tamen, generatim spectatus, est omniscientiae capax.

§ 51.

Determinationes illae, quibus altera species ab altera, sub uno genere, differt, uocatur *differentia specifica.*

E. gr. Commiseratio et inuidia in eo conueniunt, quod sint *taedium.* Quod ipsum constituit genus. At sunt nonnulla, quibus inuidia a commiseratione distinguitur. Inuidia scilicet est taedium ob alterius *felicitatem*, Commiseratio uero ob alterius *infelicitatem.* En differentiam specificam!

§ 52.

His rite expositis, facile nunc intelligis, notiones rerum existentium, siue indiuiduorum formari sensuum adminiculo, notiones uero uniuersales siue generum et specierum, abstrahendi artificio.

E. gr. Lipsiae notionem non alia ratione acquires, quam ope sensuum. At, ut scias, quid urbs in genere sit, non sufficiunt sensus, sed opus est, ut plura indiuidua, e. gr. Hamburgum, Lipsiam, Vratislauiam, Amstelodamum inter se conferas, easque proprietates, quas perpetuo similes in omnibus his indiuiduis obseruas,

seruas, ad notionem *urbis* constituendam retineas, ceteras autem, quae non omnibus his individuis perpetuo tribuuntur, seponas minusque consideres. Quod est abstrahere. *Abstrahimus* enim, cum unum absque altero consideramus.

Sunt, qui alio adhuc modo notiones a mente humana effingi et posse et solere affirmant, per *arbitrariam* scilicet *combinationem*. Hoc modo notionem nobis formamus *intellectus perfectissimi*, *montis aurei &c.*

§ 53.

Explicatis ita uariis notionum generibus, uariaque easdem formandi ratione, reliquum est, ut eorum, quae diximus, usum exponamus, subiunctis nonnullis discendi regulis, quas iuuentutis, literis deditae, commodis maxime inseruituras opinamur.

I. In colendis literis minus feliciter progredieris, nisi id egeris, ut rerum tractandarum clara distinctaque cognitione gaudeas.

II. Ad cognitionem claram distinctamque non pertinges, nisi *attentionem*, in qua magna uis magnumque momentum ad clare distinctiusque rem cognoscendam positum est, tibi commendatam habueris.

Cum Matheseos, et Geometriae studio, attentionis acies mirifice acui soleat, sunt, qui, studiorum initia a Matheseos disciplinis capienda esse opinantur. Idque ipsum caussam esse, aiunt, cur PLATO neminem, Geometriae ignarum, suas in scholas recipiendum putarit.

III. Cum, quae properatur nimis, rerum contemplatio non, quam debebat, attentionem

nem secum habeat coniunctam, neque adeo, qui rem aliquam non satis diu contemplatur, nequaquam claram distinctamque eius rei cognitionem acquirere possit (§ 34 pos. 6.) sequitur, ut praepropera festinatio in literarum cultura uel maxime sit uitanda. In primis uero in scientiarum principiis, tanquam elementis, ex quibus ceterae ueritates componuntur, diu haereat iuuenis, nec, nisi iis distincte intellectis, progrediatur ad alia.

Scite Baco Verulamius: *Iuuenum ingeniis non plumas aut alas, sed plumbum et pondera addamus.*

IV. Quandoquidem multitudo rerum pertractandarum mentem distrahit, attentionisque incidit neruos, cauendum est, ne nimia rerum cognoscendarum uarietate et copia mentem obruamus, neque adeo *multa* uno momento discenda putemus, sed, quae discimus, *multum* saepiusque contemplemur, et, ueluti cibum remansum, reguſtemus.

Nosti tritum illud:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Eleganter BÜLFINGERVS: *Sex, octo, decem, horas continuas adire Magistros uaria docentes, eo quidem fine, ut biennii, uel triennii spatio cursum absoluas academicum, hoc idem est, ac si tria per diem prandia tresque coenas sumere pueri instituerent, ut paucioribus scilicet adolescant. Quo si finem assequi liceret, credo, principum filios sexto iam anno, et fortassis citius maiorennes fore.* Vid. *eius Oratio de praecipuis quibusdam discendi regulis ex comparatione corporis et animi erutis. p. m. 25.*

V. Quan-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0054
DFG

V. Quandoquidem mens, uariis agitata commotionibus, non magis poteſt clare diſtincteque res percipere, quam aqua limpida eſſe, quae continuo turbatur motu; (§ 34 poſ. 4.) ſequitur, ut, ſi uelis in literis feliciter progredi, animus in quietum tranquillumque ſtatum ſit deducendus, omniaque, quae mentis impediunt tranquillitatem, e. gr. ira, triſtitia, frequentiores ſodalitates, compotationes, amor uenereus, ſint ſolicite euitanda.

VI. Cum eruditus eſſe non poſſit, niſi qui diſtinctis ueritatum ideis inſtructus ſit, (per defin.) is autem demum diſtincte rem cognoſcere cenſendus ſit, qui notas, quibus res conſtituitur, ita habuerit in numerato, ut eas ſcriptis uel uoce cum aliis poſſit communicare (§ 37 poſ. 2.) ſequitur, ut, ſi tua intereſt, uerae eruditionis te laude florere, ut, inquam, omnia ea, quae uel legiſti, uel audiuiſti, uel meditatus es, ita habeas in promtu, ut, qua ratione ueritas ab altera diſcernatur, aliis diſtributius enarrare poſſis.

Ad hanc regulam, tanquam ad lydium lapidem, exigat ſuam quisque cognitionem neceſſe eſt, ſi ſolidi quid diſcere cupiat. Sunt, qui ueritatum, quas ab aliis propoſitas audiuerunt, diſtincta ſe gaudere cognitione opinantur, at cogitata cum aliis communicare iuſſi, obmuteſcunt. Fac, e. gr. te in ſcholis theologicis doctrinam de peccato in Spiritum S. et filium hominis expoſitam audiuiſſe. Si differentiam horum peccatorum ita perſpectam habes, ut aliis notas, quibus

ab

ab altero alterum distinguitur, possis enumerare, tum hanc doctrinam distincte nosti.

VII. Permultum ergo ad distinctam rerum cognitionem adiumenti adfert illud, si ea, quae legisti aut audiuisti per diem, uel in chartam ipse conieceris, quasi dissertationem de iis scripturus, uel si docendo aliis proposueris ea, quae didicisti, uel si te ipse examines.

Verum est, quod in prouerbio dicitur: *Docendo discimus.* Neque scio, an quicquam possit iis, qui in scholis Gymnasiisue discunt, esse utilius, quam si, ex discentibus facti doctores, continenti nexu sociis ea, quae audiuerunt, proponere iubentur. Cuius rei quae sit quantaque utilitas, dudum me experientia edocuit.

CAP. II.

De Vsu Vocum seu terminorum circa uoces.

§ 54.

Notiones siue ideas, a mente efformatas, significamus aliis per *uoces* siue *terminos*. Sunt autem *uoces* signa notionum, sono articulato prolata.

Signum quid sit, id in Ontologia explicatur. *Signum* est id, cuius idea excitat ideam alterius.

E. gr. Lacrimae sunt signum tristitiae. Idea enim lacrimarum excitat in nobis ideam tristitiae, i. e. cum uidemus, alterum lacrimas profundere, oppido cogitamus, illum esse tristem.

§ 55.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0056
DFG

§ 55.

Quae de uocibus, tanquam cogitationum seu notionum indicibus, notari merentur, his complectemur positionibus.

I. Penes nos est, qua quamque rem uoce designare et enunciare uelimus, siue, ut philosophi aiunt, *uoces sunt signa conceptuum arbitraria.*

Si enim necessario continerentur uinculo uerba, et res, uerbis indicatae, fieri non posset, ut eaedem res a diuersis gentibus per diuersas uoces significarentur.

II. Ideo uoces adhibemus, ut alii, ad quos uerba facimus, nos intelligant.

Intelligimus autem alios, cum easdem notiones cum aliorum uerbis coniungimus, quas alii cum iisdem coniungunt, e. gr. intelligis LIVIVM *L. I c. 39*, qui, excitos REGES, ait, cum SERVIO TVLLIO dormienti caput arserit, si cum uoce REGES eundem conceptum coniunxeris, quem LIVIVS coniunxit. Ipse autem per *Reges* intelligit regias personas, Tarquinium, regem, et Tanaquil, reginam. Conf. *idem L. 27 c. 4.*

III. Nulla uox est adhibenda, nisi cui subiecta sit sententia et notio.

Si enim uox inanis erit, nihil significat, atque adeo non est cogitationum index. Quos sonos inanes dicimus nonnunquam *notiones deceptrices*, ubi nihil cogitamus, quamuis nos, uocabulo audito, quid cogitare, nobis persuadeamus. Talium uocum plena sunt peraque poemata, plenae orationes.

IV. Vt facilius intelligamur, cauendum sedulo est, ne *ambigue* loquamur, i. e. ita, ut cum una uoce plures, quam unam, notionem connectamus.

Fieri

Fieri non potest interdum, quin occurrant uoces, quibus plures significantur notiones. Sunt enim plures res, quam uerba. Hinc philosophi est, uim potestatemque uocis definitione complecti, ne in ambiguo fluctuet mens et ancipiti cogitatione distrahatur.

V. Ex quo necessaria consecutione conficitur illud, philosophorum uerba, quibus cogitata sua exprimunt, debere esse eiusmodi, ut eadem iisdem semper respondeat notio.

§ 56.

Termini, qui eundem habent significatum, dicuntur *synonyma*, siue *termini synonymici*.

E. gr. Methodus mathematica, demonstratiua, scientifica &c.

§ 57.

Terminus dicitur *proprie* sumi tamdiu, quamdiu eidem notio illa tribuitur, cui significandae destinatus est. Notio autem, qua sistitur nobis res, cui indicandae terminus aliquis destinatur, significatum proprium constituit.

§ 58.

Cum autem terminus a significatu proprio transfertur ad designandam rem aliam, cui alius terminus proprius suppetit, idque ob similitudinem, inter ambas res obuiam, tum inde exsurgit *significatus* uocis *improprius*, ipse autem terminus dicitur *translatus* itemque *metaphoricus*.

E. gr. Vocabulum *oculus* proprie sumitur, cum per id membrum illud et organon intelligimus, quo res extra nos positas uidemus. Huic enim notioni significandae primum haec uox fuit destinata. At cum

CICERO

CICERO Corinthum Graeciae *oculum* appellat, facile uides, improprie hic hanc uocem sumi.

§ 59.

Quo ipso intelligis, philosophi esse, ab impropriis metaphoricisque uocabulis omni modo se abstinere, nisi, quae sit uocabuli sententia ac potestas, fuerit definitum.

Quod si enim philosophus uocibus usus fuerit impropriis, alter conceptum proprium cum uocibus eius coniunget, cum tamen philosophus cum iisdem coniungat improprium, atque adeo, fieri non potest, ut philosophus intelligatur, quod est contra § 55 num. II.

§ 60.

Fit nonnunquam, ut in sermone quotidiano familiarique congressione quibusdam utamur terminis, quos intelligimus quidem, etsi ad notionem ipsis significatam, animum non aduertamus, quos dicimus *terminos familiares*.

Eiusmodi terminus familiaris est terminus *galant*, quo identidem utimur, at complures, quid, hac uoce audita, cogitent, nesciunt.

§ 61.

Vsus loquendi quid sit, ex his existimari potest. Est autem *loquendi usus* significatus uocum, in communi sermone proprius.

Vox, e. gr. *oculus*, ex loquendi usu, indicat instrumentum illud uisorium, in animantium corporibus, cuius adminiculo species extrinsecus inferuntur in animam.

§ 62.

Quandoquidem in omni sermone proprium uerborum significatum perspicuitatemque consectari

debet philosophus (§ 59 et 55.) a recepto uocum significatu et usu loquendi non temere recedat.

§ 63.

Si plures voces inter se iungimus, existit inde *sermo* siue *oratio*, quam recte dixeris nexum plurium uocum.

§ 64.

Superest, ut regulas nonnullas, in iuuentutis, literarum studiosae, gratiam addamus, quibus uerborum sermonisque usus uel in familiari consuetudine, uel in eruditorum circulis, conformari queat.

I. Cum uoces sint cogitationum indices (§ 54.) id agas, ut, quandocunque locutus fueris cum aliis, expendas, probeque ponderes, quid cogites.

Ita euitabitur inanis illa et odiosa loquacitas, iuuentuti familiaris. Scilicet a teneris consuerunt complures ita loqui, ut uerba, ab aliis audita, dicendo repetant, neque perpendant adeo, quid dicant, et cur haec, nec alia uerba proferant.

II. Caue, putes, te semper *idea rei* gaudere, si *ideam soni* habueris.

Sonum audiunt, sibi familiarem, permulti, si in oratione, quam Christus nobis praescripsit, uerba recitant: Wie wir vergeben unsern Schuldigern. Si, post prandium, gratias acturi, uerba proferunt, der HErr hat nicht Lust an der Stärcke des Rosses, noch Gefallen an iemandes Beinen, idea soni gaudent, at ideam rei non habent.

III. Caue, existimes, te semper intelligere uoces connexas, quas singulas intelligis.

E. gr.

E. gr. Quid sit *homo*, intelligis, itemque, quid sit *omnipotens*, at coniunge has uoces, nulla tum subiecta est uocibus sententia.

IV. Quamuis penes nos sit, qua quamque rem uoce designare uelimus (§ 55 num. I.) nouas tamen uoces temere effingere non licet, nisi in consociatione hominum et communitate rideri explodique uelimus.

Verba ualent, sicut numi. Neque enim numi, quibus merces apud Persas Russosque emuntur, apud nos ualent, suo licet ualore apud alios non destituti. Aliae prouinciae, ut alios numos, ita alias uoces postulant. Perabsurdi erant, qui quondam omnes uoces, quarum origo ex Romanorum lingua arcessenda erat, deuitaturi, die Naſe, Latine nasum, uocabant den Schnauber, die Ohren, (aures) die Lufftfänger, das Fenſter, (fenestram) den Tageleuchter, cetera.

V. Cum ideo loquamur, ut alii nos intelligant, (§ 55 n. II.) minus decet, uel Latinas, uel Gallicas, uel Italicas uoces sermoni Teutonico immiscere, maxime, si cum hominibus rudioribus rem habueris.

Perridicula ergo eorum est insolentia, qui, ut eruditi uideantur, tertio cuique uerbo immiscent uocabula peregrina, aut, cum pro concione de rebus diuinis ad populum dicunt, uel integras sententias Latinas, Graecas, Hebraeasque proferunt, ut ingenium ostentent, uel singula certe uerba, ex alienis accita linguis, interpolant.

CAP. III.
De Definitionibus.

§ 65.

Quandoquidem hactenus de ideis, idearumque significationibus exposuimus, percommode his doctrinam de *definitionibus* subiungimus.

§ 66.

Est enim *definitio* nihil aliud, quam notio siue idea distincta, completa, sermone siue oratione expressa. Ipse terminus uel res, quae definitur, dicitur *definitum*.

Quid sit idea distincta, quid sit completa, exposuimus § 35 et 38.

§ 67.

Quae quidem definitionis definitio satis luculenter demonstrat, ad sequentes positiones, tanquam regulas, omnem uerae legitimaeque definitionis rationem esse exigendam.

I. In definitione notae et characteres eius rei, quae definitur, debent enumerari. Postulat enim id ideae distinctae natura et indoles. (§ 35.)

II. In omni definitione eiusmodi notae debent recenseri, quae sufficiunt ad rem definitam ab omnibus aliis rebus semper et ubique discernendam. Id enim requirit idea completa. (§ 38.)

III. Notae, in definitione enumeratae, aliis rebus, praeter rem definitam, non conueniant,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0062
DFG

niant, adeoque definitio non sit latior suo definito. Secus si fit, notae enumeratae non sufficiunt ad rem definitam ab omnibus aliis rebus distinguendam.

E. gr. Latior est definitio suo definito, si *uerba* definiueris per signa conceptuum siue cogitationum. Multi enim manibus signa quaedam cogitationum edunt, at haec num uerba dices?

IV. Notae, quas in definitione enumeras, debent esse eiusmodi, ut omnibus iis uel individuis, uel speciebus tribui possint, quae rei definitae ambitu comprehenduntur, siue, non debet esse angustior suo definito.

E. gr. Si definiueris *amorem* generatim per affectum, quo aliorum felicitate delector, tum amor erga nosmet ipsos hac definitione non continetur.

V. Ex quo patet, notas enumeratas debere aeque late patere, quam ipsum definitum, siue definitionem debere adaequare definitum.

Vt enim omnes partes rei cuiusdam, si in complexu sumseris, ipsam rem, tanquam totum, efficiunt, ita quoque notas, quae definitum constituunt, ipsam rem definitam non debere excedere, patet.

VI. Hinc intelligitur, definitionem cum suo definito ita commutari posse, ut definitio in locum definiti, salua omni mutatione, possit substitui, et definitum in locum definitionis.

E. gr. Si dixeris, CAIVS est felix, nihil aliud dicis, quam hoc: CAIVS perfruitur gaudio constanti et aequabili.

VII. Ea, quae rei definitae non perpetuo constanterque tribui possunt, siue accidentia in definitionem admitti non debent. Haec enim non sufficiunt ad rem definitam ab omnibus aliis rebus semper et ubique discernendam, quod est contra § 38.

Minus recte definires *animam humanam*, si eam diceres spiritum in corpore nostro cogitantem, et eruditione instructum. Vt enim mens nostra sit erudita, id inter fortuita pertinet, nec eidem perpetuo tribui potest.

VIII. Non nisi ea, quae rei definitae constanter insunt, nec ab ea seiungi possunt, attributa essentialia, uti uocant philosophi, in definitione recensеantur, necesse est. Quia haec demum apta sunt ad rem definitam omni tempore locoue ab aliis rebus internoscendam.

IX. In definitionibus haec lex uel in primis sanciatur, ut perspicuitatem, quam maxime possumus, consectemur, neque adeo quicquam iis insit, quod minus intelligi queat. Definitionis enim est, notiones complicatas euoluere, et, quae obscuritatis quid habent, enodatius proponere, alias non esset idea distincta, quod est contra § 67.

X. Recte ergo et perbene faciunt, qui terminos, quibus constituitur definitio, ante explicant, atque adeo, si quid supereſt obscuri, noua definitione tollunt.

Definis e. gr. Felicitatem per statum durabilis gaudii. Ne obscurum tibi sit, quid durabile gaudium dicamus,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0064
DFG

mus, perſpicuitatis lex iubet, ut ea, quae durabile gaudium efficiunt, ante explices diſtinctius. Quod ipſum obſeruauit CICERO, qui libertatis uerae indolem explicaturus, *Quid eſt*, inquit, *libertas? Poteſtas uiuendi, ut uelis. Quis igitur uiuit, ut uult, niſi, qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui uiuendi uia conſiderata atque prouiſa eſt*, Paradox. V cap. 1.

XI. Ne perſpicuitatis legem migres, cauendum eſt, ne idem per idem explicetur.

Quod perabſurde faciunt illi, qui quantitatis notionem diſtinctius traditurі, eam dicunt eſſe accidens, a quo res dicatur *quanta*. CICERO definit *uoluptatem* per iucundum motum in ſenſu. *De Fin. Lib. II c. 23.* Quod quid aliud eſt, quam uoluptatem per uoluptatem explicare?

XII. *Ex quo conficitur, uitium illud, quod philoſophi uocant circulum, in definiendo, ſolicite eſſe fugiendum.* Eſt enim *circulus* in definiendo nihil aliud, quam ſi A per B, et B rurſus per A definio. Atque adeo, qui circulum in definiendo committit, A per A definit, ſiue idem per idem explicat, quod eſt contra regulam antecedentem XI.

Quod ut intelligas, accipe exemplum. Si *legem* definis per decretum *ſuperioris*, obligans inferiorem, *ſuperiorem* uero per eum, qui habet poteſtatem legem ferendi, committis circulum. Notione enim *legis* continetur notio *ſuperioris*, et notione *ſuperioris* notio *legis*, atque adeo a *lege* deuenis ad *ſuperiorem*, et a *ſuperiore* rurſus ad *legem*. Quo ipſo definitio in orbem redit.

XIII. Ex omni definitione debent proſcribi termini metaphorici et ambigui, niſi ante definitione fuerint explicati. conf. § 67 num. 10.

Minus accurate definis *intellectum humanum* per lumen animae, nisi, quid sit lumen animae, ante fuerit explicatum.

XIV. Neque in definiendo, quid res non sit, dicere decet, sed, quid res sit, explicandum est, atque adeo definitio, quam uocant, negatiua est uitanda.

§ 68.

De diuersa res definiendi ratione pauca addenda sunt. Cum notas enumeras, quibus res definita ab aliis rebus internoscitur, tum *definitio* appellatur *nominalis*. At cum rei, quam definis, causas, et modum, quo fieri potest, exponis, *realem* condis *definitionem*.

Non me fugit, ueteres, per definitionem nominalem, quam ὀνοματολογίαν uocabant, intellexisse Grammaticas uocum explicationes, quo pertinebat α) *Etymologia*, qua in uocis definiendae originem et stirpem inquiritur, β) *Synonymia*, qua aliae, idem significantes, uoces adducuntur, γ) *Homonymia*, qua affertur multiplex uocis significatio. Recentiores definitionem nominalem characterum enumerationem uocant. E. gr. *Deus* est spiritus perfectissimus. In reali, quam *geneticam* quoque uocant, causas et genesin siue ortum rei exponunt. E. gr. *Commiseratio* est taedium, ex alterius infelicitate oriundum. Hic enim, quae sit commiserationis causa et origo, exponitur.

§ 69.

Cum definitione non est confundenda *descriptio*. Res, quae sensibus subiiciuntur, *describimus*, at generum specierumque notiones *definimus*. In descriptione notas quidem enumeramus, at minus sufficiunt eae ad rem, quam describis, ab omnibus aliis

aliis rebus distinguendam, quod contra fit in definitionibus. *Descriptionem* ergo recte dixeris notionem rei distinctam incompletam.

Descriptiones oratoribus poetisque perquam sunt familiares, quarum complures reperimus in CVRTIO, LIVIO, VELLEIO PATERCVLO, aliis, quos, nouimus, situm, pulchritudinemque uel urbium, uel plagae alicuius tam uiuis depingere solere coloribus, ut eas coram intueri uideamur. Eiusmodi descriptiones inuenimus in literis accusatoriis (Steck-Briefe) quibus iudex facinorosum fugitiuum persequi solet, ita quidem, ut et eius externus habitus, et faciei lineamentorumque conformatio, et alia, quibus fur fugitiuus ab aliis internosci potest, distincte sigillatimque recenseantur.

§ 70.

Quas ultimo loco regulas cautionesque his subiungendas putamus, eas eo pertinere uolumus, ut intelligat iuuentus, meliorum literarum studiosa, nos ipsius rationibus quam maxime consultum uelle.

I. Quanti refert, unumquemque, qui solidioris doctrinae studio ducitur, distinctas rerum notiones sibi acquirere, (§ 35.) tanti quoque interest, definitiones, quippe quae cuiusque rei naturam ac uim distincte explicant, ab omnibus, uerae eruditionis cupidis, disci, accurateque teneri.

Proinde iuuentuti, quae in scholis elegantioris literaturae cultum instruit, memoriae quidem exercitationes studiumque linguarum quam possum amplissimis uerbis commendare soleo, at cum uerborum cultura iudicii limandi studium ita coniungi uolo, ut, quae unius cuiusue rei sit indoles, definitionum adminiculo

culo mature perſpicere diſcat, in quo, dici non poteſt, quantum momentum ad intelligentiae humanae iudiciique uim acuendam ſit poſitum.

II. Quare et ii, qui in ſcholis docent iuuentutem, et qui Muſarum ſacris, diſcentium in ſubſelliis, operantur, id ſibi uel in primis negotii datum credant, ut, in legendis explicandisque ueterum ſcriptorum monumentis, non tam uerborum aucupia conſectentur, quam, quae cuique uoci ſubiecta ſit ſententia, diſtincte intelligant.

Magnopere ergo mihi probatur eorum docendi ratio, qui earum uocum, quae occurrunt, et quarum plerumque diſcentes ne confuſam quidem notionem habent, uim ac poteſtatem definiendo complectuntur, atque ita iuuenes pedetentim a nimio memoriae cultu ad intelligendi iudicandique facultatem traducunt. Rem exemplo illuſtrabo. Mihi, CICERONEM euoluenti, haec occurrunt uerba: *Non me ſolum ratio, ac diſputatio impulit, ut ita crederem, ſed nobilitas etiam ſummorum philoſophorum et auctoritas. De Senectute Cap. XXI.* Explica hic tuis, quid ſit *ratio*, quid *diſputatio*, quid *credere*, quid *nobilitas*, quid *philoſophus*, quid *auctoritas*. Exemplis has notiones illuſtra, et iterum iterumque, quae dixiſti, inculca: Dicta denique examinando repete. Hac uia, aut nihil intelligo, aut maximo cum fructu humanitatis ſtudioſos te in ueterum ſcriptorum lectione occupare poſſe recte affirmo. Philoſophari ſic diſcunt iuuenes, neque ſentiunt ſe philoſophatos eſſe.

III. Qui in ſcholis artem dicendi tractant, ii ornate copioſeque loquendi facultatem ſibi breui acquirent, ſi, definiti loco, definitiones ſiue notas uſurpare et in loco adhibere didicerint.

Ex

Ex quo quidem artificio, credi uix poteſt, quanta uis, quantusque ſplendor accedat eloquentiae. Sumas hanc propoſitionem: *Orator debet eſſe philoſophus.* Si definiueris, quid ſit *orator*, quid ſit *philoſophus*, abeſſe non poteſt, quin haec poſitio, quae, omni ornatu quaſi detracto, nuda apparet, ornamentis, ex ipſa rerum enunciandarum natura petitis, decorata ſuauius in audientium aures, hunc fere in modum, influat. „Quis„quis in eam curam omni cogitatione totoque pecto„re incumbit, ut oratione ornata et artificio quodam „expolitioneque diſtincta, non modo probet aliis ea, „quae dicit, audientiumque animos ad credendum ſle„ctat, ſed quoque commotiones animi cieat, easdem„que commotas ſedet, reprimatque (*en definitionem „oratoris*)! is uiam rationemque perſpectam habeat, „animorum motus humanaeque naturae receſſus et „ſtudia explorandi, cauſſasque eas, quibus mentes aut „incitentur, aut concilientur, aut reflectantur, ſaga„ciſſime indagandi (*en definitionem philoſophi*)!

IV. Rerum, quarum nullam tibi animo informas notionem diſtinctam, fac, ut tuopte ipſe ingenio definitionem condere diſcas.

Neſcis e. gr. quid ſit *diſciplina* (die Zucht) ipſe, num eius definitionem exquirere poſſis, tenta, felicius procedet negotium, ſi regulas, infra ſuppeditandas, rite applicare didiceris.

V. Aliorum definitiones, caue, memoriae tantum infigas, (quod non eſt ſapere) ſed id operam da, ut eas intelligas.

VI. Caue, definitiones, uerbis diuerſas, ſemper re ipſa diſcrepare a ſe inuicem, exiſtimes.

VII. Caue, putes, omnes res aut poſſe definiri, aut debere.

Atque adeo definiendi pruritum, minutis nonnullis noſtrae aetatis philoſophis perquam familiarem, tantum abeſt,

abeſt, ut quisquam prudentiorum probare poſſit, ut eum potius tanto falſius quisque rideat, quanto limatius ex philoſophorum ſcholis iudicium retulit. Vid. *noſtra diſſertatio de definiendi pruritu.*

CAP. IV.
De Diuiſionibus.

§ 71.

Diuiſionem dicimus reſolutionem totius in partes ſuas. Idea, quae in partes ſuas diſtribuitur, dicitur *diuiſum*, ipſae autem partes, in quas diuiſum reſoluitur, dicuntur *membra diuidentia*. Si duo fuerint membra, diuiſio dicitur *bimembris*, ſi tribus conſtat, *trimembris*.

E. gr. Cum ſpiritum diuidimus in ſpiritum creatum, et non-creatum, tum haec diuiſio eſt bimembris.

§ 72.

Si partes ſiue membra, in quae totum diuiditur, in nouas rurſus partes reſoluis, tum *ſubdiuidere* dicēris.

Si e. gr. entia diuidis in corpora et entia ſimplicia, entia autem ſimplicia rurſus diuidis in *intelligentia* et *non-intelligentia*, tum haec noua diuiſio appellatur *ſubdiuiſio*.

§ 73.

Regulas diuiſionis his complecti iuuat poſitionibus.

I. Membra diuidentia nec plus, nec minus complectantur, quam ipſum diuiſum.

Peccas contra hanc regulam, ſi Europam diuidis in Galliam et Brittanniam.

II. Mem-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0070
DFG

II. Membra diuidentia sibi repugnent, neque unum eorum debet continere alterum.

Falso diuidis homines in eruditos et pios.

III. Membra diuidentia ex rei diuidendae natura sumantur, neque adeo sine necessitate nimis cumulari debent.

Peccant ergo, et superstitionis ineptae incusandi sunt, qui omnes disciplinae partes in puluisculos quasi secant, et subdiuisionum subdiuisiones formando, memoriam magis obtundunt, quam iuuant.

CAP. V.

De Iudiciis et Propositionibus.

§ 74.

Si ideas, quas format mens nostra, ita inter se conferimus, ut uideamus, num duae ideae inter se conueniant, uel non conueniant, tum dicimur *iudicare*. *Iudicium* ergo definimus per combinationem uel separationem idearum.

Si ideam *mundi* cum idea *optimi* ita confers, ut, mundum esse optimum, perspicias, tum iudicas.

§ 75.

Iudicium, uerbis expressum, dicitur *propositio* siue *enunciatio*.

§ 76.

Id, de quo iudicas, siue aliquid enuncias, dicitur a philosophis *subiectum*, id, quod enunciatur, appellamus *praedicatum*. Vox autem EST, per quam notionum nexus uel separatio significatur, dicitur *copula*.

E. gr.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0071
DFG

E. gr. IVLIVS CAESAR *est confossus*. In hac enunciatione subiectum est IVLIVS CAESAR, et praedicatum *confossus*, copula autem uox EST.

§ 77.

Varias propositionum species triplici illa notissimaque quaestione, *quae? qualis? quanta?* euoluunt philosophi. Ad quaestionem, *quae est propositio?* respondetur, quod sit uel *simplex*, uel *composita*. Ad quaestionem, *qualis est propositio?* respondent, quod sit uel *affirmatiua*, uel *negatiua*. At si quaeritur, *quanta est propositio?* responderi solet, est uel *uniuersalis*, uel *particularis*, uel *indefinita*, uel *singularis*.

§ 78.

Propositio simplex, quae dicitur quoque *categorica*, est, in qua praedicatum, sine ulla conditione adiecta, de subiecto enunciatur, siue quae unico subiecto et unico praedicato constat. E. gr. CICERO est eloquens.

§ 79.

Composita propositio illa dicitur, in qua uel plura simul subiecta locum habent, uel praedicata. E. gr. Deus et natura nihil faciunt frustra.

Ad propositiones compositas referunt 1) propositionem *hypotheticam* siue *conditionalem*, 2) *disiunctiuam*, 3) *copulatiuam*.

§ 80.

Conditionalem siue *hypotheticam propositionem* uocamus illam, in qua praedicatum tribuitur subiecto, sub addita aliqua conditione. E. gr. Si Deus est sapiens, eligit optimum.

Duas

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0072
DFG

Duas hic obſerues regulas: 1) *Conditio nihil ponit in eſſe.* 2) *Conditio impoſſibilis habet uim negandi.* E. gr. Si CAIVS eſt doctus, amplas conſequetur dignitates. Neque hic affirmo, CAIVM eſſe doctum, neque, eum dignitate ornari, aio. Item: Si digito caelum attigeris, magno dono cumulabere, i. e. nullum donum accipies, fieri enim nullo modo poteſt, ut caelum quis digito attingat.

§ 81.

Copulatiuam propoſitionem uerbo ET, quo ſubiecti praedicatique partes coniunguntur, et diſiunctiuam uocibus AVT, VEL, SIVE, cognoſcis.

E. gr. Deus et uoluit *et* potuit mundum optimum creare. CICERO et rerum *et* uerborum copias nobis ſubminiſtrat. En copulatiuas! *Aut*, quae legis, non uis intelligere, *aut* non potes capere. *Aut* doctus fies, *aut* indoctus manebis. En diſiunctiuas!

§ 82.

Cum modum definimus, quo praedicatum ſubiecto tribuendum eſt, tum propoſitiones a philoſophis uocantur *modales*.

Modi autem hi fere ſunt: *Neceſſe eſt, contingit, poſſibile eſt, impoſſibile eſt.* E. gr. *Neceſſe eſt*, ut, qui CICERONEM continenter legit, orationem Latinam efficiat pleniorem. *Contingit*, ut, qui optimi ſunt Grammatici, horrido perſaepe incultoque dicendi genere utantur. *Fieri poteſt*, ut ars dicendi ſit ſui cultoribus exitioſa. *Fieri non poteſt*, ut, qui habet mentem uitiis coopertam, ſit bonus orator.

§ 83.

Fit nonnunquam, ut enunciationes nonnullae, quandoquidem obſcuritate laborant, difficilesque intel-

intellectu sunt, explicatione indigeant, quae ideo *exponibiles* uocari solent.

In quibus numerari solent 1) *Exclusiuae*, quae uocabulis *solus, unicus, solum, tantum, duntaxat, &c.* ab aliis internoscuntur. E. gr. *Solus* CICERO est elegantioris latinitatis cultoribus imitatione effingendus. 2) *Exceptiuae*, his fere uocibus dignoscendae, *praeter, nisi, praeterquam, excepto, &c.* E. gr. CICERO in orationibus, nunquam, *nisi* tribus in locis, uocabula Graeca Latinis interpolauit. 3) *Restrictiua*, ubi has, limites quasi ponendi caussa, uoces adhibemus, *quatenus, qua, in quantum, quod attinet ad, quoad, &c.* E. gr. LIVIVS, *qua* orator, a uero identidem deflectit, *qua* historicus, ueritatis studium diligentius consectatur. HORATIVS, quod ad rerum sententiarumque copiam et pondus attinet, OVIDIO est praeferendus, sed eidem, quod ad uersuum dulcedinem flumenque spectat, postponendus. 4) *Comparatiuae*, quas facile agnoscis, si uoces *magis, minus, plus, &c.* in iis deprehendis. E. gr. Epistola, presso et temperato dicendi genere elaborata, magis probatur eruditis, quam quae ornamentis, longius arcessitis, cumulatur. TACITVS minus adiumenti ad Latinam linguam adfert, quam CORNELIVS NEPOS.

§ 84.

Si, *qualis* quaeque enunciatio sit, interrogaueris, tum responderi solet, est uel *affirmans* uel *negans*. Illa est, in qua praedicatum tribuitur subiecto, haec uero, in qua praedicatum remouetur a subiecto.

E. gr. LIVIVS est ciuilis eloquentiae instruendae optimus magister. Figurae, quae commotionibus animi ciendis inuentae sunt, in stilo historico non sunt adhibendae. Harum enunciationum illa affirmans est, haec negans.

Hic

Hic illud probe tenendum est, quod, si propositio negans esse debet, negationis signum NON ad copulam referendum sit, neutiquam uel ad subiectum, nel ad praedicatum. Hoc si fit, tum dicitur propositio *infinita*. *Non inepte*, i. e. apte VELLEIVS PATERCVLVS uirorum, domi militiaeque clarorum, ingenia moresque descripsit. Item: LIVIVS, CVRTIVS, SALLVSTIVS conciones ciuiles historiis suis potuerant quoque *non immiscere*.

§ 85.

Vt intelligatur, *quanta* propositio sit, eam, scias, uel *uniuersalem* esse, uel *particularem*. Illa est, cum caussa, cur praedicatum subiecto tribuitur, in subiecti natura et indole reperiunda est, si uero caussam, cur conueniat praedicatum subiecto, in alia quapiam re, extra subiectum, deprehendis, *particularis* est propositio.

Quod ut intelligas planius, haec teneto. E. gr. Omnis oratio ornata est ad oblectandum composita. Haec enunciatio est uniuersalis. Ratio enim, cur orationem ornatam ad oblectandum compositam esse ais, in orationis ornatae natura, et ut philosophi loquuntur, essentia reperitur. *Ornatum* enim orationis efficit id omne, quod eidem, placendi caussa, adiicitur, ita, ut aurium mentisque oblectatio seiungi ab ea non possit. At si dixeris: *quaedam periodus quatuor constat membris*, tum haec enunciatio est particularis. Neque enim id periodi postulat natura intrinseca, ut quatuor ex membris coagmentetur. Quid enim prohibet, quo minus duo triaue membra integram nonnunquam efficiant periodum?

Voces, *omnis* et *nullus*, tanquam signa et notae, propositionibus uniuersalibus praefigi solent, at particulari propositioni designandae inseruiunt uerba *quidam*, *quidam non*, *nonnulli* &c.

Nonnunquam fit, ut haec signa prorsus absint, tum *indefinita* nominari solet propositio. E. gr. *Stilus historicus debet esse perspicuus.* Quae indefinita oratio eandem uim habet, quam uniuersalis. Cum enim stilum historicum debere esse perspicuum, affirmas, quid aliud dicis, quam hoc: *Omnis stilus historicus debet esse perspicuus.*

Si ea, quae in propositione enuncias, de *individuo*, siue re singulari, tanquam subiecto dicuntur, tum propositio dici solet *singularis.* E. gr. VALERIVS MAXIMVS in colligendis uirtutum uitiorumque exemplis miram collocauit diligentiam.

Differentiam hanc propositionum indicarunt ueteres per quatuor uocales A. E. I. O. A significat uniuersalem affirmantem, E uniuersalem negantem, I particularem affirmantem, O particularem negantem.

§ 86.

Praeter has, quas exposuimus propositiones, aliae adhuc enunciationes supersunt, quarum quaeque in recentiorum philosophorum, et Mathematicorum in primis, scriptis peculiari suo designari solet nomine.

§ 87.

Quarum indolem ut penitius noscas, peropus est, ut illud teneas, in aliis propositionibus de subiecto uel affirmari, uel negari praedicatum, in aliis uero aliquid fieri posse affirmatur, uel fieri debere postulatur. Illae dicuntur *theoreticae*, hae *practicae.*

E. gr. *Inscriptiones ueterum multum discrepant a recentiorum inscriptionibus.* QVINCTILIANVS *est melior rhetor, quam orator.* Sunt propositiones theoreticae. Haec autem propositio: *in epistola familiari iocosum dicendi genus consectari debemus, sed ita tamen, ut ne*

πρέπον

πρέπον *neglexisse uideamur*, est practica. Exponit enim haec enunciatio, quid fieri deceat.

§ 88.

Harum propositionum utraque uel est eiusmodi, ut subiecti praedicatique nexus, sine ulla demonstratione, oppido cuiuis pateat, uel est ita comparata, ut adhuc probari debeat. Sin illud locum habuerit, tum dicitur propositio *indemonstrabilis*, sin hoc, *demonstrabilis*.

E. gr. *Oratio pulchra debet esse apta*, i. e. *rerum dicendarum naturae accommodata*. Haec propositio est demonstrabilis, potest enim eius ueritas ex definitione orationis *pulchrae* et orationis *aptae* demonstrari. At si dixeris: *fieri non potest, ut, quod est, idem simul non sit*, propositionem profers, quae cuiuis ita manifesta est, ut nulla opus sit demonstratione.

§ 89.

Propositio indemonstrabilis theoretica uocatur *Axioma*, (ein Grundsatz).

Talis est haec: *Fieri non potest, ut idem simul sit et non sit*. Item omnes propositiones, quae unica nituntur definitione, a philosophis et mathematicis uocantur axiomata. Sit, exempli loco, haec definitio: *Eloquentia est facultas pulchre loquendi*. Hinc haec deducas, licet, axiomata. 1) *Qui eloquentia gaudet, gaudet facultate pulchre loquendi*. 2) *Sine facultate pulchre loquendi nulla potest esse eloquentia*. 3) *Quo quis pulchrius loquitur, eo eloquentior iudicandus est*.

§ 90.

Postulatum (ein Heischsatz) dicitur propositio practica indemonstrabilis, ex unica definitione deducta.

E. gr. Si ex definitione *eloquentiae* has deduxeris positiones: *qui uult eloquentiam consequi, debet id agere, ut ad facultatem pulchre loquendi perueniat.* Item: *quisquis alteri uiam ad eloquentiam monstrare uult, debet alterum rationem pulchre dicendi docere;* tum hae propositiones dicuntur *postulata.*

§ 91.

Theorema (ein Lehrsatz) est propositio theoretica demonstrabilis.

Theoremata ex duabus uel pluribus definitionibus, inter se collatis, eruuntur. Exempli loco hae esse possunt enunciationes. *Oratio ornata est etiam copiosa. Eloquentia nititur clara et distincta rerum enunciandarum cognitione.* Harum propositionum nexus demonstratur ex definitione *orationis ornatae* et orationis *copiosae*, item ex definitione *eloquentiae* et *cognitionis rerum distinctae.*

§ 92.

Problema (eine Aufgabe) dicitur propositio practica demonstrabilis.

E. gr. Si quaeras: *quo ordine sint auctores classici legendi*, item: *qua ratione sit conficiendus sermo panegyricus*, tum hae propositiones dicuntur *problemata.*

§ 93.

Corollaria siue *Consectaria* (Folgerungssätze, Zugaben) dicuntur propositiones, quae ex aliis necessaria consecutione conficiuntur.

E. gr. *Vera eloquentia omnibus animi commotionibus ciendis sedandisque sit accommodata.* Ergo *etiam amori, odio, irae, spei, metui, uel reprimendis uel concitandis apta sit, necesse est.*

§ 94.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0078
DFG

§ 94.

Singulis his propositionum generibus addi solent *Scholia* (Anmerckungen) quae illustrant ea, quae adhuc obscura uideri poterant.

Si e. gr. de orationis *soloecismis* exposueris, et, nonnullis subnexis animaduersionibus, uel originem huius uocis uel eiusdem uim, lectorum animis oculisue subieceris, tum notas has siue obseruationes dicere consueuimus scholia.

§ 95.

Lemma (ein Lehnsatz) dicitur propositio ex aliena disciplina desumta, et in subsidium adhibita ad demonstrationem alicuius propositionis in disciplina, quam tractamus, obuiae, absoluendam.

E. gr. Si in arte oratoria hoc effatum demonstrare uelles: *Ornatus orationis debet cedere eiusdem perspicuitati*, ad hoc autem demonstrandum in subsidium uocares propositionem illam metaphysicam: *Nonnunquam est exceptio facienda a regula perfectionis*; tum haec propositio dicitur *lemma*.

§ 96.

Sequitur, ut addamus nonnulla de propositionum, quas uocant, *affectionibus*, quo pertinent α) *Oppositio*, β) *Subalternatio*, γ) *Conuersio*, δ) *Aequipollentia*.

§ 97.

Oppositio est propositionum inter se pugnantium collatio, ubi una affirmat, quod negat altera.

E. gr. Has inter propositiones est oppositio: *Epistola est colloquium absentis cum absente: Epistola non est colloquium absentis cum absente.* Harum oppositionum alia

est *contraria*, *contradictoria* alia, alia denique *subcontraria*.

§ 98.

Propositiones, quarum una uniuersaliter negat, quod altera uniuersaliter affirmat, de eodem subiecto, dicuntur *contrariae*.

E. gr. *Omnes scriptores latini calamistratum dicendi genus amant. Nulli scriptores latini calamistratum dicendi genus amant.* Facile uides, contrariarum propositionum utramque falsam esse posse, at nunquam utramque ueram.

§ 99.

Contradictoria propositio, quae idem praedicatum de eodem subiecto et affirmat, et negat.

E. gr. *Omnis barbarismus dictionem latinam foedat, quidam barbarismus dictionem non foedat.* Harum contradictoriarum propositionum alteram semper ueram, alteram falsam esse, scito.

§ 100.

Subcontraria denique oppositio est inter duas particulares propositiones.

E. gr. *Quidam humanioris literaturae studiosus commodis facillimisque moribus est, quidam humanitatis studiosus non est commodis moribus.*

§ 101.

Ad propositionum affectiones pertinet quoque *subalternatio*, quae est relatio uniuersalis propositionis atque particularis inter se, quae idem subiectum idemque praedicatum habent. Vbi propositio uniuersalis dicitur *subalternans*, particularis autem propositio, uocatur *subalternata*.

E. gr.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0080
DFG

E. gr. *Omnia poetarum ueterum ſcripta delectant: quaedam ueterum poetarum ſcripta delectant.* Prior dicitur ſubalternans, poſterior ſubalternata.

§ 102.

Conuerſio dicitur talis mutatio propoſitionum, ubi ſubiectum fit praedicatum.

E. gr. *Omnia ea, quae pertinent ad humanitatis ſtudia, elegantioris latinitatis culturam iuuant, omnia ea, quae elegantioris latinitatis culturam iuuant, pertinent ad humanitatis ſtudia.*

§ 103.

Supereſt aequipollentia propoſitionis. Propoſitiones dicuntur *aequipollere*, quae uerbis quidem diſcrepant, ſed ſenſum eundem habent.

E. gr. *Nemo, niſi Graece doctus, ad interiorem linguae latinae notitiam perueniet. Quiduis potius, quam latine uel ſcribendi uel dicendi facultatem, ſibi polliceri poterit, qui literarum Graecarum expers eſt.*

§ 104.

Regulas, iuuentuti, meliorum literarum ſtudioſae, in iudiciis formandis, perquam utiles ſubnectam.

I. Quandoquidem cuiusque hominis uel ſapientia uel ſtoliditas iudicando maxime perſpicitur, parcior eſto in iudicando, ſi quidem ludibrio exponi nolis.

Pertinet huc illud: Si tacuiſſes, philoſophus manſiſſes.

II. De nulla re, niſi quam diſtincte intelligis, iudicato.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0081
DFG

III. In omnibus iudiciis uel tuis, uel aliorum probe uideas cauſſam et rationem, cur hac potius notiones coniungantur nec aliae, cur hoc modo combinentur nec alio.

Plura infra de praeiudiciis adferentur.

CAP. VI.

De Ratiocinatione et Syllogiſmo.

§ 105.

Ad tertiam mentis operationem accedimus, quae eſt *ratiocinatio*. Haec tum ſe exſerit, cum mens ex duabus propoſitionibus tertiam elicit. Ratiocinatio uero, uerbis expreſſa, dicitur *ſyllogiſmus*.

E. gr. *Quicunque affectibus ſeruit, is non eſt liber,*
Atqui auarus affectibus ſeruit.

Ex his duabus propoſitionibus inter ſe comparatis eruis hanc tertiam. *Ergo auarus non eſt liber.* Hunc ſyllogiſmum eleganter HORATIVS, immutatis paullisper propoſitionibus, ita enunciat.

Quî melior ſeruo, quî liberior ſit auarus,
In triuiis fixum cum ſe demittit ob aſſem,
Non uideo. Nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens uiuit, liber mihi non erit unquam.
Epiſt. XVI l. 1 v. 63.

§ 106.

Mens in ratiocinando adornandisque ſyllogiſmis ita fere procedere ſolet.

I. Si rem aliquam ad genus uel ſpeciem referimus, tum omne illud, quod de genere uel

uel ſpecie dicitur, dicimus quoque de re illa, ſub genere contenta.

E. gr. *Temperantiam* referimus ad genus, nimirum VIRTVS. Omne itaque illud, quod de uirtute dici poteſt, dici quoque debet de temperantia, hunc fere in modum.

Virtus felicitatem hominis amplificat,
Temperantia eſt virtus, E.
Temperantia felicitatem hominis amplificat.

II. Ad ſequentem quoque cogitandi ordinem mens in ratiocinando conformari ſolet: Si definitionem rei alicui tribui poſſe, obſeruamus, eidem quoque definitum conuenire iudicamus.

E. gr. Deprehendo in CAIO α) peritiam ueteres ſcriptores interpretandi, β) ſententiam de illis ferendi, γ) vera a falſis, germana ab affictis internoſcendi, δ) locos corruptos caſtigandi in priſtinamque uindicandi integritatem. Hae notae cui competunt, ille eſt *criticus*, E. CAIVS *eſt criticus.*

§ 107.

Vt iuuenes totam illam de ſyllogiſmis tractationem facilius capiant, ſuaſerim iis, ut ſyllogiſmum, ſub aedificii cuiusdam imagine, concipiant. Quicquid ſcilicet ad aedificium conſtruendum pertinet, id omne in explicandis ſyllogiſmis occurrit.

Ad aedificium requiritur

1) *Fundamentum*,
2) *Materia*, ex quo aedificium coagmentetur,
3) *Forma*, ſiue apta materiae diſpoſitio,
4) *Regulae*, ad quas aedificium exſtruitur.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0083
DFG

Haec omnia itidem reperis in syllogismo. De his omnibus nunc sigillatim exponemus.

§ 108.

FVNDAMENTVM syllogismorum est DICTVM DE OMNI, siue haec propositio: *quicquid dicitur de OMNI, siue de genere, uel specie, dicitur etiam de singulis, siue de iis, quae generis uel speciei notione continentur.*

E. gr. *Omnis uirtus nos felices reddit*, E. *etiam castitas. Omnis spiritus est intelligendi ui praeditus*, E. *etiam anima humana.*

DICTVM autem de NVLLO dicitur hoc effatum, *quicquid negatur de omnibus, negatur etiam de singulis.*

§ 109.

Materia, ex qua componuntur syllogismi, termini sunt et propositiones.

§ 110.

Tres autem termini sunt, ex quibus omnes syllogismi constant. Hi dicuntur terminus *maior*, terminus *minor* et terminus *medius*.

§ 111.

Praedicatum conclusionis siue eius propositionis, quae ex duabus praemissis propositionibus colligitur, uocatur *terminus maior*.

E. gr. *Quaecunque lingua Scripturae S. interpretandae inseruit, illa est utilis. Atqui Graeca lingua Scripturae S. interpretandae inseruit*, E. *Graeca lingua est utilis.*

Vtilis est in hoc syllogismo maior terminus, est enim praedicatum conclusionis. Praedicatum autem

autem ideo dicitur terminus *maior*, quia praedicatum est maioris extensionis, et potest ad plura applicari, quam subiectum.

§ 112.

Minor terminus est subiectum conclusionis, e. gr. in allato syllogismo minor terminus est, *Graeca lingua.*

§ 113.

Terminus autem ille, in quo ratio sufficiens est, cur praedicatum cum subiecto connectatur, uocatur *terminus medius.*

E. gr. Si quaeris rationem, *cur lingua Graeca sit utilis*, habes eam in his uerbis: *quia Scripturae Sacrae interpretandae inseruit.* En medium terminum! Ideo dicitur *medius*, quia, hoc mediante, praedicatum conclusionis cum subiecto connectitur.

§ 114.

Quemadmodum ad omnem syllogismum constituendum tres requiruntur termini, sic tres quoque propositiones adsint necesse est, si syllogismus omnibus numeris expletus esse debet.

§ 115.

Prima harum propositionum dicitur *maior*, altera *minor*, tertia *conclusio.*

§ 116.

Maior propositio dicitur illa syllogismi propositio, in qua terminus maior, siue praedicatum conclusionis connectitur cum medio termino. E. gr. Nostri syllogismi propositio prima est maior propositio:

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0085
DFG

positio: *quaecunque lingua Scripturae Sacrae interpretandae inseruit, ea est utilis.*

Haec a CICERONE dicitur propositio κατ' ἐξοχήν.

§ 117.

Propositio minor est, in qua terminus minor siue subiectum conclusionis connectitur cum medio termino.

Dicitur quoque minor propositio a nonnullis *assumtio.* Maior autem et minor propositio uocantur *praemissae.*

§ 118.

Conclusio dicitur ea syllogismi propositio, quae ex combinatione terminorum, in praemissis syllogismi diuersorum, formatur.

E. gr. Omnis eruditus honoratur, (*en maiorem propositionem*) CAIVS est eruditus, (*en minorem propositionem*) E. CAIVS honoratur (*en conclusionem!*)

§ 119.

Hactenus de syllogismorum materia. Iam ad terminorum propositionumque dispositionem siue FIGVRAM accedamus, quam dicimus dispositionem medii termini cum subiecto et praedicato conclusionis.

§ 120.

Quot itaque modis medius terminus cum subiecto et praedicato conclusionis in praemissis potest disponi, tot habes syllogismi figuras. Atqui uero in syllogismo medius terminus non pluribus modis, quam quatuor potest disponi cum subiecto et praedicato conclusionis, E. quatuor tantum, nec plures, inde existunt figurae.

Trans-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0086
DFG

Transponas medium terminum cum subiecto et praedicato conclusionis his modis

1 figur.	2 figur.	3 figur.	4 figur.
M. P.	P. M.	M. P.	P. M.
S. M.	S. M.	M. S.	M. S.

§ 121.

Si medius terminus fuerit maioris propositionis subiectum, et praedicatum minoris propositionis, syllogismus PRIMAE, si medius terminus bis praedicatum fuerit, SECVNDAE, si bis loco subiecti, TERTIAE, si denique medius terminus in maiore propositione fuerit praedicatum, in minore subiectum, QVARTAE figurae esse dicitur.

Syllogismus *primae figurae* est hic

O. *homo* peccat,
CAIVS est *homo*, E.
CAIVS peccat.

Secundae figurae.

O. res creata *habet limites*,
Deus non habet *limites*, E.
Deus non est res creata.

Tertiae figurae.

O. *Spiritus* intelligendi facultate praeditus est,
Quidam *Spiritus* est creatus, E.
Qu. quod creatum est, intelligendi facultate praeditum est.

Quartae figurae.

O. oratio ornata placet,
O. quod placet, est pulchrum, E.
Quoddam, quod pulchrum est, est oratio ornata.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0087
DFG

Harum figurarum prima est praestantissima maximeque naturae consentanea, atque adeo uel sola nonnullis ad legitime ratiocinandum sufficiens esse uidetur.

§ 122.

Regulas, quibus ratiocinandi ars dirigitur, his complectemur positionibus.

I. *Syllogismus non plures debet habere terminos quam tres.* Syllogismus enim est ratiocinium uerbis expressum (§ 105.) ratiocinium autem oritur ex comparatione duarum idearum cum tertia, (§ 105.) intelligis ergo, non plures conceptus terminosque ad ratiocinium et syllogismum requiri, quam tres.

Irrepere saepenumero solent quatuor termini per *aequiuocationem uocis*, e. gr.

Homo est species,
CICERO est homo, E.
CICERO est species.

In maiori propositione homo sumitur *logice* pro conceptu siue notione hominis, in minore pro ipsa hominis substantia.

II. *Nec ex puris particularibus, nec ex meris negantibus propositionibus, quicquam sequitur.* Si enim conclusio est particularis, una propositio debet esse uniuersalis, quia, ui dicti de OMNI, ita ratiocinandum est: quicquid dicitur de omnibus, dicitur etiam de singulis. (§ 108.)

Si conclusio est negans, alterutra praemissarum debet esse affirmans, si enim de specie uel indiuiduo quid negas, ideo, quia idem de genere negas, ostendendum tibi est, speciem sub genere contineri.

Perperam

Perperam rationes subducis, si ita argumentaris:

Quidam orator est philosophus,
Quidam orator non est philosophus,
E. quidam philosophus non est philosophus.

Item contra regulam peccas hoc modo:

N. oratio obscura placet,
N. oratio perspicua est obscura, E.
N. oratio perspicua placet.

III. *Non debet medius terminus ingredi conclusionem.* Medius enim terminus est terminus communis praemissarum (per def.) conclusio uero est combinatio terminorum a praemissis diuersorum. E. medius terminus in conclusionem ingredi non debet.

E. gr. O. bonus miles est bonus homo,
HANNIBAL est bonus miles, E.
HANNIBAL est bonus homo.

IV. *Non debet esse in conclusione plus minusue, quam fuit in praemissis.* Si enim plus addideris uel subiecto uel praedicato conclusionis, quam fuit in praemissis, tum ideae terminique noui inde existunt, atque adeo irrepunt quatuor termini, quod est contra regulam I.

Exemplo regulam illustrabimus:

Qui studia humanitatis colit, eloquentiam quoque amat,
Atqui BVRMANNVS studia humanitatis colit,
E. eloquentiam *morumque elegantiam* amat.

V. *Conclusio sequi debet partem debiliorem*, i. e. *si una praemissa fuerit uel particularis, uel negans, tum conclusio quoque debet esse uel particularis*

ticularis uel negans. Si enim concluſio eſſet uniuerſalis, et una praemiſſarum eſſet particularis, tum ex propoſitione particulari deduceretur concluſio uniuerſalis, atque adeo in concluſione plus eſſet, quam in praemiſſis. Propoſitio enim uniuerſalis plus ſemper continet, quam propoſitio particularis.

Minus recte ratiocinando procederes hoc modo:

O. qui bene dicit, bene cogitat,
Quidam homo bene dicit, E.
Omnis homo bene cogitat.

Has regulas dicimus generaliores, quia omnes ſyllogiſmi, cuius demum cunque ſint figurae, ad earum normam ſunt exigendi.

§ 123.

Specialiores leges, quibus conformantur ſyllogiſmi *primae figurae*, hae fere ſunt:

I. *In prima figura maior propoſitio ſemper debet eſſe uniuerſalis.* Poſtulat id dictum de OMNI, quod ſi fundamenti loco ſubſterni debet, ut debet, a propoſitione uniuerſali ratiocinatio ordienda eſt.

Non locum habet haec ratiocinatio:

Quaedam ſubſtantia eſt corpus,
O. Spiritus eſt ſubſtantia, E.
Quidam ſpiritus eſt corpus.

II. *In prima figura minor propoſitio debet eſſe affirmans, non negans.* Dictum enim de nullo requirit, ut, quod negatur de genere A in propoſitione maiori, idem negetur de ſpecie C in

in conclusione (§ 108.) cum uero in conclusione non possis de specie C negare id, quod in maiori propositione de genere A negasti, nisi ostenderis in minori propositione, speciem C contineri sub genere A, patet, minorem propositionem, ui Dicti de Nullo debere esse affirmatiuam.

Falso ita ratiocinaris:
Quicunque cogitat, ille est,
Atqui hic mundus non cogitat, E.
Hic mundus non est.

§ 124.

Regulas secundae tertiaeque figurae his propositionibus includo.

I. In secunda figura maior propositio debet esse uniuersalis, et conclusio negans.

II. In tertia figura propositio minor semper sit affirmans, et conclusio particularis.

§ 125.

Sequitur, ut de syllogismorum modis pauca adferam. Quae ergo hic scitu necessaria putamus, his propositionibus complectemur.

I. Scimus, propositiones in qualibet figura, secundum quantitatem et qualitatem, alia aliaue ratione, disponi.

II. Nouas hinc oriri syllogismorum species, comperimus.

III. Nouas has syllogismorum species, sub certa figura, tanquam sub genere comprehensas dicimus *syllogismorum modos*.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0091
DFG

IV. *Modus* ergo definitur per dispositionem trium propositionum secundum has quatuor differentias, A. E. I. O.

Hac quatuor uocales diuersitatem propositionum, ratione quantitatis et qualitatis, indicant. A scilicet indicat uniuersalem affirmantem propositionem, E uniuersalem negantem, I particularem affirmantem, O particularem negantem.

V. Scholastici uocabulis quibusdam illos modos expresserunt, in quibus uocales quantitatem et qualitatem propositionum significant, literae autem consonae ideo sunt adiectae, ut memoriae consuleretur.

Vocabula haec sequentibus uersibus comprehenduntur:

Primae figurae modi,

bArbArA, cElArEnt, *primae*, dArII fErIOque.

Modi secundae figurae,

cEsArE, cAmEstrEs, fEstInO, bArOccO, *secundae.*

Modi tertiae figurae,

Tertiæ, grande sonans, recitat: dArAptI, fElAptOn adiungens dIsAmIs, dAtIsI, bOcArdO, fErIsOn.

Exempla omnium modorum adduximus in institutionibus philosophiae nostrae rationalis p. 194.

CAP. VII.

De Syllogismis minus ordinariis, itemque consequentiis, quas uocant, immediatis.

§ 126.

Fit nonnunquam, ut in syllogismo aliae propositiones omittantur, transponantur aliae, totusque

que adeo ratiocinationis ordo inuertatur. Quod cum fit, syllogiſmus dicitur *crypticus*, quia latet ratiocinandi ordo formaque occultatur.

§ 127.

Occultatur autem ordinaria forma

I. Per *propoſitionum transpoſitionem*, e. gr.

Minor: Ira eſt affectus,

Mai. Omnis affectus eſt compeſcendus, E.

Concluſ. Ira eſt compeſcenda.

II. Per *propoſitionum aequipollentiam*, ita, ut eaedem res uerbis aliis elegantusque enuncientur.

Exemplum reperies in TERENTIO, *in Eunuch. Act. I ſc. 1.*

Here, inquit, *quae res in ſe neque conſilium, neque modum*

Habet ullum, eam conſilio regere non potes (habes maiorem propoſitionem)

In amore haec omnia inſunt uitia: iniuriae,

Suſpiciones, inimicitiae, induciae,

Bellum, pax rurſum, (en minorem propoſitionem!)

Incerta haec, ſi tu poſtules,

Ratione certa facere, nihilo plus agas,

Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias. (en concluſionem!)

Hunc ſyllogiſmum Terentianum, ornate ſatis et eleganter, enunciatum, dialecticus paucis et, nullo ornatu ueſtitis, uerbis ita exprimit:

Quaecunque res conſilii modique expers eſt, ea conſilio modoque regi non poteſt,

Atqui amor conſilii modique expers eſt, E.

Amor conſilio modoque regi non poteſt.

III. Forma ratiocinandi ordoque occultatur, si alterutra praemissarum prorsus abiicitur et omittitur.

E. gr. Ex historia bene uiuendi exempla sumuntur, E. est lectu perutilis. Supplenda hic est maior propositio.

§ 128.

Quoties in syllogismo una praemissarum deest, toties eiusmodi syllogismus dicitur *Enthymema*.

Ab ἐνθυμέομαι, *cogito*, propterea, quod aliquid hic in mente retinetur, ut in Arithmeticis. Elegans enthymema est illud, quo IVLIVS CAESAR, de sociis coniurationis Catilinariae sententiam rogatus, apud SALLVSTIVM utitur:

Mai. Omnes homines, inquit, *qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia uacuos esse decet.*

Sequitur conclusio: *Hoc item uobis prouidendum est, P. C. ne plus ualeat apud uos* LENTVLI *et ceterorum scelus, quam uestra dignitas, neu magis irae uestrae, quam famae, consulatis.*

Minor propositio deest: *Atqui uobis est de rebus dubiis consultandum.*

§ 129.

Ad syllogismos, qui ab usitata forma ordineque recedunt, referimus quoque *syllogismos compositos*, in quibus uel una, uel ambae praemissae sunt propositiones compositae.

Quid sint propositiones compositae, iam supra indicauimus § 79.

§ 130.

Cum propositio composita triplicis sit generis (§ 79.) syllogismum quoque compositum triplicem esse

esse patet. Alius est *conditionalis* siue *hypotheticus*, alius *disiunctiuus*, alius copulatiuus.

§ 131.

Syllogismus hypotheticus siue conditionalis est, si maior propositio fuerit hypothetica. E. gr. Si homo ratione gaudet, sequitur, ut causas rerum et consequentias perspicere, futuraque cum praesentibus connectere possit. Atqui homo gaudet ratione, E. homo quoque causas rerum et consequentias perspiciat necesse est.

§ 132.

De syllogismo hypothetico siue conditionali haec teneto:

I. Ea propositio, cui uox *si* praefixa est, dicitur *antecedens*.

II. Ea propositio, in qua praedicatum subiecto illi, quod sub conditione enunciatur, competit, dicitur *consequens*.

III. Ipse autem nexus inter subiectum et praedicatum, uocatur *connexio* siue *consequentia*.

IV. Syllogismus hypotheticus his modis concinnatur, α) *ponit*, i. e. affirmat antecedens, ut inde concludat consequens, β) tollit seu negat consequens, ut tollat uel neget antecedens.

Quae omnia ut intelligas rectius, exemplum addam. *Si homo ad decus et libertatem natus est* (hactenus antecedens) *sequitur, ut animum abiectum et seruilem abiicere debeat* (en consequens) ipse autem nexus duas has inter propositiones dicitur *consequentia*. *Atqui homo ad decus et libertatem natus est* (hic pono uel

affirmo antecedens) *E. homo animum abiectum & seruilem abiicere debet* (pono inde et concludo consequens). Exemplum posterioris modi: *Si propter abusum rei alicuius usus non est concedendus, sequitur, ut ipsa Scripturae Sacrae lectio sit interdicenda, Atqui posterius est falsum,* (tollit seu negat hic consequens) *E. et prius.*

V. Falso in syllogismo hypothetico ratiocinaris, si α) ex eo, quod negasti et remouisti antecedens, consequens quoque remoueris. Si β) ex eo, quod affirmasti et pro uero sumsisti consequens, antecedens quoque affirmaueris.

Ecquis te ita ratiocinantem ferre poterit: *Si mundus cogitat, sequitur ut existat. Atqui mundus non cogitat, E. mundus non existit.* Vel hoc modo: *Si mundus cogitat, sequitur, ut existat. Atqui mundus existit, E. mundus cogitat.*

§ 133.

Syllogismus *disiunctiuus* est, in quo propositio maior est disiunctiua.

Quid sit propositio disiunctiua, exposuimus § 81. Exemplum syllogismi disiunctiui hoc est: *Aut anima est res creata, aut est ipse creator. Sed non est ipse creator, E. est res creata.*

§ 134.

De syllogismo disiunctiuo haec obserues:

I. *Plena debet esse membrorum disiunctorum enumeratio.* E. gr. *Profanae gentes aut ex ratione, aut ex reuelatione perspectum habebant, idolis esse immolandum.* Addi poterat membrum disiunctum: *ex traditione et praepostera Iudaeorum imitatione.*

II. *Mem-*

II. *Membra disiuncta sibi debent esse opposita, et ita quidem, ut una stare non possint.* Falsa hinc est haec opponendi ratio: Aut homo est pius, aut doctus.

§ 135.

Syllogismus *copulatiuus* ita conficitur, ut

I. maior propositio sit negans,

II. ut minor propositio duas propositiones per copulam connectat, ut

III. harum alteram minor propositio adfirmet,

IV. alterum uero neget conclusio.

E. gr. *Nemo simul potest rationem sequi, et cupiditatibus seruire,*
Quidam homines cupiditatibus suis seruiunt, E.
Quidam homines non possunt sequi rationem.

§ 136.

Si in argumentatione propositiones conditionales cum disiunctiuis connectimus, oritur hinc noua ratiocinatio, quae uocatur *dilemma*. *Dilemma* est syllogismus hypotheticus, cuius consequens est propositio disiunctiua, et totum tollitur.

E. gr. Elegans est dilemma, quo, teste CVRTIO, usi sunt Scythae, cum ALEXANDRVM M. alloquerentur. *Aut Deus es aut homo. Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere. Sin autem homo es, id quod es, semper esse te, cogita. Lib. VII cap. 8.*

Dilemma dicitur quoque syllogismus *cornutus*, item syllogismus *crocodilinus*. Cur ita uocetur, rationem uide in WALCHII Lexico philos. Artic. *Dilemma* p. m. 516. Dilemmatis reciproci exemplum uide apud

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0097
DFG

GELL. noctib. Attic. lib. 5 c. 10. Haec ratiocinatio si duo tantum membra disiunctiua in minori propositione transsumit quidem, sed deinde destruit, dicitur *dilemma*, si tria, uocatur *trilemma*, si quatuor, *tetralemma* nominatur. Exemplum *tetralemmatis* praebet heroica illa responsio FRIDERICI SAPIENTIS, Electoris Saxoniae, qui, monitus, ne in emendandis sacris, iram odiumque Papae sibi contraheret, respondit: Ist der Pabst GOtt, so begehre ich seine Lehre zu fördern, und habe also mich nicht vor ihm zu fürchten. Ist er ein blosser Mensch, so habe ich Hertzens genug, mich gegen ihn zu wehren. Ist er aber der Widersacher GOttes, so achte ich seiner Feindschafft nicht, sondern verlange vielmehr dieselbe, weil ich Christi Freund nicht seyn kann, wenn ich ihn nicht zum Feinde habe. Will er kriegen, so habe ich Christum auf meiner Seite, und kann gewissen Sieg hoffen, weil ich durch Leben und Sterben die Herrlichkeit GOttes preisen werde. Conf. der Sächsische Helden-Saal p. 159 Tom. II.

§ 137.

Alia syllogismi species, quae ab usitato ordine recedit. Dicitur haec *inductio*. Ad inductionem requiritur, ut

α) Alicuius rei rei partes enumerentur, β) ut, quod de omnibus alicuius rei partibus uel adfirmatur, uel negatur, idem de tota re adfirmetur uel negetur. Inductionem itaque uocamus modum ratiocinandi, ubi, quod de singulis inferioribus adfirmatur negaturque, idem de superiori uniuerse infertur.

E. gr. Temperantia, fortitudo, sobrietas, castitas, placabilitas &c. amplificant hominis felicitatem, ergo omnis uirtus hominis felicitatem amplificat. Scythae eiusmodi inductionem adhibebant, his ad ALEXAN-

XANDRVM M. usi uerbis: *Omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti: Syriam occupasti: Persidem tenes: Bactrianos habes in potestate: Indos petisti: iam etiam ad pecora nostra auaras et instabiles manus porrigis.* Vid. CVRT. *Lib. VII c. 8.*

Per inductionem argumentatur itidem CICERO hoc modo: *Quod si*, inquit, *nec earum rerum, quae subiectae sensibus sunt, ulla diuinatio est, nec earum, quae artibus continentur, nec earum, quae in philosophia disseruntur, nec earum, quae in republica uersantur, quarum rerum sit, nihil prorsus intelligo. Lib. II de diuinat. cap. 4.*

§ 138.

Sorites, qui a CICERONE *acerualis argumentatio* dicitur, est plurium propositionum ea connexio, ut prioris praedicatum semper sit posterioris subiectum.

E. gr. *O. anima humana est ens simplex,*
O. ens simplex est indiuisibile,
O. ens indiuisibile est indestructibile.
O. ens indestructibile perpetuo durat,
E. O. anima humana perpetuo durat.

Hunc soriten eleganter CICERO his enunciat uerbis: in animi cognitione dubitare non possumus, nisi in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex (haec est minor propositio). Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur (audis conclusionem). Est enim interitus quasi discessus, et secretio, ac direptus earum partium, quae ante interitum iunctione aliqua tenebantur. (en maiorem propositionem!) *L. I Quaest. Tusc. c. 29.*

§ 139.

In sorite haec duo potissimum sunt uitanda:

I. Cauendum est, ne falsa propositio immisceatur,

II. Ne omnes propositiones sint negantes.

§ 140.

Epicherema est eiusmodi syllogismus, cuius propositioni uel maiori, uel minori, uel utrique, compendii caussa, adiicitur probatio.

Audiamus Epicherema CICERONIS:

Maior. Qui uirtute praediti sunt, soli sunt diuites. Probatio additur. Soli enim possident res et fructuosas, et sempiternas, solique quod est proprium diuitiarum, contenti rebus suis, satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt.

Conclusio. Improbi autem et auari, quoniam incertas, atque in casu positas res habent, et plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui, quod haberet, esset satis; non modo non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes aestimandi sunt. Paradox. Cap. III.

DIALECTICVS haec ita dixerit:

Qui uirtute praeditus, is est diues,
Auarus non est uirtute praeditus, E.
Auarus non est diues.

§ 141.

Restat, ut de consequentiis immediatis, quas uocant, pauca adferam. Est autem *consequentia immediata* eiusmodi modus ratiocinandi, quo, una propositione posita, simul poni alteram, per rationes logicas manifestum est.

E. gr. Historia est alter oculus eruditionis. E. qui historiae est expers, altero eruditionis oculo destituitur. Item: uerum est, animam humanam esse immortalem. E. falsum est, eam destrui.

PARS

PARS II
De Vsu Logicae.

CAP. I.
De Veritate in genere.

§ 142.

Logicae est, uiam monstrare, qua uerum et inueniri possit, et examinari rite, quoque adeo modo tribus mentis operationibus, quas exposuimus, et in inuenienda, et diiudicanda ueritate recte uti deceat. Quid ergo sit *ueritas*, explicemus ante, necesse est.

§ 143.

Alia ueritas est *metaphysica*, alia *ethica*. Si e. gr. aurum ea omnia habet, quae ad aurum constituendum pertinent, tum aurum uerum aurum est, at *metaphysice*. Si ita loqueris, ut sentis, neque adeo sermo a mente discordat, *uerum* loqui diceris. Haec ueritas est *ethica*. Si denique rem ita nobis repraesentamus, uti in se est, ueritas Logica repraesentationibus nostris inesse dicitur.

§ 144.

Veritas ergo *Logica* est conuenientia cogitationum nostrarum cum re ipsa.

E. gr. Si affectum *spei* ita tibi mente repraesentes, ut cogites, spem esse gaudium ob futurum bonum, ueritate gaudes. Respondet enim notio, quam de spe formas, rei repraesentatae.

§ 145.

§ 145.

Veritas Logica reperitur

I. In *ideis*, cum scilicet conueniunt cum re cognita.

II. In *iudiciis* et *enunciationibus*, cum adfirmanda affirmas, et neganda negas.

III. In *ratiociniis* et *syllogismis*, si et praemissae fuerint uerae, ex quibus conclusio fluit, et regulae ratiocinandi nexusque legitime obseruentur.

Sunt interdum praemissae uerae, at conclusio falsa. Sed hoc fit tum, cum regulae ratiocinandi fuerint neglectae, quas si diligentius obseruaueris, fieri non potest, quin ex praemissis ueris uera sequatur conclusio.

CAP. II.

De iis quae ueritati aduersantur, Falsitate, Errore, Praeiudiciis et Fallaciis.

§ 146.

Falsum generatim definimus per disconuenientiam cogitationum cum re quam cogitamus.

E. gr. Cum coelum tibi repraesentas, tanquam fornicem ex crystallo uel alia materia coagmentatum, cui stellae affixae sunt, falsa est tua cogitatio.

§ 147.

Falsum reperitur

I. In *ideis*, cum hae rei repraesentatae non sunt conformes.

II. In

II. In *iudiciis*, si neganda affirmas, et affirmanda negas.

III. In *ratiociniis*, cum uel falsae propositiones praestruuntur, ex quibus conclusio deducitur, uel nexus praemissarum et conclusionis, neglectis recte ratiocinandi regulis, turbatur.

§ 148.

Si quis propositionem ueram pro falsa habet, aut falsam pro uera, atque adeo iudicia confundit, is *errare* dicitur, ut ita *error* recte dicatur confusio iudiciorum.

E. gr. Haec enunciatio: *Cum eloquentia philosophia est coniungenda*, uera est. Quam si quis pro falsa habuerit, negaueritque, eloquentiam esse cum philosophia coniungendam, tum errat.

§ 149.

Qui committitur in iudicando error, dici solet *praeiudicium*, *praeiudicata* item et *praeconcepta opinio*.

Error in iudicando, per praecipitantiam commissus, ideo appellari uidetur *praeiudicium*, uel quia praeiudicia iudicium sanae rationis certum antecedunt, uel quia committuntur ante, quam iudicium peruenerit ad maturitatem. Non itaque incommode cum CICERONE praeiudicatam opinionem illam esse dixeris, cum falsae rei, uel non satis cognitae temere assentimur.

§ 150.

Vario modo in iudicando error solet committi. Varia ergo sunt praeiudiciorum genera, ut hic cum HORATIO *serm. Lib. I sat. 1* recte exclames,

Cetera

Cetera de genere (adeo sunt multa) loquacem Delassare ualent Fabium.

Dispesci solent praeiudicia α) ratione *obiecti* siue rei, de qua iudicas. Hoc sensu praeiudicia sunt uel theologica, uel iuridica, medica, philosophica, philologica, cetera, β) ratione temporis diuidi possunt in praeiudicia infantiae, adolescentiae, aetatis uirilis et senilis, γ) ratione originis et fontis, ex quo manant, in praeiudicia *auctoritatis humanae, praecipitantiae, proprietatis, confidentiae, diffidentiae*, quo pertinent praeiudicia *sectae, receptae hypotheseos siue doctrinae, familiae, nationis, patriae, antiquitatis, nouitatis* et innumera alia.

Horum praeiudiciorum unumquodque si secundum omnes partes distincte consideraueris, deprehendes falso quodam ratiocinio illud effici. Sic, qui praeiudicio auctoritatis occupati sunt, ita rationes suas conficiunt.

Quicquid hic illeue magnae auctoritatis eruditionisque uir affirmat, illud est uerum. Atqui hoc illudue hic uel ille eruditus uir, e. gr. THOMASIVS, WOLFIVS &c. *affirmat, E. est uerum.* Vides, quam lubrico fundamento minor nitatur propositio.

§ 151.

Ex his lucide apparet, nihil ad praeiudicia euitanda tam ualere, quam id, ut rationes, cur quaeque propositio uel pro uera, uel pro falsa habeatur, distinctius penitiusque indagemus, iudiciumque paullisper suspendamus, siue, quod idem est, sobria quadam dubitatione assensionem cohibeamus. *Dubitare* enim nihil est aliud, quam suspendere iudicium, is autem *suspendere iudicium* dicitur, qui neque affirmat, neque negat.

Caue uero existimes, dubitationem talem, qualis Pyrrhoniorum fuisse dicitur, nos commendare, quin potius, quem-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0104
DFG

quemadmodum ſine iuſta cauſſa, neque adfirmandum quidquam eſt, neque negandum, ita quoque ſine ratione non eſſe dubitandum, exiſtimamus. Quae enim eſſet ſtoliditas, dubitare uelle, ſol ſit, nec ne? Quae foret iſta temeritas, ea in dubium uocare, quae diuinis oraculis ſunt ſtabilita?

§ 152.

Sequitur, ut de erroribus, in tertia mentis operatione committi ſolitis, ſiue de uitioſo ratiocinandi captioſoque modo exponamus. Quo pertinent *ſophiſmata*, ſiue *fallaciae*, quod ratiocinationis genus homines decipit ſub ſpecie ueri. Eſt autem *ſophiſma* falſus ſyllogiſmus, cuius uitioſa forma occultatur.

§ 153.

Horum ſophiſmatum ſiue fallaciarum, quibus imperitiores in fraudem inducuntur, uaria ſunt genera. Alia ludunt uerbis tantum, quae dicuntur fallaciae in *dictione*, alia ſpecioſa magis ſunt, et in rebus latent. Haec dicuntur *fallaciae extra dictionem*.

§ 154.

Cum uerbis fallitur alter, tum fraus latet uel in uocum ſingularum ambiguitate, uel in tota uerborum coagmentatione, uarie contorta, ita, ut aut, quae ſeiungenda erant, componantur, aut, quae componenda fuerant, ſeiungantur. Vnde ortae ſunt fallaciae *ambiguitatis*, *amphiboliae*, *compoſitionis*, *diuiſionis*.

Quae ſupra de uitioſo quatuor terminorum in ſyllogiſmis uſu monuimus, ea hic uelim repetas. Has enim, quas recenſui, fallaciarum ſpecies ex eo, quod quatuor

quatuor irrepserint termini, ortas inuenies, e. gr. Vulpes habet quatuor pedes,

HERODES est uulpes, E.

HERODES habet quatuor pedes.

Fraus in dictione latebat, cum Oraculum Delphicum iuuenibus Tarquiniis, cum quibus una erat Brutus, sciscitantibus, ad quem eorum regnum Romanum esset uenturum, hoc responsum daret, „Imperium „summum Romae habebit, qui uestrum primus, o iu„uenes, osculum MATRI tulerit.„ Brutus, cui fraus subolebat, terram, tanquam communem matrem omnium mortalium, osculo contigit, ad summamque dignitatem post id tempus fuit euectus. Vid. LIV. *Lib. I cap. 56.* Aliam dictionis fallaciam ex POLYBIO commemorat nobis CICERO. Post Cannensem pugnam Annibal decem nobilissimos uiros ad Senatum Romanum miserat, qui, fide iurisiurandi interposita, promiserant, se in Carthaginiensium castra redituros, nisi de redimendis captiuis impetrauissent. Ex decem his, qui tum erant missi, nouem reuertebantur a Senatu re non impetrata. Vnus ex his, qui paullo post, quam egressus erat e castris *rediisset*, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansit. Reditu enim in castra, liberatum se esse iureiurando interpretabatur. Vide, quam hic luserit uoce, *redire*. Vid. CICERO *Lib. III de Off. Cap. XXXII*, et LIVIVS *Lib. XXII cap. 58 et 61.*

§ 155.

Fallacia amphibolias in integra sententia uerborumque coagmentatione reperiuntur, cum uoces uocibus ita iunguntur, ut in utramque partem possis interpretari. E. gr. *Regem occidere nolite timere bonum est. Si omnes consentiunt ego non dissentio.* Vide, quanti interfit ad dictionis perspicuitatem, uerba accurate interpungi.

Fallacia

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0106
DFG

Fallacia compoſitionis et diuiſionis ex eo exiſtit, cum, quae componenda erant, diſiungis, aut diſiungenda componis. E. gr. *Nullus renatus poteſt peccare*, 1 Ioh. V, 18. *Qu. homo eſt renatus. E. quidam homo non poteſt peccare.* Hic maior propoſitio ſumitur in ſenſu compoſito: Nullus renatus, quatenus eſt renatus, poteſt peccare, at concluſio ſumitur in ſenſu diuiſo. Seiungis enim in concluſione τὸ *renatum eſſe* ab idea hominis.

§ 155.

Haec de *fallaciis dictionis*. Sed, quemadmodum in uerbis uel ſingulis, uel inter ſe iunctis, ita etiam perſaepe in rebus ipſis ſeu ſententiis latitat fallacia, quae dici ſolet *fallacia extra dictionem*.

Harum fallaciarum ſeptem modi tradi ſolent.

1) Huc referri uideas *fallaciam accidentis*, cum, quod rei alicui per *accidens* et caſu ineſt, id ita ei tribuitur, ac ſi ineſſet *per ſe* et natura ſua. E. gr. *Quicquid ad Atheiſmum hominis ducit* (per ſe), *illud eſt malum. Atqui philoſophia ducit ad Atheiſmum* (non per ſe et natura ſua, ſed per accidens et uitio hominum); *Ergo eſt mala.* 2) Pertinet huc quoque *fallacia*, quam uocant, *a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*, cum ex eo, quod cum limitatione adiectaque conditione demum uerum eſt, colligimus aliquid, quod ſine limitatione ſimpliciterque accipitur. E. gr. Si parentibus eſt obediendum, ſequitur, ut ipſis quoque, cum iubent uel furari, uel latrocinium committere, debeamus parere. 3) Tertius *fallaciarum* modus eſt, cum *ignoratio elenchi* committitur, ſiue, cum ſtatus controuerſiae mutatur, aliudque probatur, quam quod probandum ſuſcipiebatur. E. gr. Si probare uelis, non licere diuitias poſſidere, propterea, quod Chriſtus ad iuuenem diuitem dixerit: *uende omnia et ſequere me*, committis fallaciam ignorationis elenchi. 4) *Fallacia petitionis principii*, cum ratio, quae ad ſtabiliendam theſin aliquam adfertur, aeque

dubia est, ac thesis probanda. E. gr. Si humanitatis literas ideo spernendas esse dixeris, quia non pertineant ad eruditionis scientiarumque circum, committis fallaciam petitionis principii. 5) *Fallacia consequentis*, cum ex eo, quod iam praestructum est, quid colligis, quod inde non sequitur. E. gr. WOLFIVS in exsilium eiectus est, E. philosophia Wolfiana est absurda periculique plena. 6) *Fallacia non causae, ut causae*, cum quid causa esse dicitur, quod quiduis potius, quam causa rei, putari debebat. E. gr. *Pessimi Athei semper fuere acutissimi philosophi*, *E. Philosophia est causa Atheismi.* 7) His omnibus additur *fallacia plurium interrogationum*, quando plura quaesita in uno ita commiscentur, ut, nisi capi uelis et illudi, respondere non possis. E. gr. Desiistine furari? aut: Castitas et ebrietas suntne uitium, an uirtus?

CAP. III.

De Veritate certa.

§ 156.

Notione ueritatis distinctius euoluta, ad uarias ueritatis species exponendas accedamus. Est autem omne uerum falsumue nobis uel *certo* uerum falsumque, uel propius ad ueri similitudinem accedit, quod dicitur *probabiliter* uerum. De qua ueritatis diuisione nunc distributius commentabimur.

§ 157.

Cum conuenientiam uel repugnantiam subiecti et praedicati in propositione aliqua tam distincte perspicio, ut, quae huic propositioni contraria sunt et opposita, locum inuenire non posse intelligam, tum de ueritate uel falsitate propositionis certus

certus sum. Vt adeo cognitio mea ueritatis certa sit, cum fuerit eiusmodi, ut ab omni formidine oppositi libera sit et immunis. *Incertitudo* se habet opposita ratione.

E. gr. Haec propositio: *ego scribo*, nunc mihi *certo* uera est, neque enim uereor, ne propositio, huic opposita, *ego non scribo*, eodem tempore sit etiam uera.

§ 158.

Quandoquidem distinctius alius, alius uero minus sufficienter distincteque subiecti praedicatique connexionem in propositionibus perspicit, mirum non est, unam eandemque propositionem alteri posse esse *certo* ueram, alteri incertam.

Omne quidem id, quod uerum est, *in se certo* uerum est, quia non simul potest esse falsum, sed non omne id, quod uerum est, ideo etiam *nobis certo* uerum est. Quare dudum ueteres distinxerunt inter certitudinem *obiectiuam* et *subiectiuam*. Sumamus hanc propositionem: *Hic mundus est optimus.* Hoc enunciatum si uerum est, certo est uerum, *certitudine* scilicet *obiectiua*, (non potest enim simul esse falsum) at CAIO potest haec propositio adhuc incerta uideri.

§ 159.

Duplex est uia ad omnem certitudinem, *experientia* scilicet, et *ratio siue demonstratio*. De experientia ergo primum, deinde de demonstratione enucleatius disputabimus.

§ 160.

Experientiam uocamus cognitionem, quae acquiritur attendendo ad res, sensibus obuias.

Sic e. gr. per experientiam nouimus, ignem calefacere. Non enim meditando aut longo ratiociniorum an-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0109
DFG

fractu propositionis huius ueritatem indagasti, sed suus quemque sensus id condocet.

§ 161.

Quae de experientia notanda sunt, his continentur propositionibus.

I. Quia omnis sensio siue perceptio nostra uel *interna* est, uel *externa*, intelligitur, quid sit, quod experientia in internam et externam dispescatur.

II. Cum nonnulla, quae adminiculo sensuum eruditus nouit, uulgus itidem percipiat, alia uero nonnisi ab eruditis, ope experimentorum, obseruentur, patet, *experientiam recte diuidi in uulgarem siue communem, et eruditam siue artificialem.*

Experientia uulgaris cum eruditos, tum inficetam plebem docet, *ignem esse calidum*, at, *aerem esse grauem*, non nisi eruditi, experimentis uariis institutis, exploratum habent.

III. Ea tantum, quae existunt, experimur, atque adeo res indiuiduae, propositionesque singulares tantum sunt obiectum experientiae. Quum enim experientia sensione efficiatur (*per def. experient.*) praeter id autem, quod existit, nihil in sensus cadat, lucide apparet, nos ea tantum experiri, quae existunt.

IV. Qui ergo, ad propositionem quandam probandam, experientiam in subsidium uocat, is, necesse est, casum quendam singularem adferat.

V. Ex

V. Ex quo manifestum est, eos grauiter errare, qui id se sensibus percepisse putant, et pro experientia uenditant, quod nunquam senserunt, sed uel ratiociniis ex experientia demum deduxerunt, uel quod per imaginationem ipsis aliunde succurrit. Quem errorem in experiundo, qui committunt, dicuntur committere *uitium subreptionis*, quod consistit in eo, si nobis quid uidemur experientia et sensione percipere, quod minime experimur.

Per experientiam tantum cognoscimus singularia, siue ea, quae reuera existunt, et sensus adficiunt. Si itaque ratiocinationes nostras, quas ex iis, quae, experientiae ope, sensimus, conficere solemus, aut foetus imaginationis nostrae pro ipsa experientia habemus, in hoc uitium incidimus. Sic e. gr. per experientiam deprehendimus, quod, ad animae nostrae decretum et uoluntatem, sequi soleat motus quidam in corpore. Experiris et sentis, quod pes manusque moueantur, si anima uelit, haec membra moueri. Experiris et sentis, quod lingua moueatur, si anima uelit, eam moueri. At id nec tu, nec quisquam eruditorum unquam, experientiae ope sensit, hunc motum ab animae uoluntate tanquam caussa efficiente, oriri. Sed id demum ex iis, quae sensisti, ratiocinando colligis. Qui itaque dicunt, se per experientiam edoctos esse, *quod anima moueat corporis nostri membra*, hi uitium subreptionis committunt. Dici non potest, quam saepe hoc uitium imponat uel eruditissimis uiris, qui ex experientia se multa nouisse clamitant, quae uix alius quisquam experiri queat: Neque satis scio, an recte iudicem, si affirmem, plerasque, quae de spectris circumferuntur, fabulas ex hoc uitio esse coortas. Si strepitum sonumque, nocturno tempore, in aedibus audit anus quaedam, aut homo meticulosus, colligit inde, hunc tumultum non posse, nisi a spectro,

excitari. Mox ergo ratiocinium, ad quod conficiendum metu inducebatur, pro ipsa sensione et experientia habet, atque, se audisse spectri tumultus, audacter affirmat. En! incunabula tot terriculamentorum, tot spectrorum. Illud addo, eos fere omnes, qui in sacris, nostra aetate, noua moliuntur, solo *subreptionis uitio* ad infaustos ridiculosque conatus deduci, quod satis illis erit perspicuum, qui historiae sacrae non sunt ignari.

§ 162.

Quandoquidem sensione experientiaeque adminiculo certam rerum cognitionem nobis acquirimus, peropus est, ut hic cautiones quasdam subnectamus, in usu sensuum perutiles.

§ 163.

Identidem quaestio in medium prolata est: *Num sensus nos fallant*, numque, si fallunt, uiam ad certam minusque dubiam cognitionem muniant. De quo ut recte possis statuere, sequentes positiones teneto:

I. Sensus, positis omnibus ad sentiendum requisitis, nos non fallunt, si fallere idem est, ac falsum proponere et statuere. Sensus enim, qua sensus, nec affirmant nec negant.

Iudicia uero, nimis praecipitanter ex sensibus formata, identidem nos fallunt.

II. Si sensus ita adhibere uolueris, ut mens, secundum eos iudicans, minus fallatur, opus est, ut organa, quae uocant, sensoria sint sana, nulloque uitio laborent.

Ineptus

Ineptus igitur est ad iudicandum de coloribus, qui luscus est, nec, qui febri laborat, aptus uidetur ad saporem huius illiusue cibi recte aestimandum.

III. Ne mens, secundum sensus iudicans, fallatur, ea, quae sentimus, attentius paullo contemplari debemus. Quo acrius enim rei perceptae attenderis, hoc clarior fit perceptio (§ 32.) hocque minus periculo errandi te exponis.

IV. Perutile quoque est, ut rem perceptam ad tot sensus redigas, ad quot redigi potest. Si enim pluribus sensibus unam eandemque rem perceperis, id obtinebis, ut idea rei perceptae euadat clarior (§ 32.)

Regulam hanc ISAACVS sequebatur, cum IACOBVM ab ESAVO sensione distinguere uellet. Manus IACOBI attingebat (*en tactum!*) Vocem IACOBI audiebat (*en auditum!*) Osculabatur IACOBVM (*en gustum!*) Et olfaciebat uestes ipsius (*en olfactum!*) Solus uisus deerat. Fallebatur ISAACVS, at non sensibus, sed iudicio, quod ex sensione, praecipitanter nimis, formabat. Hanc legem sentiendi obseruant quoque medici, qui medicinam uel aquam mineralem oblatam exploraturi, eam uisui, olfactui et gustui subiiciunt.

V. Denique, ne iudicium, quod sensibus stat, te fallat, opus est, ut iusta adsit distantia organorum sensoriorum et rerum perceptarum.

§ 164.

His cautionibus circa sensiones experientiamque obseruatis, facile nunc uia munietur ad ueritatem. Experientia formamus nobis cum ideas siue

notiones, tum iudicia et enunciationes. Notiones autem, experientia acquisitae, nonnisi sunt indiuiduales et singulares, iudiciaque, quae his notionibus, per experientiam formatis, nituntur, appellantur *intuitiua*.

E. gr. Si TITIVM uideris, tunc notio, quam, ope sensionis, de eo tibi formas, est indiuidualis siue singularis. Si TITIVM uideris ebrium, tunc iudicium, TITIVS *est ebrius*, est intuitiuum. Illud autem iudicium, quod per ratiocinium ex iudicio intuitiuo elicitur, dici solet *iudicium discursiuum* siue *dianoëticum*. E. gr. TITIVS *est ebrius*, ex alio, quod memoria tibi suggerit, *ebrius non est mentis compos*, tertium elicis, TITIVS *non est mentis compos*. Hoc tertium iudicium dicimus iudicium *discursiuum*, siue *dianoëticum*.

§ 165.

Quamuis et notiones et iudicia, per experientiam formata, sint singularia, notiones tamen singulares in uniuersales possunt mutari, ipsiusque adeo experientiae sensionumque ope, peruenimus ad notiones distinctas uniuersales siue definitiones.

Dici non potest, quanti interfit ad emendandam acuendamque iuuenum intelligendi uim, ut perspicue ipsis tradatur uia et ratio, a posteriori siue per experientiam notiones uniuersales distinctas siue definitiones efformandi. Omnibus, qui iuuentutem ad humanitatem erudiunt, auctor suasorque exstiterim, ut eos, quos docent, in definitionibus conficiendis nauiter exerceant.

§ 166.

Ad quod obtinendum multum adferunt adiumenti hae regulae:

I. Tot

I. Tot fac iudicia intuitiua, quot in re percepta distinguis.

II. Omitte praedicata, quae uocant, accidentalia, siue, quae rei non constanter insunt.

III. Praedicata, quae in omni casu non eadem sunt, particularibus determinationibus libera.

IV. Facilius succedet tibi negotium, si plura exempla inter se contuleris, atque solicite attenderis, in quo exempla perpetuo conueniant, in quo item a se inuicem differant.

Regulae hae lucem desiderant. Quare exemplum perquam luculentum addam, ex quo intelligi queat, quam inire debeas rationem, a posteriori siue per experientiam notiones formandi. Fac, te uelle scire, quid sit, *laudare alterum*, et quid *laus* sit. Hic ergo ad casum quempiam indiuiduum siue singularem attendas, in quo alter alterum laudare dicitur Ponas ergo, CAIVM in scripto, abs se edito, narrare, quod TITIVS sit eruditus, modestus, perspicuus, pius &c. Hic CAIVS laudat TITIVM. Tot itaque fac iudicia intuitiua, quot casus praesens tibi suppeditat.

I. CAIVS narrat.

II. CAIVS narrat in scripto quodam.

III. CAIVS narrat, quod TITIVS sit doctus.

IV. CAIVS narrat, quod TITIVS sit modestus.

V. CAIVS narrat, quod TITIVS sit perspicuus.

VI. CAIVS narrat, quod TITIVS sit pius.

Si ex hoc casu uis cognoscere, quid sit *laudare alterum*, difficulter id fiet, α) quia hic adsunt multa peregrina et accidentialia, quae *ad τὸ laudare alterum* non pertinent. β) Quia ea, quae notionem laudis effi-

ciunt, multis adhuc determinationibus particularibus sunt inuoluta, quae ab iis abesse debent.

Vt igitur intelligas, quaenam hic sint peregrina et accidentalia, et quaenam sint determinationes particulares, in memoriam tibi reuoca alium casum, quo alterum ab altero laudatum fuisse percepisti. Fingamus, parentem, praesente filio, narrare, quod filius ingenio excellenti gaudeat, item, quod sit obediens, diligens item, ac bonus poeta. Hic casus sequentia tibi fistit iudicia intuitiua.

I. Parens narrat.

II. Parens narrat, praesente filio.

III. Parens narrat, quod filius gaudeat ingenio excellenti.

IV. Parens narrat, quod filius sit obediens.

V. Parens narrat, quod filius sit diligens.

VI. Parens narrat, quod filius sit bonus poeta.

Quod si hos duos casus inter se confers, intelliges, 1) CAIVM, 2) *scriptum* CAII, 3) TITIVM in priori casu indiuiduo esse peregrina, quae non ad notionem *laudis* constituendam pertinent, quia in altero casu non adsunt. Intelligis item, in posteriori casu non necessarium esse, ut adsit α) *parens*, β) *filius praesens*, γ) ut *filius* sit *praecise obediens* et *bonus poeta*. Hinc haec omnia, quia sunt praedicata accidentalia, notionem laudis generaliorem non constituunt. Sed τὸ *narrare* est utrique casui commune, item in utroque casu narrantur *perfectiones*, quae sunt pietas, diligentia, eruditio item, perspicuitas, cetera. Has enim animi dotes uoce, quae latius pateat, si enunciare uolunt philosophi, uocabulo *perfectionis* uti consueuerunt.

Perutiliter iuuenes, qui in scholis Gymnasiisue ad humanitatem informantur, hoc exercitationis genere subiguntur, si ipsis plura proponuntur exempla ratioque definitionis formandae ab iis, quibus docendi partes sunt commissae, distinctius explicatur.

Iube

Iube tuos, ut hoc utar, definitionem *Satyrae*, *ornatus* aliarumque rerum, quas nondum distincte norunt, formare. Intelliges, minus difficultatum, quam opinatus fueras, tibi occurrere. Ipsum autem laborem, quem eruendis notionibus distinctis impendis, incredibili compensari uoluptate, senties. Repetantur ea, quae supra de ideis distinctis disputauimus.

§ 167.

Hactenus de experientia. Sequitur, ut de *demonstratione*, tanquam altero ueritatis certae fonte, pauca adferamus. *Demonstrationem* uocamus connexionem ratiociniorum, in quibus nullae praemissae, nisi certae, admittuntur, siue *demonstratio* est probatio theseos siue propositionis alicuius, certis et indubitatis principiis nixa.

E. gr. Propositio demonstranda haec esto: *Ens simplex omni caret magnitudine.* Demonstratio huius enunciationis hunc fere in modum conficietur. 1) *Quicquid caret partibus, etiam caret multitudine partium.* 2) *Ens simplex caret partibus.* 3) *E. etiam multitudine partium.* 4) *Quicquid caret multitudine partium, caret magnitudine.* 5) Ens simplex caret multitudine partium (*per propos.* 3.) E. caret magnitudine. Propositio prima est *axioma.* Secunda enunciatio est *definitio entis simplicis.* Quarta definitio est *magnitudinis.* Ex his enunciationibus, tanquam principiis certis, conficitur demonstratio huius propositionis. *Ens simplex caret magnitudine.*

§ 168.

Ea omnia, quae de demonstratione iuuenibus tradi debent, paucis his complectemur positionibus.

I. Non omnis probatio enunciationis cuiusdam dici haberique potest demonstratio, quam-

quamuis omnis demonſtratio ſit probatio. Fit nonnunquam, ut ad ſtabiliendam theſin quandam eiusmodi adferantur enunciationes, in quibus parum aut omnino nihil eſt roboris. Quod probationis genus cum ſit debile et ſine neruis, demonſtratio autem eiusmodi fulciatur fundamentis, quae nulla ratione poſſunt conuelli, intelligitur, quiduis potius, quam demonſtrationes, infirmas illas probationes dici poſſe.

II. *Principia demonſtrandi* omnes illae uocantur propoſitiones, quibus, tanquam fulcris ſuis, nititur demonſtratio. Huc pertinent definitiones, axiomata, experientiae, poſtulata, aliae item propoſitiones, quae iam demonſtratae ſunt.

III. Cum propoſitio demonſtranda deducitur ex axiomatibus, notionibus communibus, et definitionibus, tum eam *a priori demonſtrare* diceris, at ubi enunciatio experientia ſenſibusque corroboratur, *demonſtratio* dicitur *a poſteriori*.

Alii ita: *Demonſtratio a priori* eſt illa probatio, qua effectum ex ſua cauſſa demonſtro, *a poſteriori*, cum cauſſam ex effectu probo.

E. gr. Propoſitio: *ens ſimplex caret magnitudine*, ex definitione *magnitudinis* et *entis ſimplicis*, itemque axiomatibus nonnullis uim ſuam et robur accipit, adeoque demonſtratur *a priori*. At haec: *Exiſtit Deus*, ex mundi exiſtentia, tanquam ex effectu, demonſtratur, atque adeo *a poſteriori*.

IV. Demonſtrandi modus, ubi ex notione ſubiecti colligitur, praedicatum eidem con-

conuenire, dicitur *demonſtratio directa* ſiue *oſtenſiua*, at, cum enunciationem falſam, propoſitioni demonſtrandae oppoſitam, tanquam ueram ſumis, et inde, ratiociniorum nexu, deducis concluſionem abſonam, *demonſtratio* dicitur *indirecta*, ſiue *apagogica*, *deductio* item *ad abſurdum* uel *impoſſibile*.

Quod ut plenius poſſit intelligi, exempla utriusque demonſtrationis ſuppeditabimus. Sic e. gr. ſi hanc enunciationem: *nemo eſt honoris capax niſi uirtuti deditus*, demonſtrare uis, oſtenſiua ſiue directa demonſtratione uti poteris. Ex ipſa enim *honoris* natura et indole poteris colligere, eum non poſſe, niſi in uirtutis cultorem, cadere. At ſi hoc enunciatum, *Deus eſt aeternus*, demonſtras, *apagogica* ſiue *indirecta demonſtratione* illud, hoc fere modo, poteris communire. *Fac, Deum non eſſe aeternum, tum habebit exiſtendi initium. Atque adeo aut ab alio erit productus, aut ſemet ipſe produxit. Sin illud: tum Deus eſt res creata, non Deus. Si hoc: tum exſtitit, et non exſtitit ſimul. Exſtitit, quia ſe produxit. Non exſtitit, quia adhuc fuit producendus. Vtrumque eſt abſonum. Ergo propoſitio oppoſita: Deus eſt aeternus, debet eſſe uera.*

V. Cum in demonſtratione enunciationes ita connectis, ut inde a principiis, quae fundamenti loco praefulciuntur, progrediaris et deſcendas ad propoſitionem demonſtrandam, tum *demonſtratio* dicitur *ſynthetica*, at, ſi a propoſitione demonſtranda ordiris, eandemque in ſua, ex quibus componitur, principia reſoluis, exſurgit inde *demonſtratio analytica*.

Ne quid obſcuri irrepat hic, exemplis, quae dicta ſunt, illuſtrabimus. Eſto haec propoſitio demonſtranda:

Ad

Ad alios amandos ſumus obligati. Hanc enunciationem et *ſynthetice* et *analytice* demonſtrabimus.

Demonſtratio ſynthetica.

I. *Quicunque obligatus eſt ad aliorum ſtatum perfectiorem reddendum, ille quoque obligatus eſt ad id, ut uoluptatem ex aliorum perfectionibus capiat.*

Atqui nos ſumus obligati ad aliorum ſtatum reddendum perfectiorem.

E. obligati quoque ſumus ad id, ut uoluptatem capiamus ex aliorum perfectionibus.

Maior propoſitio eſt *axioma. Minor* continetur primo principio iuris naturae.

II. *Quicunque obligatus eſt ad id, ut ex aliorum perfectionibus uoluptatem capiat, ille eſt obligatus ad alios amandos.*

Atqui nos ſumus obligati ad id, ut ex aliorum perfectionibus uoluptatem capiamus.

E. obligati ſumus ad alios amandos.

Maior eſt definitio *amoris. Minor* iam ſyllogiſmo praecedenti demonſtrata eſt. *En demonſtrationem ſyntheticam!* Progrederis enim hic ac principiis ad propoſitionem demonſtrandam.

Demonſtratio analytica.

I. *Quicunque obligatus eſt ad id, ut ex aliorum perfectionibus uoluptatem capiat, ille eſt obligatus ad alios amandos.*

Atqui nos ſumus obligati ad uoluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam.

E. ſumus obligati ad alios amandos.

Minoris probatio.

II. *Quicunque obligatus eſt ad aliorum ſtatum perfectiorem reddendum, ille obligatus eſt ad uoluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam.*

Atqui nos ſumus obligati ad aliorum ſtatum perfectiorem reddendum.

E. ſumus

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0120
DFG

E. sumus obligati ad voluptatem ex aliorum perfectionibus capiendam.

Vides, hic a propositione demonstranda nos progredi usque ad eius prima principia, quod est *analytice demonstrare.*

VI. In omni demonstratione haec cautio atque prouisio est adhibenda, ne *circulum*, quem uocant, in demonstrando committamus. Quod fit, cum propositionem A probamus per propositionem B, et propositionem B rursus per propositionem A. Quo ipso in orbem quasi redit demonstratio.

E. gr. Qui ex eo, quod animus humanus *cogitet*, probant, ipsum esse ens *simplex*, et ab omni concretione segregatum, hanc autem propositionem, *Anima humana est ens simplex*, ex eo probant, quia *cogitat*, circulum committunt. Vid. *philosophia nostra recens controuersa p.* 335.

VII. Denique obserues, uelim, omnia ea, quae legitime demonstrata sunt, esse certo uera. Nituntur enim propositiones legitime demonstratae, eiusmodi fulcris, quae conuelli non possunt, experientiis scilicet, definitionibus, axiomatibus. Ex his ergo si, nexu legitimo, deducuntur, non possunt non esse tam certae, quam sunt ipsa principia, quibus superstruuntur.

CAP. IV.
De Veritate probabili.

§ 169.

Quemadmodum hactenus ea, quae ad certam cognitionem spectant, explicauimus; ita nunc

nunc ordo nos deducit ad id, quod certo opponitur. Fit scilicet persaepe, ut uix pauca, quae ad rem plene perspiciendam pertinent, perspecta habeamus, neque adeo id, quod cognoscimus, ita ad liquidum perducatur, ut nullus scrupulus in animo resideat. Quo in casu *ueritatem probabiliter* cognoscere dicimur. *Propositio* ergo *probabilis* illa est, in qua praedicatum subiecto tribuitur ob quaedam tantum requisita ueritatis, et probabiliter iudicare dicimur, cum a quibusdam ad ueritatem requisitis siue a nonnullis circumstantiis ad rei existentiam concludimus.

E. gr. Mille numi aurei ex scrinio, in museo meo, ablati sunt. SEMPRONIVM furem esse, probabiliter iudico. Rationes quae me ad ipsum accusandum mouent, hae fere sunt.

1) SEMPRONIVS iamdudum apud omnes male audit ob manus rapaces.

2) Nemo in museo fuit, nisi mecum SEMPRONIVS.

3) SEMPRONIVM quosdam numos aureos, post furtum commissum, ostentasse, narrant amici.

4) SEMPRONIVS, de furto interrogatus, exalbescit, et pudore suffusus, subtimide respondet.

5) Claues adulterinas, limas, et ferramenta, quae furibus usui sunt, secum gerit.

Vide, quam multa adsint, quae possint efficere, ut, SEMPRONIVM furto numos abstulisse, mihi persuadeam. At omnes hae, quas adduxi, rationes non, nisi ueri similitudinem et coniecturam, pariunt, quae cum formidine oppositi coniuncta est. Multa enim desunt ad id, ut certo sciam, SEMPRONIVM *numos suffuratum esse.*

CICERO in elegantissima illa oratione, qua causam Milonis perorauit, probaturus, CLODIVM *Miloni insidias*

dias collocaſſe, et iter ad caedem faciendam apparaſſe, nonnullas περιστάσεις et rationes adducit, ex quibus ueri ſimillimum fit, CLODIVM eſſe latronem.

1) CLODIVS aperte dixerat, occidendum eſſe Milonem.

2) Cum iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, Miloni Lanuuium eſſet ſuſcipiendum, CLODIVS ſubito pridie ipſe Roma profectus eſt, idque ea uia, qua profecturum eſſe Milonem, iam ante nouerat.

3) Seruos ſuos cum telis ante fundum ſuum collocarat.

4) Proficiſcebatur CLODIVS expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut alias ſolebat, ſine uxore, quod nunquam fere.

Ex his circumſtantiis et ſenſionibus conficit illud, ſed probabiliter, CLODIVM animo occidendi Milonem iter illud ſuſcepiſſe. Vid. *Oratio pro Milone Cap. X.* Cel. HOLLMANNVS *probabile eſſe, probat, dari reuelationem diuinam.* Vid. *eiusd. liber* von GOtt und der Schrifft p. 288.

§ 170.

Quae ad plenius perſpiciendam cognitionis probabilis naturam et indolem pertinent, ea his iuuat complecti poſitionibus.

I. Quemadmodum *probabile* illud eſſe diximus, ubi adſunt nonnulla ueritatis requiſita, ſiue circumſtantiae quaedam et rationes, ex quibus colligas, aliquid uel eſſe, uel fuiſſe, uel futurum eſſe; ita *improbabile* id eſſe recte dixeris, ubi rationes ex contraria parte fortiores ſunt, et eiusmodi circumſtantiae occurrunt, quae propoſitioni repugnant.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0123
DFG

Negat e. gr. LIVIVS, probabile esse, a Pythagora, tanquam fonte, primum, idque Numa imperante, profluxisse in gentem Romanam sapientiae humanae doctrinaeque ubertatem et copiam. Rationes, quas adducit, hae sunt. α) Pythagoras non fuit eiusdem aetatis, sed centum amplius post annos in ultima Italiae ora, iuuenum, aemulantium studia, coetus habuit. β) Etsi eiusdem fuisset aetatis, quo linguae commercio quemquam Sabinorum ad discendi cupiditatem exciuisset? γ) Quo praesidio unus per tot gentes dissonas sermone moribusque peruenisset. Vid. LIV. *Lib. I c. 18.* Conf. CIC. *Tusc. Quaest. lib. IV c. 1.*

II. Hoc probabilior est unaquaeque propositio, quo plures adsunt περιστάσεις siue circumstantiae et sensiones, quae eidem ueri speciem conciliant.

Pluris, quam quisquam opinatus fuerit, persaepe interest ad felicitatem humanam, gradus probabilitatis rite definiri, ut adeo dudum eruditi *Logicam Probabilium*, quam WOLFIVS promisit, magnis desideriis expetierint.

III. Caue, existimes, id omne esse probabile, quod est possibile.

Cautio haec, si quando, in spe certe metuue perquam est necessaria. Constat enim, complures homines peruerse, ne dicam stolide ea saepenumero sperare uel metuere, quae possunt accidere, sed ueri ad similitudinem non accedunt.

IV. Quicquid uero est probabile, idem esse possibile, ex his lucide apparet.

§ 171.

Syllogismum *probabilem* dicimus eum, in quo uel utraque, uel alterutra, praemissarum est propositio probabilis.

E. gr.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0124
DFG

E. gr. Veri similitudinem, non ἀπόδειξιν, parit argumentatio illa, quam, a gentium consensu desumtam, adferunt quidam, existentiam Dei probaturi. Ita enim rationes conficiunt:

Quicquid omnes gentes dicunt, illud est uerum,
Atqui omnes gentes dicunt, esse Deum, E.
Verum est, esse Deum.

Neque maior, neque minor propositio certa est, sed probabilis. CICERO huic argumento multum tribuit: *Firmissimum hoc*, inquit, *afferri uidetur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis est, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Tusc. Quaest. lib. 1.* Et SENECA: *Apud nos argumentum ueritatis est, aliquid omnibus uideri. Ep. 117.*

Syllogismum probabilem dicunt nonnulli quoque *dialecticum*, item *topicum*. Loci enim topici erant apud ueteres argumentationum probabilium quasi promi condi. De quibus eruditi in utramque partem existimarunt. Qui meditari rite et ex ordinis legibus nouit, facile carebit locorum, quos uocant, topicorum artificio.

§ 172.

Variae sunt probabilitatis species. Alia probabilitas est *historica*, alia *physica*, *hermeneutica* alia, alia *politica*, alia denique *practica*. De quibus distributius nunc exponemus.

§ 173.

Quandoquidem mentis humanae uires suis, exiguis sane, limitibus sunt definitae, neque adeo ipsi omnia, uel experientiae propriae, uel rationis ope, cognoscere possumus, opus est, ut multa etiam, quae alii sunt experti, sensibusque usurparunt, et ab iis referuntur, credamus.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0125
DFG

§ 174.

Eſt autem *credere* nihil aliud, quam aſſenſum propoſitioni cuipiam dare, ob teſtimonium alterius. Et hic ipſe aſſenſus dicitur *Fides* (*philoſophica*).

§ 175.

Fieri poteſt, et ſit ſaepenumero, ut ii, qui, quidpiam factum eſſe, narrant, uel ob ignorantiam dexteritatisque defectum poſſint, uel ob malitiam, uelint nos in fraudem inducere, falſumque pro uero obtrudere.

Cautiones ergo quaedam tradantur neceſſe eſt, doceaturque, quidnam ſit probabiliter uerum, quidnam probabiliter falſum in hiſtoriis ſiue factis narrandis. Quare regulas *probabilitatis hiſtoricae*, in qua, fundamenti loco, ſubſternitur auctoritas teſtis, ſtrictim percenſebimus.

§ 176.

In omni itaque fide humana, et probabilitate adeo hiſtorica, attendas uelim ad ſequentes circumſtantias. I. Ad *teſtem*, ſiue eum, qui factum narrat. II. Ad *rem ipſam*, quae narratur. III. Ad *modum narrandi*. De ſingulis ſigillatim.

§ 177.

Non eadem eſt teſtium auctoritas. Atque adeo horum diuerſitas attendenda eſt. Conſpicitur autem ea 1) *ratione intellectus*, 2) *ratione uoluntatis*, 3) *ratione denique ſenſuum*.

§ 178.

Ratione intellectus teſtes ſunt uel perſpicaciores, prudentes, et iudicandi dote inſtructi, uel

uel sunt obtusiores, simplices, et de faece plebis.

§ 179.

Ratione uoluntatis sunt testes uel probi incorruptique, qui neutri parti addicti, amoris odiique causas procul facessere iubent, uel partium studio praepediuntur, quo minus uerum dicant.

§ 180.

Ratione denique sensuum testes sunt uel oculati siue αὐτόπται, qui factum coram intuiti sunt, uel sunt auriti, qui, rem quampiam euenisse, ab aliis acceperunt. Atque hi testes auriti sunt uel *coaeui*, i. e. eo tempore uixerunt, quo factum aliquod euenit, uel sunt *recentiores*, qui, quicquid narrant, a coaeuis acceperunt.

§ 181.

Ex his, ita praestructis, facile nunc leges probabilitatis historicae intelliges, quas sequentibus positionibus complecti iuuat.

I. Viri perspicacis prudentisque testimonium est probabilius, quam hominis rudioris et obtusi, si ea narrantur, quae plusculum attentionis iudiciique requirunt.

Si e. gr. physicus uel mathematicus, isque iudicii spectati, phaenomenon naturae recenset, tum huius uiri testimonium propius fidem est, quam inficeti uulgi, quod ea, quae uel in coelo conspiciuntur, uel in naturae regno eueniunt, parum attente considerat.

II. Sin autem facta narrantur, quae non nisi usum sensuum, nec magnam adeo attentio-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0127
DFG

nem postulant, testimonium hominis rudis et simplicis eandem meretur fidem, quam testimonium eruditi et prudentis, quin etiam nonnunquam maiorem, si scilicet partium studium metuitur.

E. gr. Fuit caupo, qui militem, apud se diuersantem, noctu interfecit. Cuius atrocissimi facti testem neminem habuit, praeter filiolum, qui, in lecto iacens, putabatur dormire. Hic, post aliquod tempus pueris, cum quibus ludit, rem narrat, ut gesta est, neque quicquam inde uel sibi, uel parenti timet. Putasne, in pueri huius testimonio uim inesse? Putauerim certe ego, maxime, si aliae plures accedunt περιστάσεις uel loci uel temporis, quae narrationi fidem conciliant.

III. Si quis partium studio praepeditur, quo minus uerum uel uideat, uel dicat, facile intelligitur, eiusmodi testis auctoritatem parum ualere apud prudentiores. Contra ea uiro, quem neutrarum partium esse, ex narrationis circumstantiis colligimus, maior habenda est fides.

Vt uero scias, num testis studio partium sit corruptus, opus est, ut uel eius patriam, uel religionem, uel sectam, uel familiam, cetera, perspecta habeas. E. gr. TACITVS odio, quam ueritati, plus dedisse putatur, cum de ueterum Germanorum moribus, habitu, religione et studiis exponit. Romanus Romanis fauebat, quos, scimus, Germanis fuisse infestissimos. Quod idem partium studium recte notatur hodie in Gallis, quos, cum de patria aut Germanis commentantur, ad amorem odiumque fere omnia, ad ueritatem uix pauca referre uideas.

IV. Testis oculati auctoritas plus ualet, quam testimonium testis auriti.

Quic-

Quicquid enim ex aliorum ſermone et per famam acceperis, id plerumque eſt eiusmodi, ut uerum raro ad liquidum perduci queat. Ita enim conſueuimus, ut, ſi quid alteri narramus, facile quid affingamus. Atque ita, quo latius ſpargitur fama, hoc plura accumulantur commenta. Fama enim uires acquirit eundo.

V. Quod teſtes coaeui narrant, tutius credes, quam quod ii, qui multo poſt uixerunt, referunt.

Thuano ergo Burnetoque uel ideo multum tribuendum eſſe, exiſtimant eruditi, quod eorum temporum, quibus uixit uterque, uiciſſitudines resque geſtas memoriae prodiderunt.

VI. Si idem, quod teſtis coaeuus, plures, eodem modo iisdemque circumſtantiis narrant, tum uero neſcio, an probabilitati teſtimonii, a coaeuo lati, addi quid poſſit.

VII. Si idem denique factum, eodem modo, a teſtibus, qui ad uerum dicendum iurisiurandi uinculo adſtringuntur, narratur, tum, quia omnes probabilitatis notae adſunt, facile adducimur, ut ei, quod narratur, aſſentiamur.

§ 182.

Haec de teſtium auctoritate. Ad ea autem ipſa facta, quae narrantur, parem adferas attentionem, ſi in credendo falli nolis.

§ 183.

I. Si in facto, quod narratur, occurrunt quaedam, quae inter ἀδύνατα ſiue ea, quae fieri

non possunt, referenda sunt, tum nulla adest probabilitas.

II. Si factum insolitum et mirabile narratur, tum attendas, num id a pluribus iisque prudentibus et probatae fidei uiris referatur, an ab unico teste, eoque uel obtusiori, aut ad fraudem acuto. Sin illud, facile ad credendum adduceris, si hoc, assensionem tantisper cohibebis, dum euidentiora certioraque documenta fidem tibi imperauerint.

§ 184.

In probabilitate historica *modus* quoque *narrandi* in censum uenit. De narrandi autem modo sic habeto.

I. Quae historice, i. e. stilo presso, simplici et plano narrantur, ea propius ad ueri similitudinem accedunt, quam quae dicendi genere oratorio aut poetico exponuntur.

In historica enim enarratione simplicia comparent omnia, ornatuque, tanquam ueste, detracto, nuda. Quae uero, oratorum aut poetarum more, referuntur, in iis multum a simplicitate ingenua recedi, reperies, omniaque coloribus ambitiosius conquisitis, exornari uidebis, ita quidem, ut ueritas, multis pigmentis fucoque inani tecta, uix ac ne uix quidem conspiciatur. Quae IVLIVS CAESAR, quae CORNELIVS, quae LIVIVS memoriae prodiderunt, ea maiorem merentur fidem, quam quae CVRTIVS, calamistrato nonnunquam et tumido scribendi genere usus, de ALEXANDRO MAGNO commentatur. Recte LIVIVS in praefatione: *Quae, ante conditam condendamque urbem, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis*

ruptis rerum gestarum monimentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est.

Duo sunt, quae hic monenda restant. α) Quae de probabilitate historica exposuimus, ad auctoritatem testimoniumque humanum pertinere uolumus. Quae enim testimonio diuino nituntur, sunt omni demonstratione certiora. β) Ex dictis intelligitur, facta tantum credi debere, non dogmata, quae non, nisi demonstratione, confirmanda sunt.

§ 185.

Haec de probabilitate historica. Ad hermeneuticae probabilitatis leges deuenimus. Est autem *probabilitas hermeneutica*, cum a quibusdam, in scripto auctoris obuiis, circumstantiis, e. gr. uerborum significatione, connexione, scriptoris item aetate, fine et affectu ad sensum scriptoris concludo.

Per sensum auctoris intelligimus illum conceptum scriptoris, quem per uerba in animis legentium et audientium scriptor uel loquens uult produci. *Interpretatio* est actus, quo eruimus sensum auctoris.

§ 186.

Ad sensum ergo auctoris facilius eruendum, permagni refert, has obseruari regulas probabilitatis hermeneuticae.

I. Qui sensum scriptoris eruere cupit, linguam, qua scriptor mentem suam explicauit, probe calleat, eiusdemque genium et quos uocant, idiotismos probe perspectos habeat.

Ex quo intelligitur, non posse non labi et errare eos, qui, scriptorem interpretaturi, translationibus siue uersioni-

sionibus aliorum fidunt. Parum ergo in Theologia proficiunt, qui sine linguae Hebraeae Graecaeue cognitione ad interpretanda oracula sanctiora accedunt.

II. In interpretando scriptore attendas ad eius sectam, affectum, munus, aetatem, scopum cet.

III. In auctoris ergo, quem interpretaris, systema descendas, illumque diiudices ex notionibus domesticis, neque eius uerba sensumque ex nostris notionibus praeconceptisque opinionibus interpretemur.

Quam legem, ignorantia, incertum, an malitia, migrarunt nostris temporibus complures, qui, WOLFII libros philosophicos interpretaturi, non eas, quas determinauit in Systemate WOLFIVS, notiones in consilium adhibuerunt, sed ex suis conceptibus conceptus Wolfianos finxerunt.

IV. Cauendum est, ne ad interpretandum scriptorem adferas uel odium erga scriptorem, uel amorem, uel quascunque alias praeiudicatas opiniones.

Haud enim animus, teste SALLVSTIO, uerum prouidet, ubi illa obficiunt. *Bell. Cat. cap. 51.*

V. In interpretando scriptore uerborum ordo, sententiarumque, apto nexu se excipientium, continuatio seriesque attendenda est, neque ea, quae cohaerent, distrahas et quasi discerpas.

Dici non potest, quam ridiculae inde falsaeque interpretationes existant, si interpretes ea diuellunt, de quibus, nisi contexas extrema cum primis, uere existimari non potest.

VI. Loca

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0132
DFG

VI. Loca autoris, quae uocant, parallela, conferenda sunt inter se, et obscuriora explicanda ex clarioribus.

VII. A sensu, qui uocatur, litterali et proprio ne temere discedas, neque quicquam improprie dici existimes, nisi necessitas ratioque idonea alia suaserit.

VIII. Mitior et benignior interpretatio est praeferenda odiosae, nec quisquam contradictionis temere est coarguendus.

Plures interpretationis regulas latius copiosiusque explicauit RAMBACHIVS *in Institutt. Hermeneut.*

§ 187.

Sequitur, ut *probabilitatem physicam* exponamus, quae est, cum ex pluribus phaenomenis siue sensionibus concludimus ad caussam aliquam physicam ac modum, quo effectum producit.

Haec probabilitas physica locum habet in explicandis, e. gr. *aurorae borealis, electricitatis, fluxus et refluxus maris etc.* caussis.

§ 188.

Hic sequentes teneto regulas:

I. Caussam phaenomeni physici non indagabis facile, nisi omnia ea, quae phaenomenon illud constituunt, rite habueris explorata, experientiamque, regulis supra adlatis, conuenienter institueris.

II. Omnes caussae, quae ad phaenomenon producendum adiumenti quid adferre potuerant

tuerant, sunt solicite inuestigandae et inter se conferendae.

III. Ex omnibus ergo caussis possibilibus eae probabiliter sunt uerae caussae, quae cum reliquis sensionibus et circumstantiis optime consentiunt.

§ 189.

Probabilitas politica in eo consistit, cum ex pluribus alicuius personae notis sensionibusque colligimus indolem animi.

Est haec probabilitas in cognoscendis pertentandisque hominum animis perquam utilis. Si e. gr. in amico tuo obseruas faciei hilaritatem, iocandi studium, inconstantiam, prodigalitatem, laborum fugam, cetera, tum ex his notis colligis probabiliter, esse ipsum uoluptuosum siue sanguineum, qui actiones suas huic regulae conformat: *quicquid iucundum est, sensusque suauius afficit, illud mihi bonum est, illudque appeto.*

§ 190.

Probabilitatem denique *practicam* eam dicimus, qua ex principiis physicis aut moralibus futurum aliquem praedicimus euentum.

Hac probabilitate utuntur uel inprimis uiri, qui, in aulis principum, rebus ciuilibus administrandis adhibentur. Hi enim rerum publicarum conuersiones sagacissime perspiciunt, futurasque uel belli uel pacis uicissitudines ex praesentibus augurantur, et ex similibus caussis exspectant similes euentus. De qua casuum similium exspectatione egi in commentatione de *fallaci casuum similium exspectatione.*

Pertinet huc argumentum, quod desumitur ab *analogia*, quodque inter argumenta probabilia recte refertur. Argumentamur hic a simili ad simile, quia similium

similis

similis est ratio. Vtuntur hoc argumento physici, cum, *incolas planetarum dari, probant.* Ita enim illi: *Terra et planetae sunt corpora solida, opaca, a sole lumen mutuantia. Cum ergo terra incolis repleta sit, quid obstat,* quo minus globos reliquos coelestes, qui eiusdem sunt naturae, habitari affirmemus.

§ 191.

Propositio, quae insufficienter probatur, dicitur *opinio.* Opinionum autem aliae sunt *probabiles,* aliae *improbabiles,* prout principia, quibus opinio nititur, uel sunt probabilia, uel *precaria,* quae sine omni ratione sumuntur.

Hinc intelligas licet, ipsas quoque opiniones, licet sint probabiles, posse esse falsas. Quamdiu enim opinio est opinio, tamdiu insufficienter probata est, adeoque nondum omnia ad ueritatem requisita adsunt, neque rationes adsunt completae, quae efficiunt, ut praedicatum necessario tribuatur subiecto. Atque ita praedicatum potest quoque subiecto repugnare ob rationes, nobis nondum cognitas. Quo ipso uides, propositionem probabilem et opinionem uerisimilem posse esse falsam.

CAP. V.

De Meditatione recte instituenda, et ueritate per eam inuestiganda.

§ 192.

Cum hactenus et ueritatis Logicae naturam et uarias eiusdem species disputauerimus, proximum est, ut exponamus, qua ratione ueritatem inuestigare et possimus et debeamus. Veritatis autem indagandae adiutrix cum *meditatio* diuinitus nobis

nobis data sit, quae sit uis meditationis, nunc exponemus.

§ 193.

Meditari tum dicimur, cum cogitationes nostras, bonae methodi legibus conuenienter, ita applicamus, et eo dirigimus, ut ueritates ex ueritatibus, notiones scilicet ex notionibus, propositiones ex propositionibus, eruamus, et *meditationem* dicimus cogitationum nostrarum applicationem ad ueritatem inuestigandam, bonae methodi legibus conuenienter.

§ 194.

Ex his definitionibus sequentes deducimus positiones, ad meditationis naturam indolemue plenius intelligendam apprime facientes.

I. Meditatio et bona Methodus differunt fere, ut iter et uia.

II. Colligitur ex his, eos, qui legitime meditari uolunt, plures iam ueritates debere habere perspectas. Quomodo enim ueritates ex ueritatibus, positiones ex positionibus erues, nisi iam ante notiones et positiones habueris cognitas.

III. Vides hinc rationem, cur tyrones, et ueritatum et bonae methodi ignari, nondum apti sint ad meditandum.

IV. Praecipua lex in omni meditatione sanciatur, ut principia certa et indubia, fundamenti loco, substernantur. Postulat enim hoc bona methodus, ad cuius leges meditatio instituenda est. Vid. § 193 et 12.

V. Rem

V. Rem ergo, de qua meditaris, accurate definias, et terminos, qui occurrunt, distincte explices. Pertinent enim definitiones ad principia, quibus meditatio methodi legibus conformata, suffulcitur. Vid. § 12.

Vt uero rei, quam meditando pertractas, definitionem condas, regulas tibi commendatas habeto, quas commendauimus § 166.

VI. Definitione rei, de qua meditaris rite constituta, ea, quae in definitione occurrunt, denuo definias, secundum regulam supra § 55 suppeditatam.

VII. Ex definitione, quae meditationis fundamentum est, nouas elicias propositiones, siue formes axiomata. Sunt enim axiomata enunciationes, ex unica definitione deductae.

Quandoquidem axiomata sunt in meditando maximi usus, paucis ostendemus, quomodo formari soleant axiomata. Hic ergo sic habeto. α) *Partem definitionis, genus nimirum aut differentiam specificam, omittas.* E. gr. Definitio *commiserationis* haec est. *Commiseratio est taedium ex alterius infelicitate perceptum.* Omitte genus, et emergent hae propositiones axiomaticae. 1) *Commiseratio supponit alterius infelicitatem.* 2) *Vbi est commiseratio, ibi debet repraesentari alterius infelicitas.* 3) *Quo maior est alterius infelicitas, quoque uiuidius eam tibi repraesentaueris, eo maior est commiseratio.* Omittas differentiam, et has habebis propositiones. (1) *Commiseratio est taedium.* (2) *Quicunque commiseratione afficitur, taedio afficitur.*

β) *Axioma emergit, si definitionem ita conuerteris, ut praedicatum in subiecti locum et subiectum in praedicati locum substituatur.* E. gr. *Quicquid est taedium, ex alterius infelicitate perceptum, illud est commiseratio, item: Vbicunque*

cunque locum habet taedium ex alterius infelicitate perceptum, ibi locum habet commiseratio.

γ) *Axioma existit, si definitionem affirmatiuam commutaueris in propositionem negatiuam aequipollentem.* E. gr. 1) *Vbicunque non adest taedium, ex alterius infelicitate perceptum, ibi non est commiseratio.* 2) *Vbicunque non adest infelicitas, ibi non locum habet commiseratio.* 3) *Quicunque non est capax taedii, ille non est capax commiserationis.*

§ 195.

Eadem ratione eruuntur ex unica definitione *postulata*, quae sunt propositiones practicae ex unica definitione deductae.

E. gr. E definitione *commiserationis* hoc fluit postulatum: *Quicunque alterum ad commiserationem uult excitare, ille debet alteri infelicitatem suam repraesentare.*

§ 196.

Ex his axiomatibus et postulatis nouae exsurgent propositiones, quae facili negotio, sine multo ratiociniorum anfractu, deducuntur, quaeque dicimus *consectaria.*

E. gr. Si ex definitione *commiserationis* hoc deduxisti axioma: *Commiseratio supponit alterius infelicitatem*, facile nunc elicies hoc consectarium: *quicunque ergo felix est, non meretur commiserationem.*

§ 197.

Si plures definitiones inter se conferis, tum ex harum comparatione oritur propositio, in qua aliquid tantum affirmatur et negatur, et est mere theoretica, quae uocatur *theorema.*

Theorema itaque inuenturus duas uel plures sumat definitiones, easque inter se conferat. Rem exemplo illu-

illuſtrabo. Prima definitio eſto: *Commiſeratio eſt taedium ex alterius infelicitate perceptum.* Altera haec: *Taedium eſt ſenſus imperfectionis.* Hinc Theorema: *In omni commiſeratione ineſt ſenſus imperfectionis. Demonſtr.* In omni taedio eſt ſenſus imperfectionis, (*per def. taedii*). In omni commiſeratione eſt taedium, (*per def. commiſ.*) E. in omni commiſeratione eſt ſenſus imperfectionis.

§ 198.

Cum *problema* ſit propoſitio practica demonſtrabilis, facile intelligitur, propoſitionem eiusmodi eodem modo inueniri, quo theorema inueſtigatur. Duas ſcilicet pluresque definitiones inter ſe conferas, tum ex hac collatione prodibit propoſitio practica.

Sit Problema: *quicunque in altero uult commiſerationem excitare, debet in altero ciere ſenſum imperfectionis.* Haec propoſitio practica eruitur ex duabus definitionibus *commiſerationis et taedii.* Ad ſolutionem problematis feliciter inſtituendam requiritur, ut cauſſas et originem rei, quae produci debet, perſpicias.

Sit Problema: *commiſerationem in altero excitare.* Si noſti, quod commiſeratio oriatur ex repraeſentatione infelicitatis, tum facile problema ſoluetur. Commiſeratio oritur ex repraeſentatione infelicitatis, E. ſi commiſerationem in alio uel erga te uel erga amicum tuum uis excitare, id age, ut alter infelicitatem uel tuam uel amici ſciat, ſibique uiuidiſſime repraeſentet.

§ 199.

Vt uero haec, quae de meditatione inſtituenda diximus, accuratius intelligantur, exemplum meditationis ſuppeditabo, ex quo ſeries continuatioque cogitationum perſpici poteſt.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0139
DFG

Fac, te uelle quid commentari de *Eloquentiae* natura et characteribus, ita ut, libris tantisper sepositis, omnia propria meditatione eruas, tum secundum meditationis bonaeque methodi regulas ita procedes.

§ 1.

Sollicitus esto de definitione eloquentiae secundum regulam § 194 n. 5 traditam. Definitionem autem et notionem distinctam eloquentiae facile tibi formabis, si casus speciales, in quibus quis eloquentia dicitur instructus, rite fueris contemplatus, eosdemque ita inter se contuleris, ut ex his, secundum regulas § 166 explicatas, notionem uniuersalem *eloquentiae* abstrahas. Prodibit autem, si regulis suppeditatis conuenienter meditatus fueris, haec definitio *eloquentiae*. *Eloquentia* est facultas pulchre loquendi.

§ 2.

Hac definitione *eloquentiae* praefulta, attendas ad notas et partes, quae in definitione eloquentiae occurrunt, eandemque constituunt, ui regulae § 55 expositae, adeoque explices, quid sit *pulchre loqui*. *Oratio* scilicet *pulchra* est, quae placet, et is *pulchre* loquitur, qui loquitur ita, ut placeat.

§ 3.

Ex his definitionibus deducas axiomata secundum § 194 n. 7. Fluunt autem ex definitione eloquentiae haec axiomata.

α) *Quicunque eloquentia est instructus, gaudet facultate pulchre loquendi.* β) *Ab eloquentia oratio pulchra seiungi non potest.* γ) *Qui non facultate pulchre loquendi est praeditus, non potest dici eloquens.* δ) *Qui ad eloquentiam peruenire ault, id agat, ut facultatem pulchre loquendi sibi acquirat.*

§ 4.

Ex definitione τοῦ pulchre loqui siue *pulchrae orationis* haec elicies axiomata.

1) *Qui-*

1) *Quicunque pulchre loquitur, orationem ita conformet, ut audientibus placeat.* 2) *Quaecunque oratio est apta ad placendum, ea est pulchra.* 3) *Nemo loquendo placere potest, nisi qui pulchre loquitur.*

§ 5.

Si interiorem eloquentiae et orationis pulchrae, quae ab eloquentia seiungi non potest (§ 3) naturam penitius uis noscere, rursus definias ea, quae notionem *pulchri* constituunt. Hic occurrit τὸ *placere* (§ 2).

§ 6.

Illud *placet*, quod uoluptatem in nobis producit. Rursus explices, quid sit *uoluptas*. Voluptas est sensus perfectionis. *Perfectio* est consensus uariorum in uno.

§ 7.

Has definitiones ideo praemittas, ut exinde possint formari axiomata, subseruitura tibi in demonstranda orationis pulchrae, adeoque eloquentiae natura.

§ 8.

Axiomata autem praecipua, quae ex his definitionibus fluunt, sunt haec fere.

α) *Sine uoluptate τὸ placere locum habere non potest.* β) *Nisi sentiuntur perfectiones, nulla oritur uoluptas.* γ) *Perfectionis sensus adeoque uoluptas esse non potest, nisi adsit perfectio.* δ) *Voluptas produci non potest, nisi perfectionis sensus producatur.* ε) *Ad id, ut in re quapiam insit perfectio, haec tria requiruntur,* 1) PLVRA *siue uaria,* 2) CONSENSVS *uariorum,* 3) FINIS, *siue bonum quoddam, ad quod efficiendum impetrandumque uaria illa consentiant.*

§ 9.

Has definitiones si rite inter se contuleris, ex iis et axiomatibus sequentia emergent Theoremata.

THEOREMA I. *Quicquid pulchrum est, illud debet esse ad uoluptatem in nobis producendam aptum.*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0141
DFG

DEMONSTRATIO. Pulchrum enim est, quod placet (§ 2): id autem placet, quod uoluptatem in nobis producit (§ 6). E. quicquid pulchrum est, illud debet ad uoluptatem in nobis producendam esse aptum.

THEOREMA II. *Fundamentum pulchritudinis est rei perfectio.*

DEMONSTRATIO. Pulchritudo enim debet ad uoluptatem in nobis producendam esse apta (*Theorema I*). Voluptas produci non potest, nisi perfectionis sensus producatur (§ 8 Axiom. 4). Perfectionis autem sensus nullus esse potest, nisi adsit perfectio (§ 8 Axiom. 3). E. fundamentum pulchritudinis est rei perfectio.

THEOREMA III. *Vt res pulchra sit, non sufficit, ut res gaudeat perfectionibus, sed requiritur, ut sentiantur perfectiones.*

DEMONSTRATIO. Nisi enim sentiuntur perfectiones, nulla oritur uoluptas (§ 8 Axiom. 2); sine uoluptate τὸ *placere*, adeoque etiam *pulchrum* (§ 2) locum habere non potest (§ 8 Axiom. 1). E. pulchritudo esse non potest, nisi sentiantur perfectiones.

§ 10.

Ex quo nouum hoc oritur THEOREMA. *Vt aliqua res sit pulchra, opus est, ut partes eius amico quodam consensu ad finem aliquem obtinendum referantur*, siue quod idem est, *consensus uariorum in re aliqua ad finem est fundamentum pulchritudinis.*

DEMONSTRATIO. Cum enim pulchritudinis fundamentum sit rei perfectio (§ 9 Theorem. II); perfectio autem uariorum consensu ad finem aliquem obtinendum contineatur (§ 8 Axiom. 5): manifestum est, ad rei pulchritudinem requiri, tanquam fundamentum, uarietatis consensum.

§ 11.

Occasione huius Theorematis occurrit tibi ad animum, eam partium, in re quapiam conuenientiam, quae ad

ad totius rei finem consequendum relata est, uocari a philosophis *symmetriam* et *commensurationem*.

§ 12.

Vide ergo nouum THEOREMA. *Vt res aliqua pulchra sit, requiritur partium, ex quibus res constat, symmetria siue commensus.*

DEMONSTRATIO. Cum enim ad id, ut aliqua res pulchra sit, requiratur partium consensus amicus ad finem aliquem obtinendum (§ 10); haec ipsa autem partium conuenientia dicatur symmetria siue commensus (§ 11); intelligitur, ad id, ut res pulchra sit, requiri partium, ex quibus res constat, symmetriam siue commensum.

§ 13.

His ita constitutis, quae notionem *pulchri*, generatim considerati, efficiunt, nunc nullo negotio intelliges haec consectaria.

CONSECT. I. Oratio pulchra debet ad sensus mentemque hominis uoluptate explendam esse accommodata (§ 9 Theorem. I).

CONSECT. II. Omnis orationis pulchrae fundamentum sunt eiusdem perfectiones (§ 9 Theorem. II).

CONSECT. III. In oratione itaque pulchra debent uaria, quae in oratione occurrunt, ita inter se concinere et conuenire, ut id, quod dicendo assequi uolumus, siue, quemadmodum philosophi loquuntur, ut orationis finem quam facillime obtineant (§ 10).

CONSECT. IV. Qui ergo perfectiones et pulchritudinem orationis nosse uel diiudicare uult, orationis finem, ad quem ea, quae loquimur, referri debent, perspectum habeat.

§ 14.

Hic succurrit tibi ex Logica AXIOMA illud: *quod ideo loquamur, ut alii nos intelligant, siue debemus esse in loquendo perspicui.*

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0143
DFG

§ 15.

Ex quo series continuatioque cogitationum hoc tibi suppeditat THEOREMA. *Oratio pulchra debet esse perspicua.*

DEMONSTRATIO. Cum enim ad orationem pulchram requiratur, ut ea omnia, quae in ipsa deprehenduntur, consentiant cum fine loquendi (§ 13 Consect. III). Finis autem loquendi, isque praecipuus sit, ut ab aliis, ad quos loquimur, intelligamur (§ 14); sequitur, ut in oratione pulchra debeat esse uerborum consensio cum audientium intelligentia, siue debeat esse perspicua.

§ 16.

Sponte se tibi nunc offerunt haec consectaria, quae Theorema praecedens partu quasi exclusit.

CONSECT. I. *Ergo oratio pulchra respuit uoces inanes, quibus nulla est subiecta sententia.* Voces enim, mente cassae, sunt eiusmodi, ut neque is, qui loquitur, conceptum siue cogitationem cum iis connectat, neque is, qui audit, coniungere notionem aliquam possit. Atque adeo, ut intelligantur, fieri nequit.

CONSECT. II. *E. Oratio pulchra nititur, tanquam fundamento, clara et distincta rerum enunciandarum cognitione.* Quomodo enim oratio pulchra esse posset perspicua, nisi coagmentata esset ex uocibus perspicuis, claris, euidentibusque. Quomodo uero uoces clarae esse queunt, nisi iis adhaereat idea clara et distincta?

CONSECT. III. *Orationis ergo pulchrae praesidia arcessi debent ex lautiori eruditionis apparatu, maxime ex philosophia.* Hac enim adiutrice, claram distinctamque rerum utilissimarum cognitionem nobis acquirimus.

§ 17.

Experientia teste, nouimus, nos, cum ad alios dicimus, id unum persaepe spectare, ut probemus aliis ea, quae dicimus, audientiumque animos ad credendum flectamus, siue ut *persuadeamus* aliis.

§ 18.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0144
DFG

§ 18.

Vnde emergit, in cogitationum ordine, haec propositio.

THEOREMA. *Oratio pulchra debet esse ad persuadendum accommodata.*

DEMONSTRATIO. Cum, quae pulchra est oratio, talis esse non possit, nisi uaria, ex quibus conflatur oratio, cum fine loquendi consenserint, (§ 13 Consect. III). Finis autem, ob quem ad alios loquimur, praeter perspicuitatem, sit is, ut efficiamus, ut, quae uera putamus, alii itidem habeant pro ueris, et contra, quod ipsum est *persuadere* (§ 17); consequens est, ut oratio pulchra debeat esse ad persuadendum accommodata.

§ 19.

Hinc fluunt haec consectaria.

CONSECT. I. *E. in oratione pulchra omnia conquiri debent, quae ad attentionem auditorum conciliandam adferre quid possunt adiumenti.* Quia sine attentione non obtinetur persuasio.

CONSECT. II. *Ergo in oratione pulchra rationes idoneae adferendae sunt, quae mentem audientium ad assensionem flectunt.*

§ 20.

Ea omnia, quae orationi adiiciuntur, ut placeat, et uoluptati aurium morigeretur, eius constituunt *ornatum.*

§ 21.

En nouum THEOREMA: *Oratio pulchra debet esse ornata.*

DEMONSTRATIO. Cum enim oratio pulchra debeat placere (§ 2); consequens est, ut uaria sibi adiecta habeat, quae efficiunt, ut placeat. In quo cum sit eius *ornatus* positus (§ 20); intelligitur, orationem pulchram debere esse ornatam.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0145
DFG

§ 22.

Hinc hoc fluit CONSECTARIVM. *E. in oratione pulchra plura uerba adhibentur, quam ad ueritatem nude proponendam requiruntur.*

§ 23.

Oratio, in qua plura uerba, quam ad ueritatem nude proponendam requiruntur, dicitur *copiosa.*

§ 24.

Nouum ergo ex his efficitur THEOREMA. *Oratio pulchra debet esse copiosa.*

DEMONSTRATIO. Cum enim in oratione pulchra plura uerba adhibeantur, quam ad ueritatem nude proponendam requiruntur (§ 22); ea autem oratio dicatur copiosa (§ 23); perspicuum est, orationem ornatam debere esse copiosam.

§ 25.

Cum ex § 12 tibi constet, orationem pulchram requirere aptam partium, ex quibus illa coagmentetur, symmetriam siue commensum, et ex § 16 Consect. I perspectum habeas, orationem pulchram respuere omnes uoces inanes, facile nunc intelligis:

α) *Inanem et uentosam loquacitatem ab oratione pulchra, licet sit copiosa, seiungendam esse, quia inanis loquacitas et tollit aptam partium symmetriam, et multas uoces, mente cassas admiscet.* β) *Hinc uides, orationem pulchram debere esse concinnam.*

DEMONSTRATIO. Apta enim membrorum congruentia, qua omnes partes in ea, qua coaluerunt, orationis compage, cum quodam iustae magnitudinis decore conueniunt inter sese et ordine mensuraque conspirant, efficit id, quod dicimus *orationis concinnitatem.* (per def.)

Cum uero ad id, ut oratio pulchra sit, requiratur partium, ex quibus illa coagmentatur, *symmetria* siue *commensus* (§ 12); intelligitur, orationem pulchram debere esse concinnam.

§ 26.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0146
DFG

§ 26.

Oratio, in qua uerba cum rebus consentiunt et exaequantur, dicitur *apta*.

§ 27.

Oratio pulchra debet esse apta.

DEMONSTRATIO. Cum oratio pulchra esse non possit, nisi in ea insint perfectiones (§ 13 Consect. II); perfectio uero requirat consensum (§ 8): sequitur, ut in oratione pulchra debeat esse consensus cum rebus dicendis, ita, ut parua ac tenuia tenui, mediocria temperato, magna sublimi et magnifico dicendi genere exprimantur. Haec oratio dicitur *apta* (§ 26). Ergo oratio pulchra debet esse apta.

§ 28.

Ex his theorematibus demonstratis plenius nunc intelligis positiones ad eloquentiae naturam et indolem latius explicandam facientes, quarum nonnullas hic uideas.

I. Quandoquidem eloquentia est facultas pulchre loquendi (§ 1), atque adeo pulchra oratio ab ea seiungi nequit (§ 3); uides, eloquentiam esse facultatem perspicue loquendi (§ 15), quia oratio pulchra debet esse perspicua.

II. Eloquentia respuit uoces inanes (§ 16 Consect. I) atque adeo eloquentia et loquentia differunt.

III. Eloquentia nititur clara ac distincta rerum enunciandarum cognitione (§ 16 Consect. II).

IV. Eloquentiae praesidia debent peti ex lautiori eruditionis apparatu, maximeque ex philosophia (§ 16 Consect. III); ut ergo eloquentia recte dicatur *loquens sapientia*.

V. Eloquentia est facultas ad persuadendum apposite dicendi (§ 18).

VI. Eloquentia est facultas ita dicendi, ut rationes idoneae adferantur, quae mentem audientium ad assensionem flectant (§ 19 Consect. II).

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0147
DFG

VII. Eloquentia est facultas ornate et copiose dicendi (§ 21 et 23).

VIII. Eloquentia est facultas concinne et apte loquendi (§ 25 et 27).

Plures propositiones, si ad cogitandum te dederis, se tibi sponte offerent, ita quidem, ut altera alteram partu quasi excludat. In quo quanta insit uoluptas, ii demum norunt, qui mentis uires non hebescere patiuntur, sed ingenium, tanquam arcum, intentum habent, et nunc hanc nunc illam propositionem meditando pertractant. Hoc uno exercitio si iuuenes, qui in scholis humanitatis ad studia incumbunt, probe subiguntur, dici non potest, quantum inde utilitatis ex logica referant.

CAP. VI.

De Veritate diiudicanda, speciatimque de modo libros legendi et diiudicandi.

§ 200.

Exposita hactenus cum ueritatis logicae natura, tum ratione eam inueniendi, nunc in eo uersabimur, ut ostendamus, qua attentione et cautione opus sit, in ueritatibus, quas alii inuenerunt, examinandis diiudicandisque.

§ 201.

Cum uero aliorum ueritates in libris contineantur, nostrum est, regulas tradere, ad quas aliorum scripta queant diiudicari.

§ 202.

§ 202.

Libri aut continent facta, aut dogmata, siue uniuersales propositiones. Illi uocantur *historici*, hi *dogmatici*. Vt adeo intelligas, scripta omnia commode dispesci posse in scripta dogmatica et historica.

Fit persaepe, ut in scriptis quibusdam aliorum dogmata cum probationibus suis recenseantur. Haec scripta recte dixeris *scripta dogmatico-historica*, huc pertinent multa diaria eruditorum. Si uero dogmata inter se nexu legitimo connectuntur, et solide demonstrantur, tum scriptum dicitur *dogmaticum scientificum*.

§ 203.

In diiudicando scripto historico has potissimum regulas tibi habeto commendatas.

I. Attendas, num scriptum historicum sit uerum.

Hic ergo probabilitatis historicae leges, a nobis § 173 expositas, in consilium adhibeas.

II. Num in iis, quae narrantur, ordo legitime obseruetur, probe dispicias.

De ordine autem scripti historici optime iudicabis, si ad circumstantias temporis animum aduerteris, et chronologiam tibi familiarem reddideris.

III. Attendendum, num scriptum historicum fini respondeat, siue num sit *completum*.

Finis, pro historiae diuersitate, uarius est, α) *Historiae naturalis* finis est, phaenomena et facta naturae rariora describere. β) *Historiae ecclesiasticae* scopus est, fata et uicissitudines ecclesiae commemorare, errores et errorum remedia, in omnibus seculis, indicare, prouidentiamque diuini Numinis, in coetus diuinioris conseruatione conspicuam, oculis animisque lectorum

ctorum ſubiicere. γ) *Hiſtoriae ciuilis* haec prima lex eſt, ut exempla adferantur in medium, quibus politices praecepta ſtabiliuntur, ut rerum publicarum et incrementa et conuerſiones explicentur, ſubnexis ubique cauſſis, quibus uel rerum publicarum flos, uel interitus ſit productus. δ) *Hiſtoriae* denique *litterariae*, in quo uel fata ſcientiarum, uel uitae et facta eruditorum enumeranda ſunt, is uel in primis finis eſt, ut cognitio ueritatum, a ueteribus in medium prolatarum, inde acquiratur, itemque ſubſidia ſuppeditentur, quibus ars heuriſtica ſiue inueniendi poſſit augeri. Ergo in hiſtoria litteraria recenſeri debent ſcripta, eorumque argumenta, item methodus, in iisdem adhibita, et a qua ſtirpe haec et illa ueritas ſit ducta. Vitae eruditorum accurate enarrandae ſunt, et quae cuiusque ſint in hanc uel illam eruditionis partem promerita, indicentur.

§ 204.

Quod ad ſcripta dogmatica, eaque, ut uocant, ſcientifica attinet, in iis legendis examinandisque haec teneto.

I. In ſcripto dogmatico ſcientifico primum ſcriptoris ſcopum perſpectum habeas, quem intelligas licet, uel in primis ex praefatione.

II. Perutile eſt in legendo diiudicandoque ſcripto dogmatico, quasque ueritates, in ſingulis paragraphis obuias, in certas quasdam deſcribere propoſitionum ſpecies, atque ſolicite diſpicere, num uel ad definitiones, uel ad axiomata et poſtulata, uel ad theoremata et problemata pertineant.

III. In primis uideas, ſi ſcriptum dogmaticum ſub incudem uocaueris, num certae et

et legitimae definitiones, fundamenti loco, ſubſternantur, et, quo nexu, theoremata ex iis demonſtrentur.

Hic egregie inſeruient tibi magnoque erunt uſui regulae, quas ſupra in capite de definitionibus explicauimus.

IV. Diſpiciendum eſt, num ſcriptum dogmaticum ſit *ſolidum*, i. e. num omnes propoſitiones firmis demonſtrationibus corroborentur, ita quidem, ut nihil praeter experientias indubias, definitiones et axiomata, ſine probatione admittatur.

Hic in conſilium ea adhibebis, quae a nobis in Capite de demonſtratione dicta ſunt. Si in ſcripto uel principia incerta et dubia praeſtruuntur, uel nexus probandi nullus conſpicitur, tum ſcriptum illud uocamus *ſuperficiarium*.

V. Cum ſcriptum ſolidum accuratas demonſtrationes continere debeat (num. IV), in omni autem demonſtratione omnes propoſitiones ita connectantur, ut altera ex altera, omnes autem ex principiis certis fluant (§ 167): intelligitur, ſcriptum dogmaticum, quia debet eſſe ſolidum, eas debere continere ueritates, quae apto nexu deuinciantur, ſiue quod idem eſt, *ſyſtematice* conficiendum eſſe.

Syſtemu enim dicimus ueritatum, inter ſe connexarum, congeriem.

VI. Ex his omnibus intelligis, perſpicuitatem et ſoliditatem praecipuas eſſe dotes ſcripti dogmatici.

CAP.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0151
DFG

CAP. VII.

De Veritate cum aliis communicanda deque modo alios conuincendi.

§ 205.

Rationem inueſtigandi ueritates, uel ab aliis inueſtigatas examinandi hactenus expoſuimus. Nunc leges trademus, quae docent, quomodo cum aliis ea, quae cogitamus, debeamus communicare.

§ 206.

Qui alterum ad ueritates, ſibi nondum notas, uerbis, uiua uoce prolatis, perducit, is alterum dicitur *docere*.

§ 207.

Age ergo, eorum, qui docendo cum aliis ueritates communicant, paucis his complectamur poſitionibus.

I. Qui alterum uult docere, ſit perſpicuus.

Quomodo enim cum altero ueritates communicabit, niſi intelligatur. Donum ergo perſpicuitatis ad docendum uel inprimis requiritur.

II. Ergo is demum docere debet, qui rem, quam docet, diſtincte intelligit.

Qui enim rem docendam diſtincte intelligit, is eam per uerba cum aliis facile diſtributiusque communicare poteſt.

III. Ad perſpicuitatem docentis pertinet, ut ſingulos terminos accurate definiat, atque ita obſcuritatem, quam uoces uagae et indeterminatae pariunt, tollat.

IV. Per-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0152
DFG

IV. Perſpicuitati conſulitur, ſi res abſtractae et a ſenſibus remotiores exemplis, e communi uita petitis illuſtrantur.

V. Docentis eſt, eos, quos docet, de ueritatibus certos reddere.

Secus enim ſi fit, ii, qui docentur, dubitant, num ſint ea uera, quae proponuntur. Docentis autem refert, ea, quae docentur, diſtincte ab auditoribus intelligi, quod fieri non poteſt, ſi in incerto uagentur.

VI. Ex quo conficitur, docentem habitu demonſtrandi debere eſſe inſtructum.

Demonſtratione enim uia munitur ad certitudinem, quod capite de demonſtratione probauimus.

VII. Praecipua ergo uirtus et dos docentis eſſe debet *ſoliditas*.

Soliditas enim, ut diximus, in eo uel maxime conſpicitur, ſi idoneis quamque propoſitionem rationibus communire poſſumus ita, ut ratiocinia ex ratiociniis nectantur, omniaque enunciata firmis, nec facile conuellendis fundamentis ſuperſtruantur.

VIII. Ex his omnibus intelligitur, in docendo hanc legem ſanciri debere, ut docens alios, quos docet, uel de ueritate uel de falſitate propoſitionis conuincat.

Conuincere alterum dicimur, cum efficimus, ut alterum certum reddamus de ueritate uel falſitate propoſitionis alicuius, id quod partes docentis exigunt (num. V). Ipſa autem illa actio, qua alterum certum reddimus, dicitur *conuictio* (in ſenſu ſcil. *actiuo*). At conuictio (*paſſiue* ſumta) eſt ſtatus ille, quo certi ſumus de alicuius propoſitionis uel ueritate uel falſitate.

§ 208.

§ 208.

Conuictionis natura et indoles rectius perſpicietur, ſi et ea, quae ex parte *conuincentium*, et ea, quae a *conuincendis* requiruntur, expoſuerimus.

§ 209.

Has ergo habeto poſitiones.

I. Qui alterum conuincere uult, id agere debet, ut diſtincte explicet propoſitionem, de qua alterum uult conuincere.

Quomodo enim alterum certum redderet de propoſitionis ueritate, cuius ſenſum alter non capit.

II. Qui alterum conuincit, id efficit aut per demonſtrationem, aut per experientiam.

Certitudo enim acquiritur, uel per demonſtrationem, uel per experientiam. Illa conuictio dicitur a *priori*, haec a *poſteriori*.

III. Hinc intelligitur, eum, qui conuinci uult, debere in demonſtrationibus non eſſe prorſus hoſpitem et peregrinum.

Niſi enim demonſtrationem capit quis, conuictio non locum habet. Ruſtici ergo et rudiores difficilius conuincuntur de ueritatibus abſtractis, quam eruditi.

IV. Qui conuinci uult, debet adferre attentionem.

Sine hac enim demonſtrationem non capiet, nec diſtincte intelliget nexum propoſitionum.

V. Eius ergo, qui conuincendus eſt, attentio nullo modo turbanda eſt.

VI. Atque adeo eum, quem conuincere allaboramus, non debemus turbulentis affectibus implere.

Minui-

Minuitur enim, quin etiam tollitur attentio in affectuum turba et impetu, teste experientia.

VII. Fugienda ergo sunt conuicia et dicteria, si alterum conuincere uolumus.

Fieri enim non potest, quin ad conuicia aut scommata affectus irae tristitiaeque cieatur. Perabsurde ergo agunt, qui, dum in aliis conuincendis occupati sunt, conuiciorum mole alios obruunt.

CAP. VIII.

De modo alios confutandi.

§ 210.

Cum alios conuincimus de errore, tum illos dicimur *refutare*.

§ 211.

Quae ergo de conuictione, capite praecedenti, adlata sunt, nunc ualent quoque de confutatione.

I. Quandoquidem conuincimus alios per demonstrationes (§ 209 num. II), intelligitur, eum, qui refutare alterum uult, debere demonstrare falsitatem propositionis, quam alter pro uera habet.

II. Non est ergo refutatio cum *impugnatione* confundenda. Illa postulat demonstrationes, haec uero ex incertis et precariis principiis probat, alterum errasse.

III. Hinc intelligitur, ueram propositionem non posse refutari. Si enim propositio uera refutari posset, tum demonstrari posset, eam esse falsam, adeoque esset falsa. Nam quicquid legitime demonstratur, illud uerum est (§ 168 num. VII). Verum

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0155
DFG

ergo esset, ueram propositionem esse falsam.

IV. Ea ergo propositio, quae legitime demonstrata est, non potest refutari.

V. Cum is, qui alterum uult conuincere de propositionis uel ueritate uel falsitate, eius propositionis sensum distincte explicare debeat (§ 209 num. I), sequitur, ut confutaturus alterum, propositionem ante explicare debeat, quod uocamus *statum controuersiae formare.*

Hoc ipso euitatur omnis *Logomachia*, quae ex eo oritur, cum alter alterum non intelligit.

VI. Eius, quem conuincere uolumus, attentio nullo modo turbanda est (§ 209 num. V). E. cauendum, ne alterius, quem confutare cupimus, attentionem turbemus (§ 210). Ergo in confutando abstinendum est a conuiciis et aculeatis dicteriis (§ 209 num. VII).

VII. Ex quo lucide apparet, in confutando consequentias, quae animo nocendi et alterum risui exponendi formantur, esse uitandas.

VIII. Argumenta quoque *ab inuidia ducta*, quibus utimur, ut alterius famae labeculam aspergamus, in confutando neutiquam adhibere decet.

Argumenta ab inuidia ducta eas rationes appellamus, quibus utimur, non ut uerum in lucem proferamus, sed ut aduersarium, quem confutare uideri uolumus, exosum aliis inuisumque reddamus. Huc pertinet illud, si propositionem confutandam Atheismi plenam, ipsum-

ipsumque scriptorem Atheum esse, clamitamus, si item propositionem, quam impugnamus, conferimus cum placitis hominum, iam inuisorum et fama laborantium.

CAP. IX.
De Modo se defendendi.

§ 212.

Qui demonstrat, se ab altero non esse confutatum, ille se aduersus dissentientem *defendere* dicitur.

§ 213.

De defensione sequentes obserues regulas:

I. Si propositio aliqua legitime demonstrata est, eademque ab aliis impugnatur, non opus est, ut eam multis defendas, cum certum sit, eam confutari non posse.

II. Si sensus uerborum uindicandus est, satis te defendisti, si quid per uerba uelis intelligi, demonstraueris. Si notionem, quam cum uerbis tuis coniungis, pertinaciter reiicit aduersarius, aut malitiose uerba in peruersum sensum detorquet, non opus est amplius defensione.

III. Contra impugnantem, qui iniuriis potius et conuiciis, quam argumentis, militat, non magis opus est defensione, quam contra furiosum aut summe ebrium, conuiciis te lacessentem.

At si aduersarius, qui te criminatur, apud alios plurimum ualuerit auctoritate, tela calumniarum retundenda sunt, ne existimatio tua et fama in discrimen adducatur.

§ 214.

Eiusmodi scripta, quibus continentur defensiones aduersus criminationes, aut errorum imputationes, dicuntur *scripta apologetica*. Scripta *polemica* sunt, quibus errores refutantur aut impugnantur, aliorumque sententiae impugnatae defenduntur.

Dicuntur alias quoque scripta *critica*, quorum numerus minui potius debebat, quam augeri.

CAP. X.
De Modo disputandi.

§ 215.

Mutuam propositionis alicuius impugnationem et defensionem coram institutam dicere solemus *disputationem*.

§ 216.

Eum, qui propositionem uel thesin, de qua disputatur, impugnat, dicimus *opponentem*. Qui uero thesin contra impugnationem defendit, uocari solet *respondens*. Qui autem respondentis partes tuetur, illique succurrit et suppetias fert, si quando haeserit, dicitur *praeses*.

§ 217.

Quae ad disputantes requiruntur, his includam positionibus:

I. Qui de argumento quodam disputare uult, argumentum, de quo disputatur, distincte intelligat.

II. Linguae, qua disputatio instituitur, sit peritus, praesentemque adferat animum.

III. Disputantes sibi uere contradicant, ne, more uetularum, in rixas incidant, et de lana caprina altercentur.

IV. Dis-

IV. Disputaturi sint uacui ab omnibus turbulentis affectibus, ira praesertim et inuidia, modestiamque et ueri studium sibi habeant commendatum.

V. Vt appareat, num sibi contradicant disputantes, opus est, ut opponens propositionem, quam impugnat, distincte explicet, aut a respondente theseos sensum et explicationem postulet.

§ 218.

Opponentis hae fere partes sunt:

I. Sententiam thesi, de qua disputatur, contrariam probet.

II. Argumenta, quibus thesin impugnat, proferat ordine, quoad eius fieri potest, syllogistico, ut ipsius mens et neruus probandi eo melius perspiciatur.

III. Praemissas syllogismorum, quibus utitur, tamdiu probet, si dubiae sint, donec peruentum fuerit ad principia certa et indubia.

IV. Omnes cauillationes, conuicia, dicteria, quae turbant attentionem, euitet opponens.

V. Videat, num respondentem ex propriis assertionibus refutare, et, quod aiunt, proprio gladio iugulare queat, quod est κατ' ἄνθρωπον disputare.

§ 219.

Si opponens propositionem impugnauit, tum respondens sequentia obseruet:

I. Respondens integrum syllogismum, prout ab opponente fuit prolatus, repetat, ut pateat, num opponentis mentem et sensum

perceperit. Quo ipso respondens dicitur *argumentum assumere*.

II. Assumto argumento, porro respondens dispiciat de omnibus propositionibus, num debito gaudeant robore. Quarum si una alteraue uideatur dubia, expetat sibi probationem eiusdem.

III. Probatione dubiae propositionis ab opponente prolata, infringatur neruus argumenti.

§ 220.

Quod fit, uarie respondendo:

I. Forma syllogismi examinatur, et disquiritur, num ratiocinatio opponentis sit regulis syllogisticis conformis.

II. Materiae ratio habetur, ubi respondens uel *concedit* totum argumentum, si scilicet illud non fuerit contra thesin, uel infringit rationes opponentis per *instantiam*, qua per exemplum contrarium prolatum demonstratur, enunciationem opponentis non esse uniuersalem, uel per *inuersionem et retorsionem*, uel denique per *distinctionem et limitationem*.

§ 221.

Disputandi methodus syllogistica ceteris methodis praeferri meretur, quia, si argumentum forma syllogismi includeris, omnes propositiones speciatim distributiusque recensentur, ut ita respondens fontes errorum felicius detegere queat.

Cum per quaestiones et responsiones disputatur, dicitur haec methodus *erotematica*, itemque *socratica*, per quam facile opponens uel respondentem uel respondens opponentem in fraudem inducit.

Finis Philosophiae rationalis.

META-

METAPHYSICAE

PARS PRIMA

ONTOLOGIA

SIVE

PHILOSOPHIA

PRIMA.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0161
DFG

INSTITVTIONES METAPHYSICAE.

Prolegomena de Metaphyſices natura et indole.

§ 1.

Quamuis ſint, qui, iuuentuti, in ſcholis ad humanitatem erudiendae, metaphyſicam tradendam eſſe negant, propterea, quod innumeras tricas ſpinoſasque quaeſtiones, quas neſciſſe rectius fuerit, contineat; mihi tamen perſuaſum eſt, tanto minus iuuenes a deliciis metaphyſicis eſſe arcendos, quanto pluris intereſt, eos mature peruenire ad diſtincte cogitandi facultatem, ad quam aſſequendam elegantiſſima haec diſciplina plurimum adfert adiumenti.

Metaphyſices nomen inuidioſum eſt, et infamiae propemodum ſubiectum. Eam enim ſcholaſtici metaphyſicen tractandi rationem inierant, ut nugarum ineptiarumque plurimum, ueritatum utilium parum adferrent, terminosque, mente caſſos, barbaros, et ne fando quidem auditos, procuderent. Quo factum, ut metaphyſica plurium, et in his prudentiorum, ludibrio fue-

rit expoſita, et propemodum conuicii loco habitum, uocari metaphyſicum. At poſtquam, pulſa ſcholaſticorum barbarie, metaphyſica dignitati honorique ſuo reſtitui coepit, eo nunc prodit habitu, ut, quantum diuerſa eſt a ueterum quisquiliis, tantum ſui cultoribus adferat emolumenti.

§ 2.

Vt ergo intelligatur rectius, quid ſit *metaphyſica*, nonnullas praemittemus poſitiones, ex quibus lucide apparebit, quid tandem ſit illud, quo metaphyſica ab omnibus aliis rebus et diſciplinis internoſcatur.

§ 3.

Omnis cognitio humana oritur a ſenſibus. Quicquid autem ſenſibus percipimus, id pertinet ad *indiuidua*, quae multiplicibus determinationibus et circumſtantiis uel loci, uel temporis, uel perſonae, inuoluta et ueſtita nobis ſiſtuntur, id quod in Logica fuſius docuimus.

§ 4.

Quamuis uero omnia indiuidua, quae ſenſibus percipimus, ob innumeras circumſtantias et determinationes ita a ſe inuicem differant, ut alterum alteri nunquam in omnibus ſimile deprehendatur, ſunt tamen quaedam proprietates et notae, quas habent indiuidua, multum alioquin a ſe diſcrepantia, communes, et in quibus eadem perpetuo conueniunt (§ 46 Log.)

E. gr. IVLIVS CAESAR, CICERO, POMPEIVS, ſunt indiuidua. In his miram quandam animaduertes diuerſitatem, ſed in quibusdam ſimilitudinem et conuenientiam deprehendes, e. gr. in eo, quod haec omnia indiuidua ſint ſubſtantiae, quod uiuant et ſentiant, quod exiſtant, cetera.

§ 5.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0164
DFG

§ 5.

Quando has notas proprietatesque, rebus pluribus communes, nobis repraesentamus, tunc notiones siue repraesentationes harum affectionum, rebus pluribus communium, dici solent *notiones uniuersales* itemque *abstractae*. Scientia autem uniuersalium, siue disciplina illa, in qua notiones uniuersales et communes distincte explicantur, dicitur *Metaphysica*.

Metaphysicae ergo est, notiones rerum communes et generaliores distincte euoluere, rerum discrimina perquirere, propositiones et axiomata, in ceteris disciplinis, e. gr. philosophia morali, physica, etc. fundamenti loco ponenda, ita stabilire, ut iis demonstrationes superstrui queant.

§ 6.

Complectitur autem Metaphysica, ex mente recentiorum, has quatuor disciplinas: α) *Ontologiam*, in qua notiones uniuersaliores et principia cognitionis humanae communissima distincte exponuntur. β) *Cosmologiam*, siue *scientiam mundi in genere*. γ) *Psychologiam*, quae cum ea, quae per experientiam de anima nobis innotescunt, tum illa quoque quae, ratiociniorum ope, inuestigamus, explicat. δ) *Theologiam* denique *naturalem*, in qua de Dei existentia, eius attributis operibusque exponitur.

Has disciplinas ergo cum complectamur metaphysica, intelligis, cur nonnulli eam cum Cel. THUMMIGIO definiant, per scientiam entis, et mundi in genere, rerumque immaterialium.

Nos eum commentandi ordinem nunc seruabimus, ut α) generaliora cognitionis humanae principia, et notiones communes explicemus, in *ontologia*, β) ea, quae ad mundi generatim considerati, notionem constituendam spectant, adferamus, in *cosmologia*, γ) et animae humanae DEIque naturam et proprietates lectorum animis subiiciamus in *psychologia* et *theologia naturali*.

INSTI-

INSTITVTIONES ONTOLOGIAE.

Prolegomena.

§ 7.

Ontologiae est, generaliores et communissimas notiones distincte explicare (§ 6). Cum autem in hoc conceptu omnia conueniant, quod entia sint, ita ontologiam pertractabimus, ut praestructis primis cognitionis humanae principiis, ab entis conceptu enodando ordiamur. *Ontologiam ergo* recte definimus per scientiam entis in genere, seu quatenus ens est.

Ontologia uocatur quoque *philosophia prima*, propterea, quod in eadem prima ueritatum omnium principia, et primae notiones, in aliis disciplinis applicandae, et in ratiocinando usui futurae, traduntur.

§ 8.

Quae de ontologia eiusque natura et usu notari merentur, his complectemur positionibus:

I. Cum ontologia sit scientia (§ 7) omnesque adeo eius propositiones demonstrari debeant, (per def. scientiae) manifestum est, ontologiam minus recte haberi a quibusdam pro Lexico philosophico.

Nimis arctis ontologiam limitibus definiunt ii, qui praeter terminorum barbarorum farraginem, nihil in ea contineri putant.

II. Ex

II. Ex ontologia ceterarum disciplinarum ueritates robur suum stabilitatemque petunt, atque adeo non miror, cur nonnulli eam scientiarum principem et reginam appellitent.

Fundamenta enim, quibus nituntur ueritates uel physicae uel morales, stabiliuntur in ontologia.

III. Euidens nunc est, cur sine ontologia cognitionem mentis humanae solidam esse negemus.

Solida enim non potest esse cognitio nostra, nisi prima omnis scientiae principia, primasque ueritates, quae fundamentum conclusionum omnium constituunt, perspectas habuerimus. Vnde autem eas tibi perspectas reddes, nisi ex ontologia.

IV. Vsus ontologiae est uarius, et per omnes disciplinas, quae philosophiae ambitu comprehenduntur, sese diffundit.

E. gr. In Theologia naturali DEI existentia non potest demonstrari sine principiis et notionibus in ontologia stabilitis. In psychologia animi humani immortalitas non demonstrabitur, nisi ex ontologia perspectum habueris, quae sint entis simplicis proprietates.

CAP. I.
De primis cognitionis humanae principiis.

§ 9.

Est ontologiae, uniuersaliora cognitionis humanae principia stabilire (§ 6). Duo autem sunt omnis cognitionis humanae principia, alterum scilicet

ſcilicet *principium contradictionis*, alterum *principium rationis ſufficientis.*

Omnes, quas cognoſcimus, ueritates ſunt duplicis generis, aliae *neceſſariae*, i. e. eiusmodi, ut aliter eſſe non poſſint, aliae *contingentes.* Neceſſariae ueritates nituntur principio contradictionis, contingentes ſuperſtruuntur principio rationis ſufficientis.

§ 10.

A principio contradictionis ordiemur. Quod ut intelligi poſſit plenius, explicabimus ante, quid ſit *contradictio*, quid ſit *principium.* Cum de una eademque re aliquid ſimul affirmamus et negamus, tum dicimur nobis *contradicere*, ut adeo contradictionem recte definiamus per eiusmodi orationem, qua de una eademque re idem ſimul affirmatur et negatur. Per *principium* hic intelligo eiusmodi propoſitionem, quae in ſerie ueritatum prima eſt, et unde deduci intelligique debent reliquae ueritates.

E. gr. Cum dicis: CAIVS eſt philoſophus et CAIVS non eſt philoſophus, tum contradicis tibi, de una enim eademque re ſcilicet affirmas, quod ſit philoſophus, et negas ſimul, quod ſit philoſophus.

Haec propoſitio: *Anima eſt ens ſimplex*, eſt principium huius propoſitionis: Anima eſt immortalis.

§ 11.

Eorum omnium, quae quidem nobis noſſe datum eſt, primum eſt, *quod exiſtas.* Dum autem ſcimus, nos exiſtere, fieri non poteſt, ut eodem tempore, nos non exiſtere, nobis perſuadeamus. Atque idem, quod in exiſtentiae noſtrae cognitione uerum eſt, in aliis quoque rebus locum habere, compe-

comperimus. Experientia ergo magistra, haec propositio certissima est, *fieri non potest, ut idem simul sit et non sit.*

Atque haec propositio dici solet *principium contradictionis* (der Satz des Widerspruches).

§ 12.

Quae de hoc principio obseruari merentur, his habeto positionibus.

I. Hoc principium est principium absolute primum, quo prius nec est, nec esse potest.

Nulla enim propositio prior excogitari potest, ex quo huius principii ueritas possit demonstrari. Quamcunque enim assumseris, semper hoc principium supponere debes, quia alias propositio, quam fundamenti loco ponis, et uera simul esse potest, et falsa.

II. Vides ergo, principium contradictionis recte dici *indemonstrabile*, quia ex aliis notioribus propositionibus siue principiis deriuari nequit.

III. Principium contradictionis est uniuersale, i. e. non casus aliquis uel datur, uel dabitur, in quo fieri potest, ut idem simul sit, et non sit.

IV. Principium contradictionis est fons omnis certitudinis. Ex hac enim propositione: *fieri non potest, ut aliquid simul sit et non sit*, fluit haec: *quaelibet res, dum est, certo est.*

Ceterum haec propositio, quam uocamus *principium contradictionis*, tam euidens est ex ipsis terminis, ut non credam, quemquam exstitisse unquam, aut etiam nunc

nunc exiſtere, qui ſerio hanc propoſitionem uel in dubium uocare, uel negare audeat.

§ 13.

Haec de principio contradictionis. Alterum cognitionis humanae principium eſt *principium rationis ſufficientis*. Quod ut intelligatur recte, exponemus, quid ſit *ratio ſufficiens*.

§ 14.

Ratio ſufficiens eſt id, ex quo intelligitur, cur ſit alterum.

E. gr. Si CAIVS, qui ſanctioribus litteris operam ſuam tempusque conſecrare ſtatuerat, oppido animum mutat, et iurisprudentiae operatur, idque ideo, quod ſpe ducitur, citius in iurisprudentia colenda ampliſſimam dignitatem conſequendi, tum ſpes honores citiſſime aſſequendi eſt ratio ſufficiens, cur CAIVS a theologiae ſtudio cogitationes ſuas conuertat ad Themidos ſacra. Ex hac enim ſpe, qua ducitur, intelligi poteſt, cur CAIVS, miſſa theologia, iurisprudentiae ſtudeat.

§ 15.

De ratione ſufficienti quae notanda ſunt, ſequentibus poſitionibus includemus.

I. Quicquid eſt, debet habere rationem ſufficientem, ex qua intelligi poteſt, cur potius ſit, quam non ſit, cur hoc modo ſit, nec alio.

Si enim quicquam eſſet ſine ratione ſufficiente, tunc *τὸ nihilum* rem produxiſſet, adeoque *τὸ nihil* exiſteret, (quia alias rem producere non potuiſſet) et non exiſteret, (quia alias non eſſet nihil) quod uero, *ui principii contradictionis*, fieri nequit.

Haec

Haec propositio, *nihil est sine ratione sufficiente*, dicitur a LEIBNITIO WOLFIOque *principium rationis sufficientis*, quod quidem qui negant, aut non intelligunt, quid hac propositione contineatur, aut dedita opera studioque communis cognitionis humanae principia et fundamenta subuertere uelle uidentur.

II. Id, quod omni ratione sufficiente destituitur, nec est, nec esse potest.

Sunt quidem plurimae res, quarum causas rationesque sufficientes ob limites, quibus nostra intelligendi facultas definita est, perspicere non possumus. At colligi inde non potest: Ergo nullae adsunt rationes sufficientes.

III. Quicquid est, atque adeo, cur sit, rationem habet sufficientem, eam aut in semetipso habere debet, aut in alio ente extra se.

IV. Quandoquidem propositio haec: *nihil est sine ratione sufficiente*, ex principio contradictionis robur suum stabilitatemque accipit (num. I), manifestum est, principium rationis sufficientis non esse absolute primum principium.

V. Principium rationis sufficientis in omnibus rebus locum habet (num. I), atque adeo est uniuersale.

Non modo in corporibus, sed spiritibus quoque omnis motus actioque gaudet ratione sufficienti, id quod suus quemque sensus et experientia cumulate docet.

VI. Principium rationis sufficientis est in omnibus eruditionis partibus, totaque uita humana, maximi usus.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0171
DFG

Tolle principium hoc, multae ueritates, quas philoſophia tradit, collabefient, nec uideo, quomodo exiſtentia Dei, ſublato hoc principio, poſſit ſolide demonſtrari. Quin in ipſa theologia reuelata ſaluberrimas doctrinas conuelli et tolli uidebis, ubi principium rationis ſufficientis ſuſtuleris. Plura uide in inſtitutionibus noſtris metaphyſicis pag. 42 ſeqq.

CAP. II.
De Notione Entis et Non-Entis.

§ 16.

Si, quid ſit *ens*, et *non-ens*, recte intelligere uolueris, peropus eſt, ut ante intelligas, quid ſit *poſſibile*, et *impoſſibile*.

Notionem ergo τῶ *poſſibilis*, et *impoſſibilis* ante explicabimus, hasque uoces ita determinabimus, ut pateat, multos errores ab his uocibus, minus recte definitis, in philoſophiam profluxiſſe.

§ 17.

Poſſibile, ſi paullo latius hanc uocem ſumſeris, dicitur id omne, quod contradictione caret, ſiue, quod nullam inuoluit repugnantiam.

Vocabulum *poſſibilis* duplici fere ſenſu ſumitur, α) τὸ *poſſibile* id uocamus perſaepe, quod, quamuis non exiſtat, poteſt tamen exiſtere. β) Id omne quoque, ſenſu latiori, *poſſibile* uocari conſueuit, quod iam exiſtit, et quod exiſtere poteſt. Quod ut intelligas rectius, exemplum perquam perſpicuum addam. Non exiſtit, quod ſciam, *mons aureus*, at, quid impedit, quo minus exiſtere queat. Eſt ergo poſſibilis ſenſu priori. *Eruditus homo* eſt poſſibile quid. Non enim notio *eruditi notioni hominis* ita aduerſatur, ut illa hanc tollat. Breuis abruptusque ſtilus idemque obſcurus, eſt poſſibile quid. Poſſunt enim *breuitas*, et *obſcu-*

obscuritas in uno dicendi genere concurrere, secundum illud HORATII:

- - - *Breuis esse laboro*
obscurus fio. De Arte Poëtica v. 25.

Quod uel maxime stili LIPSIANI exemplo potest comprobari. Vt idem homo sit disputator subtilis, et dulcis tamen orator, fieri potest, quo in numero DEMETRIVS PHALEREVS, teste CICERONE, haberi potest. Lib. I de Off. cap. 1. Notio enim *subtilis disputatoris* notionem *dulcis oratoris* non tollit aut respuit.

§ 18.

Impossibile ergo uocatur id, quod inuoluit contradictionem, siue quod repugnantiam continet.

E. gr. *Turpitudo* et *uera utilitas* sunt eiusmodi notiones, quarum una alteram tollit. Vt ergo, quod turpe est, idem sit utile, inter ἀδύνατα referendum est. Praeclare hanc in rem CICERO: *Vt, quod turpe est, id quamuis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest; sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, aduersante et repugnante natura.* De Off Lib. III c. 19.

§ 19.

Eorum, quae ἀδύνατα sunt, duo sunt genera. Si quid est eiusmodi, ut inuoluat in se et sua natura contradictionem, tum id dici solet a philosophis *absolute impossibile*. Si quid uero fieri non potest, sub quibusdam conditionibus et circumstantiis, tum uocamus illud *hypothetice impossibile*.

Quod ut luculentius queat intelligi, haec subiungam. Vt e. gr. homo sit ens infinitum, fieri prorsus non potest, propterea, quod hominis, a Deo creati, naturae plane aduersatur, nullis definitum esse limitibus, atque adeo id est *absolute impossibile*. *Hypothetice uero impossibile* est, ut is fortis sit, qui dolorem sum-

mum malum iudicat, aut temperans, qui uoluptatem ſummum bonum ſtatuit, quod recte monet CICERO, L. I de Off. c. 2. *Hypothetice* eſt *impoſſibile*, ut, ſole ſplendente, nox incubet terris, et tenebrarum omnia ſint plena.

§ 20.

Moraliter impoſſibile dicitur illud, quod quidem in ſe non inuoluit contradictionem, infert tamen repugnantiam in hoc illoue ſubiecto, ob intercedentes ſubiecti illius perfectiones morales.

E. gr. *Vt quis mentiatur et alterum decipiat*, non in ſe inuoluit contradictionem, adeoque in ſe non eſt impoſſibile, at uiro bono eſt impoſſibile. Num *cadit*, inquit CICERO, *in uirum bonum, mentiri, emolumenti ſui cauſſa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus.* Vt quis locupletium teſtamenta peruertat, fieri poteſt. Non poteſt a uiro bono. Scite CICERO, *ſi uir bonus*, inquit, *habeat hanc uim, ut, ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletium teſtamenta nomen eius irrepere, hac ui non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam ſuſpicaturum.* De Off. Lib. III c. 19.

§ 21.

Notionibus τῦ *poſſibilis* et *impoſſibilis* diſtincte explicatis, facile nunc intelligi queunt ſequentes poſitiones, quarum unaquaeque nihil non adfert adiumenti ad ueritates maioris momenti intelligendas.

I. Id, quod eſt abſolute et in ſua natura impoſſibile, non fieri poteſt poſſibile.

II. Quod hypothetice impoſſibile eſt, id poteſt eſſe in ſe et ſua natura poſſibile.

Quamuis enim fieri non poſſit, ut uir bonus uel officiorum malitioſis blanditiis, uel aliorum oppreſſione, locuple-

cupletium hereditates quaerat, et teſtamenta adulteret, fieri tamen in ſe poteſt. *Si enim*, ut CICERONIS uerbis utar, *dares hanc uim Craſſo, ut digitorum percuſſione heres poſſet ſcriptus eſſe, qui reuera non eſſet heres, in foro, mihi crede, ſaltaret.* l. c.

§ 22.

Ita nunc manifeſtum fiet, quid ſit *exiſtentia*. Vt res aliqua exiſtat, non ſufficit ſola poſſibilitas, ſiue non-repugnantia, et mera contradictionis abſentia, ſed *complementum* accedat, oportet, *poſſibilitatis*, quod ipſum conſtituit rei exiſtentiam.

Sunt, quibus minus probatur haec philoſophorum dictio: *complementum poſſibilitatis*, cum, quod ante WOLFFIVM nemo ea uſus fuerit, tum quod perobſcura ſit explicatuque difficilis. At non eſt, quod quisquam ſolo uocum ſono offendatur, dummodo res, iis ſignificata, ſit uera. Vt intelligatur ergo haec exiſtentiae definitio, primum explicabimus, quid philoſophi per *poſſibilitatis complementum* uelint intelligi, deinde exempla ſubnectemus, illuſtrandae definitioni perquam accommodata.

Priusquam res aliqua exiſtere incipit, eſt poſſibilis, i. e. poteſt exiſtere. Status, qui poſſibilitati rei ſuperaccedit, dicitur *complementum poſſibilitatis*. E. gr. Cum mundus nondum exiſteret, tantum erat poſſibilis. Eo ipſo uero momento, quo ad exiſtentiam perducebatur, accedebat complementum poſſibilitatis. *Exiſtentiam* quoque definire poteris per ſtatum rei, quo ea apta eſt uel ad agendum, uel ad patiendum.

§ 23.

Ex his conficiuntur haec enunciata.

I. Quod actu exiſtit, id quoque debet eſſe poſſibile.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0175
DFG

Veteres hanc positionem ita enunciabant: *ab esse ad posse ualet consequentia*, e. gr. mundus est, ergo potest etiam esse.

II. Quod possibile est, id non ideo existit.

Scholastici ita: *a posse ad esse non ualet consequentia.* Quis ita argumentabitur: Anima potest a Deo destrui, E. destruitur?

III. Quod fieri non potest, siue impossibile est, id non existet, siue *a non posse ad non esse ualet consequentia.* E. gr. Fieri non potest, ut corpus cogitet, E. nec cogitat, nec cogitabit.

IV. Quod non existit, non est statim inter ἀδύνατα referendum, siue *a non esse ad non posse non ualet consequentia.*

Nondum e. gr. philosophi demonstrarunt usum electricitatis, num ergo putas, ipsum nunquam demonstrari posse?

§ 24.

Facilius nunc, quid sit *ens*, quid *non-ens*, intelliges. *Ens* definimus per id, quod est possibile, siue, cui existentia non repugnat.

Qui *ens* id omne dicunt, quod reuera et actu existit, paullo arctioribus uocem *entis* limitibus uidentur circumscribere, propterea, quod *ens*, ut uocant, *potentiale* hoc modo non continetur definitione entis. Id scilicet, quod iam existit, dicitur *ens actuale*, quod autem existere potest, quamuis non existat, appellari consueuit *ens* in *potentia* siue *potentiale*. E. gr. Hic mundus est ens actuale, existit enim, at crastinus dies est ens potentiale, nondum enim existit, quamuis possit existere.

§ 25.

§ 25.

Ens rationis (ein Hirn-Geſpinſte) dicitur, quod non exiſtit, niſi in mentis fictione. E. gr. *Respublica Platonica.*

Huc pertinet illud HORATII:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi uelit, et uarias inducere plumas.
Vndique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne, etc.

De Arte Poet. v. 1. Plura entia rationis, ſi tanti putas, commenta et aegrorum ſomnia legere, tibi dabit GELLIVS Noct. Att. L. IX c. 4.

§ 26.

Caue uero, ens rationis confundas cum non-ente. *Non-ens* illud dicimus, quod nec eſt, nec eſſe poteſt, ſiue, quod eſt impoſſibile.

E. gr. *Creatura illimitata, Deus dependens.*

CAP. III.
De Eſſentia.

§ 27.

In quolibet ente non modo exiſtentia conſideranda eſt, ſed in eo quoque elaboremus neceſſe eſt, ut attendamus ad eius *naturam eſſentiamque*, atque adeo intelligamus, *quid* res ſit. Cuiusuis autem rei *eſſentia* eſt id, per quod res aliqua praeciſe haec res eſt, et non alia, ſiue per quod res ab omnibus aliis rebus poteſt internoſci.

WOLFFIVS in Ontolog. Lat. p. 137 § 168 *eſſentiam* definit per id, quod primum de ente concipitur, et in quo

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0177
DFG

ratio continetur sufficiens, cur caetera uel actu insint, uel inesse possint.

Quod exemplis illustrabimus. *Considera creaturam, ut creaturam.* Per hoc praecise creatura est creatura, quod sit limitata, et per limitationem creatura a creatore internoscitur, ut adeo, limitationem constituere essentiam creaturae, facillime intelligas. Considera *commiserationem.* Commiseratio per hoc est commiseratio, quod sit taedium ex alterius infelicitate. En eius essentiam! *Fortitudinis*, ut hoc addam, essentiam ponit CICERO in dolorum laborumque contemtione L. III de Off. c. 33. Prouidentiae diuinae naturam his enunciat uerbis TVLLIVS: *In eo maxime est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem, ut in eo eximia pulchritudo sit atque omnis ornatus.* De Nat. Deor. cap. 22.

§ 28.

Ex his sequentes propositiones, nullo negotio, intelligi possunt.

I. Entis, quatenus ens est, essentia recte constituitur in eiusdem possibilitate.

Quid enim illud est, per quod ens a non-ente distinguitur? Nonne est eiusdem possibilitas? Per hoc enim ens est ens, quod sit possibile (§ 24.)

II. Quodlibet ens sua gaudere debet essentia. Per essentiam enim ens aliquod habet id, ut sit ens. Tollas ergo essentiam, ipsum ens tolli, uides.

III. Essentia entis est necessaria.

Entis essentia est eiusdem possibilitas (pos. I.) Quod autem possibile est, necessario est possibile, non potest enim simul esse impossibile (§ 21.) Ergo entis essentia est necessaria.

Exem-

Exemplum, huic positioni lucem conciliaturi, addemus. Non necessarium est, ut creatura existat. Poterant enim creaturae etiam non existere. At, ut creatura sit *limitata*, id uero necessarium est. Finge enim, creaturam existere, eamque illimitatam, tum non est creatura, sed ens infinitum. Non necessarium est, ut existant *uitia* in hominibus. At si uitia existunt, non possunt aliter existere, quam ita, ut actiones legi diuinae contrarias inuoluant. Quid si uero, inquies, animo fingerem uitium, quod sit legi diuinae consentaneum. Tum non uitium animo informas, sed uirtutem. Caueas ergo rerum existentiam cum earundem essentia confundas. Res, quas Deus condidit, non *existunt necessario*, at *earundem essentia* est necessaria.

IV. Essentia entis est aeterna.

Non ita accipi uolumus hanc positionem, ac si res cum suis essentiis ab aeterno exstiterint, aut in aeternum exstiturae sint. Sed sensus hic est: Deus omnium rerum essentias ab aeterno sibi in intellectu suo infinito repraesentauit, et si res, quae nunc existunt, ab aeterno exstitissent, non alio modo fuissent possibiles. Praeclare CLERICVS in Ontolog. c. 4. *Essentias rerum*, inquit, *qui aeternas et immutabiles dicunt, id uolunt, per quod ens est id, quod est, seu ipsum ens non posse a nobis intelligi, esse aliud ens, et simul idem. Itaque si Deus ab omni aeternitate habuerit ideas entium nunc existentium, qualia sunt, illas necessario easdem fuisse, ac nunc sunt.* Accipe, perspicuitatis caussa, exemplum. Circulum Deus ex omni aeternitate sibi non alio modo potuit repraesentare, quam rotundum. Quidni, inquies, quadratum? Ita non circulum sibi repraesentasset.

V. Essentia entis est immutabilis itemque incommunicabilis.

Dum enim essentia est necessaria, adeoque aliter esse non potest (§ 28), intelligitur, eandem quoque esse immutabilem. Mutari quidem rerum existentia potest,

test, essentia non potest. Nullius uis tanta est, ut efficere queat, ut circulus sit circulus, et tamen quadratus, ut creatura sit creatura, et tamen illimitata.

Ex his decidi potest quaestio illa controuersa: *num possit fieri, ut Deus corpori facultatem et uim cogitandi tribuat?* Hic respondemus negando. Si enim corpus cogitandi ui gaudere posset, tunc essentia spiritus, quae continetur ui cogitandi, cum corpore communicaretur, adeoque corpus esset corpus (*per hypothesin*) et simul esset spiritus, quia essentia spiritus gauderet. Quod pugnat cum principio contradictionis (§ 11.)

VI. Ex his perspicuum est, cur philosophi, essentiam entis nec minui posse, nec augeri, contendant. Si enim essentia posset augeri, aut minui, tunc mutaretur. Cum uero essentia mutari nequeat (pos. 5), patet, eam nec augeri posse, nec minui.

Hoc sensu essentiae dicuntur esse, sicut numeri. Sic e. gr. numero ternario nihil addi potest, nihil demi, saluo numero ternario. Si enim quid addideris, non amplius est numerus ternarius, si quid detraxeris, itidem desinit esse numerus ternarius.

CAP. IV.

De generalioribus entis affectionibus.

§ 29.

Omnia ea, quae de ente praedicantur, dicuntur eiusdem *affectiones*. E. gr. Puritas et elegantia est affectio stili latini.

§ 30.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0180
DFG

§ 30.

Cum uero ea, quae de ente praedicantur, aut sint eiusmodi, ut ex eius essentia originem suam repetant, aut, praeter essentiam, rei insint, consequens est, ut affectiones entis dupliciter possint distingui.

E. gr. Quod homo sit *libertatis capax*, id ex eius essentia intelligi potest. At *eruditum* uel *pium* esse, itidem est affectio hominis, quae uero non ex essentia hominis ortum suum ducit.

§ 31.

Cum non-ens neque existat, neque existere possit (§ 26), intelligitur, cur non-entis nullae sint affectiones.

§ 32.

Ea praedicata siue affectiones, quarum ratio sufficiens continetur in ipsa rei essentia, dicuntur *attributa*, siue propria, quae ab iis affectionibus probe distinguenda sunt, quae rei insunt, at ex essentia rei non fluunt. Haec dicuntur accidentia siue modi.

CICERO *magnitudinis animi* attributa eleganter ita enarrat: *Huius uirtutis proprium est, nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare.* Lib. III de Off. c. 27. Oratoris attributa his enunciat verbis: *Oratoris proprium est, apte, distincte, ornate dicere.* De Offic. L. I c. 1. Libertatis proprium est, sic uiuere ut uelis. L. I c. 20. Attributa planetarum siue stellarum errantium idem eleganter exponit, Lib. II c. 20, de Natura Deorum. Haec de attributis.

Eruditio est accidens siue modus hominis. Cum PLINIVS tribuit REGVLO imbecillum latus, os confusum,

sum, linguam haesitantem, tardissimam inuentionem, memoriam nullam, ingenium insanum, furorem denique et impudentiam, L. IV ep. 7, tum haec omnia, quae de REGVLO praedicantur, accidentia esse uides.

§ 33.

His praestructis, facile nunc intelligis has positiones:

I. Posita rei essentia, ponuntur quoque eius attributa. Fluunt enim attributa ex rei essentia (§ 32).

II. Attributa entis ab eiusdem essentia separari non possunt.

III. Attributa entis sunt necessaria et immutabilia. Quia essentia est necessaria et immutabilis (§ 28 pos. III et V).

IV. Modi siue accidentia a re, cuius sunt modi, possunt separari. Potest e. gr. homo esse homo, quamuis non sit eruditus.

§ 34.

Quatenus ens aliquod aptum est per essentiam et naturam suam ad capiendos et admittendos modos, eatenus ipsi *dispositionem naturalem* ad illum modum, quem recipere potest, tribuimus.

E. gr. Homo gaudet dispositione naturali ad eruditionem recipiendam, quia eruditionem, tanquam modum, homo per naturam siue essentiam suam recipere potest.

§ 35.

Ex his apparet, quid sit *entis unitas*. Complexus scilicet eorum omnium, per quae ens aliquod prae-

praecise hoc ens est, nec aliud, constituit *entis cuiusuis unitatem.*

Considera e. gr. hunc mundum, qui constat ex uariis corporibus caelestibus terrestribusque, quae, uario connexa modo, efficiunt, ut mundus hic praecise hic mundus sit et non alius. Atque uniuersus ille complexus uariorum, hunc potissimum mundum constituentium, efficit id, quod *unitatem* mundi dicimus.

§ 36.

Si ergo *unitas* consistit in complexione eorum, quae essentiam constituunt, cum eaque sunt connexa, intelligitur, *omne ens esse unum.*

Quae unitas dicitur *Metaphysica*, atque ideo cuilibet enti tribuitur, quia unumquodque ens essentiam habet indiuisam. *Si non esset*, inquit HEBENSTREITIVS, *omne ens unum, tunc non esset ens, sed entia, cum diuisa essentia arguat multitudinem essentiarum.* Phil. Prim. p. 498.

CAP. V.
De eo, quod IDEM est ac DIVERSVM.

§ 37.

Eadem dicuntur, quae sibi mutuo possunt substitui, ita, ut, facta substitutione, nulla adsit mutatio. Alii ita: *Eadem* sunt, quorum in uno est omne id, quod est in altero.

E. gr. TERENTIVS Menandri Comoedias, *Andriam* et *Perinthiam*, easdem esse ait, his usus uerbis:

Menander fecit ANDRIAM et PERINTHIAM. *Qui unum recte norit, ambas nouerit. Non ita dissimili*

mili sunt argumento, sed tamen dissimili oratione sunt factae, ac stilo. Andr. Prol. 10. conf. WESTERHOVIVS ad h. l. Dictiones hae Terentianae: *Prae iracundia non sum apud me:* Heauton. V, 1, 48. *Vix sum compos animi; ita ardeo iracundia;* Adelph. III, 2, 12 sunt *eaedem:* Potest enim altera in alterius locum substitui, neque ideo sensus mutatur.

Eadem sunt duplicis generis. Si omne id, quod est in A, deprehenditur quoque in B, tunc A et B dicuntur *absolute eadem.* Si uero A continet tantummodo aliquid, quod est in B, tum A et B dicuntur *respective eadem.* Sic e. gr. Comoediae, quas adduxi, Menandri sunt respectiue eaedem, quia sunt, teste TERENTIO, simili argumento, sed stilo dissimili.

§ 38.

Diuersa sunt, quorum unum continet aliquid, quod non est in altero.

Sunt e. gr. *loquentia et eloquentia diuersa.* Vid. PLIN. L. V ep. 20, qui, alio loco, scire admodum et eleganter orationis et historiae diuersitatem enunciat: *Habet*, inquit, *oratio et historia plura diuersa in his ipsis, quae communia uidentur. Narrat sane illa, narrat haec, sed aliter. Huic* (historiae scilicet) *pleraque humilia et sordida et ex medio petita: illi* (Orationi) *omnia recondita, splendida, excelsa conueniunt. Hanc saepius ossa, musculi, nerui; illam tori quidam et quasi iubae decent. Haec uel maxime ui, amaritudine, instantia: illa tractu et suauitate atque etiam dulcedine placet. Postremo alia uerba, alius sonus, alia constructio.* PLIN. Epist. 8 L. V.

Paucis hic, quid sit *idem numero* et *idem specie*, explicandum uidetur. *Idem numero*, quod idem ipsum quoque uocatur, est, quod de se ipso tantum dici potest. E. gr. Idem PLINIVS, qui epistolas scripsit, TRAIANVM oratione panegyrica collaudauit. *Idem specie* est, cum plura individua conueniunt in conceptu illorum specifico. E. gr. CAIVS, TITIVS, SEMPRO-

SEMPRONIVS, sunt iidem specie, quia in eo conueniunt, quod sint *homines*.

§ 39.

Nota characteristica dicitur id, ex quo res cognoscitur et a reliquis distinguitur.

Sic *planetarum* notae characteristicae, quibus a stellis fixis distinguuntur, hae fere sunt; quod *sint corpora caelestia solida et opaca, quae tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum subsequuntur, tum celerius mouentur, tum tardius, tum omnino ne mouentur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt.* Vid. CICERO de Natur. Deor. L. II c. 10.

§ 40.

Quae easdem habent notas characteristicas, dicuntur *similia*, quae uero diuersas habent notas characteristicas, ea uocamus *dissimilia*.

E. gr. LIVIVS Hannibalem Amilcari dum similem fuisse ait, notas quasdam enumerat characteristicas, quae in utroque eaedem fuere. *Missus Annibal*, inquit, *in Hispaniam, primo statim aduentu omnem exercitum in se conuertit. Amilcarem uiuentem redditum sibi ueteres milites credere; eundem uigorem in ultu, uimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri.* L. XXI c. 4.

Exemplum dissimilitudinis suppeditant tibi duo fratres, quos TERENTIVS in Comoedia, *Adelphi*, loquentes facit. Micio et Demea uocantur, qui dissimillimo fuere ingenio moribusque. Ille urbanam uitam secutus est; hic rusticam: ille coelebs uixit; hic uxorem duxit; ille ingenio leniſſimo, hic asperrimo; ille mitis etiam in alienos, hic saeuus etiam in suos; ille etiam in ira placidus, hic etiam citra iram ferox. Quam characteristicarum notarum diuersitatem, atque inde oriundam dissimilitudinem Micio uel potius TERENTIVS ita exprimit:

Is

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0185
DFG

- - - - - *Is* (scil. frater) *adeo*
Dissimili studio est, iam inde ab adolescentia.
Ego hanc clementem uitam urbanam atque otium
Secutus sum, et, quod fortunati isti putant,
Vxorem nunquam habui. Ille contra, haec omnia:
Ruri agere uitam semper parce ac duriter
Se habere: Vxorem duxit. TERENTIVS Adelph. Act. I Sc. I, 18. Conf. CIC. de Senectut. c. 18.

Vide notarum diuersitatem!

§ 41.

Aequalia sunt, quae eandem habent quantitatem, *inaequalia*, quae diuersa sunt quantitate. *Quantitas* uero est multitudo eorum, quae rem constituunt. *Multitudo* autem constat ex unitatibus iunctis, e. gr. duae columnae eiusdem longitudinis et mensurae sunt aequales.

§ 42.

His notionibus distincte explicatis, perfaciles intellectu erunt hae positiones:

I. Quae in aliquo tertio conueniunt, illa eadem sunt, siue inter se conueniunt.

E. gr. Eruditio et uirtus inter se conueniunt in hoc tertio, quod *eruditio hominis felicitatem amplificet*, et uirtus *humanam felicitatem promoueat.*

II. Si ergo duo eidem tertio sunt similia uel aequalia, ipsa quoque sibi similia uel aequalia esse debent.

E. gr. Si duo iuuenes dissoluti, et in uoluptates effusi, ratione propensionum animi et cupiditatum, sunt brutis similes, dubitari non potest, eos esse simillimo ingenio moribusque. Fac, duas columnas esse aequa-

aequales mensurae C, oppido intelligis, esse sibi aequales.

III. Quae similia sunt, possunt quantitate differre, adeoque esse inaequalia, et, quae aequalia sunt, adeoque eandem habent quantitatem, possunt esse dissimilia.

Sic e. gr. duo libri possunt esse aequales, ita ut eorum magnitudo sit unius mensurae, at ob diuersas notas characteristicas, e. gr. argumentum, editiones, ligaturam, sunt dissimiles, quemadmodum contra duae columnae ob easdem notas, possunt similes esse, at differunt quantitate et mensura.

IV. Non dantur, nec dari possunt duo entia, perfecte eadem, et perfecte similia.

Fingas, dari, aut dari posse duo entia perfecte eadem, aut perfecte similia, tum eodem quoque tempore, eodemque loco debent existere. (Alias enim non essent perfecte similia). Fac, eodem tempore illa, quae perfecte similia fingis, existere, tum non possunt eodem loco existere, atque adeo in ipsis diuersitas, *ratione loci*, reperitur. Fingas, eodem loco, illa existere, tum non eodem tempore existent. Quo ipso iam dissimilitudo noua exsurgit.

Hanc propositionem LEIBNITIVS uocat *principium indiscernibilium*, propterea, quod si duo essent entia, sibi in omnibus perfecte similia, nullo modo a se inuicem discerni possent.

De principio, quod uocant, indiscernibilium eleganter disputat CICERO, L. IV c. 17 Quaest. Academic. Democritum confutat, qui, innumerabiles esse mundos, affirmabat, eorumque quosdam ita inter se non solum similes, sed undique perfecte et absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus interfit. Quam opinionem ita refellit CICERO: *Quid tibi uis in geminis? Conceditur enim, similes esse, quo contentus esse potueras. Tu autem uis eosdem plane similes: quod fieri nullo modo potest. Primum quidem me ad Democritum*

critum uocas, cui non assentior, potiusque refellam propter id, quod dilucide docetur a politioribus physicis, singularum rerum singulas esse proprietates. Fac enim, antiquos illos Seruilios, qui gemini fuerint, tam similes, quam dicuntur. Num censes, etiam eosdem fuisse? Non cognoscebantur foris; at domi, non ab alienis: at suis. An non uidemus hoc usu uenire, ut, quos nunquam putassemus a nobis internosci posse, eos consuetudine adhibita, tam facile internosceremus, uti ne minimum quidem similes esse uiderentur? Videsne, ut in prouerbio sit ouorum inter se similitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures, qui Gallinas alere permultas quaestus caussa solerent. Hi, cum ouum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant. Hactenus CICERO. Plura de principio indiscernibilium differui in den Oberlausitzischen Beyträgen Tom. I, 4.

CAP. VI.

De Determinato et Indeterminato.

§ 43.

Vox *determinare*, si originem eius stirpemque spectes, nihil aliud significat, quam terminos limitesque rei constituere, eamque ab omni alia re distinguere.

E. gr. Si uocem *sensus*, cuius significatus latius patet, definimus, tum *determinare* eam definitione dicimur. Ita enim ipsi certus significatus tribuitur, atque adeo illam terminis quibusdam, intra quos contineatur, includimus. Cum uidemus, CAII animum in dubio esse, et cogitationes eius huc illuc impelli, tum dicimus, Cajus kan sich nicht determiniren. Quale quid obseruamus in Pamphilo Terentiano, qui iussus a patre Philumenam uxorem ducere, et nuptias parare, in ancipiti constitutus (Glycerium enim deperibat) quid faciat, nescit.

Nunc

Nunc primum, inquit, *quid exsequar?*
Tot me impediunt curae, quae meum animum diuorse trahunt:
Amor, misericordia huius (sc. Glycerii) *nuptiarum, sollicitatio,*
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc
Quae meo cunque animo libitum est, facere: ein' ego ut aduorser? Hei mihi!
Incertum est, quid agam. TERENT. Andr. Act. I, 5 v. 26.

Vide, quam indeterminatus sit Pamphili animus, i. e. quam parum fluctuantibus et dubiis cogitationibus fixum aliquem terminum possit ponere! Eleganter haec ex TERENTIO expressit OVIDIVS:

Vt modo desperat: modo uult tentare: pudetque
Et cupit: et, quod agat, non inuenit. Vtque securi
Saucia trabs ingens, ubi plaga nouissima restat,
Quo cadat IN DVBIO EST, omnique in parte timetur:
Sic animus uario labefactus uulnere nutat
Huc leuis, atque illuc, momentaque sumit utroque.
Metamorph. X, 371.

§ 44.

Determinatum est id, de quo aliquid ita praedicatur, ut oppositum eius, quod praedicatur, simul excludatur. *Indeterminatum* est, de quo aliquid adhuc praedicari non potest, etsi de eo in posterum praedicari posse non repugnet.

Has notiones exemplis perquam perspicuis illustrabimus. Sic e. gr. cum LIVIVM lego, tum haec actio dicitur determinata. Fieri enim non potest, ut, dum lego, simul non legam, adeoque *legere* ita de me praedicatur, ut oppositum lectionis, quae de me praedicatur, simul excludatur. Cum Gorlicii existo, tum

existo in loco determinato, quia fieri non potest, ut, dum commoror Gorlicii, simul Lipsiae aut Dresdae existam.

Voluntas est facultas *indeterminata*, est enim uoluntas tantum facultas et potentia appetendi, uel auersandi. Nondum enim de *uoluntate*, pro facultate sumta, praedicari potest, quod reuera appetat, aut auersetur, quamuis non repugnet, de uoluntate in posterum praedicari, illam appetere aut auersari, si scilicet motiua accesserint, quae determinatam uolitionem producant. Reguli filium, PLINIVS ait, fuisse ingenio AMBIGVO, *qui tamen posset recta sectari, si patrem non referret.* Ep. 2 L. IV. Non praedicat de ipsius ingenio, quod uel bonum fuerit uel malum, sed ambiguum, i. e. indeterminatum, de quo in posterum possit forsasse praedicari, esse uel bonum uel malum. Ad notiones *determinati* et *indeterminati* illustrandas perquam accommodata uidentur esse ea, quae LIVIVS de Horatiorum et Curiatiorum pugna eleganter commemorat. Cum terni iuuenes infestis armis animisque congrederentur, nondum uictoria erat determinata, et neutro, ut LIVIVS ait, spes inclinabatur. Cum uero HORATIVS, duobus fratribus caesis, Curiatios singulos aggrederetur, eosque omnes prosterneret, uictoria ex parte Horatiorum, atque adeo Romanae gentis, erat determinata. L. I c. 25.

§ 45.

Determinationes rei uocantur ea omnia, quae efficiunt, ut res aliqua praecise haec res sit, et non alia, siue: ea omnia, quae in aliquo subiecto certo respectu determinata sumuntur. E. gr. *Intellectus* et *uoluntas* sunt determinationes spiritus, per intellectum enim et uoluntatem efficitur, ut aliqua substantia sit spiritus.

Determinationes quasdam Iugurthae SALLVSTIVS eleganter ita commemorat: *Qui ubi primum adoleuit, pollens*

pollens uiribus, decora facie, ſed multo maxime ingenio ualidus, non ſe luxui neque inertiae corrumpendum dedit, ſed equitare, iaculari, curſu cum aequalibus certare, et cum omnes anteiret, omnibus tamen carus eſſe: ad hoc pleraque tempora in uenando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere, minimum ipſe de ſe loqui. Bell. Iugurth. c. 6.

§ 46.

De determinato et indeterminato has duas poſitiones habeto.

I. Si ponitur determinans, ponitur quoque ipſum determinatum.

E. gr. Quod de CAIO poſſit praedicari, eum effoeto corpore eſſe, et acutiſſimis doloribus, aetate ingraueſcente, excruciari, id ex eo oritur, quod, cum eſſet iuuenis, intemperanter uixerit, uoluptatibusque ſe corrumpendum dederit. Cum itaque haec propoſitio: CAIVS *cum iuuenis eſſet, luxuriae et libidinibus ſeruiit*, efficiat, ut altera uera ſit, ut de CAIO praedicari poſſit, *ipſum eſſe ualetudine debili*, *uel potius nulla*, intelligitur, ſtatum morboſum ſenectutis determinari per iuuentutis intemperantiam. Eleganter CICERO et praeclare, *Defectio*, inquit, *uirium, adoleſcentiae uitiis efficitur ſaepius, quam ſenectutis. Libidinoſa etenim et intemperans adoleſcentia effoetum corpus tradit ſenectuti.* Cato Mai. c. 9.

II. Ab indeterminato ad determinatum non ualet conſequentia, quia a poſſe ad eſſe non ualet conſequentia.

E. gr. Nondum CAIVS animum adiunxit ad Iurisprudentiae ſtudium, dubius enim eſt, num Theologiam praeferat iurium ſcientiae, atque adeo ipſius uoluntas nondum eſt determinata. Quis uero ex hoc, quia indeterminatus eſt CAIVS, inferet, E. CAIVS iurisprudentiae ſtudium eliget. Apud MOLIERIVM decrepitus quidam ſcepticum conſulit de nuptiis

contrahendis. A quo uero non nisi has indeterminatas responsiones tulit: *Il n' est pas impossible: Cela peut être: Il se pourroit faire: La chose est faisable: Il n' y a pas d' impossibilité* cetera. Num putas, senem ex his indeterminatis responsionibus, uel felicem, uel aduersum nuptiarum, quas parabat, euentum colligere potuisse? Vid. le Mariage forcé.

CAP. VII.
De Toto et Partibus.

§ 47.

Totum dicimus id, quod partibus constat, plura uero, quae, simul sumta, constituunt unum aliquod ens, appellantur *partes*.

E. gr. Corpus humanum est *totum*, membra uero, nerui, ossa, ex quibus illud coagmentatum uidemus, sunt eiusdem *partes*.

§ 48.

Quemadmodum plura illa, ex quibus efficitur totum, non unius, sed diuersi sunt generis, ita uarie quoque diuidi posse *totum*, manifestum est.

Aliud scilicet est totum *Physicum*, quod materia et forma constat, e. gr. *Homo*, quatenus ex corpore et anima compositus est, aliud est totum *metaphysicum*, quo pertinet illud omne, quod potest definiri, quodque adeo ex genere constat, et differentia specifica, e. gr. *Spiritus*, qui est substantia intellectu ac uoluntate praedita.

Aliud dicitur totum *uniuersale*, quo refertur α) *genus*, plures species complexum (§ 48 Log.), e. gr. Spiritus in relatione ad DEVM, angelos, et mentem humanam, β) *species*, quae ex plurium indiuiduorum conuenientia efficitur, e. gr. *Homo*, si rationem habueris Paulli, Petri, Dauidis, ceterorum indiuiduorum, quae notio-

notionem speciei constituunt. Addo denique totum *integrale*, quod complectitur plura et diuersa corpora, quae tanquam partes, ad illud constituendum concurrunt.

Corpora autem illa plura, quae, colligatione quadam deuincta, corpus totum efficiunt, uocare consueuerunt partes integrantes, e. gr. Corpus humanum, quod ex pluribus aliis corporibus, capite scilicet, et trunco, contextum est, *totum* uocamus *integrale*, membra autem, quibus compages corporis continetur, *partes integrantes*.

§ 49.

Multitudo partium, ex quibus constat totum, dici solet *magnitudo*. Ipsum autem totum, quod plures habet partes, respectu eius, quod paucioribus est praeditum, uocatur *magnum*.

§ 50.

Positiones, quas de toto et partibus et subiicit tibi recta ratio, et experientia firmat, hae fere sunt.

I. Totum est idem cum omnibus partibus simul sumtis, et omnes partes simul sumtae, sibi possunt substitui, nec inde oritur mutatio. Sunt ergo totum, et omnes partes, EADEM (§ 37).

II. Posito ergo toto, ponuntur omnes eius partes, et positis omnibus totius partibus, ponitur ipsum totum.

III. Omne totum est aequale omnibus partibus suis, simul sumtis, et omnes partes, quibus totum constituitur, ipsum totum exaequant. Idem enim debet sibi ipsum esse aequale.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0193
DFG

IV. Quaelibet pars totius toto est minor, et totum maius sit, necesse est, qualibet sua parte.

Quas propositiones cum tam perspicuas esse uideas, ut de iis addubitare ineptum sit, non est, quod earum demonstrationes, quae, si quando alias, hic superfluae uideri poterant, copiosius adferamus. Corpus tuum considera, eiusque partes, nexas inter se et deuinctas, contemplare, intelligis profecto, quiduis potius, quam euidentiam, in his enunciatis, desiderari posse.

CAP. VIII.
De Necessario et Contingenti.

§ 51.

Permagni interest, notiones τῶ *necessarii et contingentis* distinctius explicari, cum, quod ea fere omnia, quae in morum Philosophia de actionibus expetendis fugiendisque differuntur, ab his notionibus lucem mutuantur, tum quod, iis minus recte intellectis, multi multos, eosque pestiferos, errores in Philosophiam inuexere, ex quibus, dici uix potest, quam funestae turbae concertationesque fuerint coortae.

§ 52.

Necessarium id uocamus, quod est eiusmodi, ut id, quod ei contrarium est, fieri nullo modo possit, siue quod non potest non esse.

WOLFFIVS ita: Necessarium est, cuius oppositum est impossibile. E. gr. Bis duo sunt necessario quatuor. Fingas enim, bis duo non esse quatuor, sed octo uel sex, tum, aut nihil uides, aut perspicis, quae inde oritur, contradictionem. Necessarium est, circulum esse

esse rotundum. Sumas enim id, quod huic opponitur propositioni, tum manifesta emerget repugnantia.

§ 53.

Necessarium duplicis est generis. Aut enim oppositum alicuius rei, in se, et sua natura contradictionem inuoluit, aut sub aliqua tantum conditione. Illud uocatur *absolute necessarium*, hoc *hypothetice necessarium*.

E. gr. Absolute necessarium est, ut DEVS existat, ut bis duo faciant quatuor. Cogita enim Deum, qui non existat. Quid cogitas? σιδηρόξυλον cogitas. Ipsa etiam notio et natura Dei inuoluit existentiam, quae non magis a Deo potest seiungi, quam rotunda figura a circulo.

Necessarium est, ut, sole splendente, sit dies, sed hypothetice necessarium. Posita enim scilicet hac conditione, quod sol splendeat, necessarium est, ut sit dies. De qua necessitate hypothetica loquitur TERENTIVS, cum

Vbi, inquit, *animus semel se cupiditate deuinxit mala*, NECESSE est, *consilia consequi similia*. Heautont. I, 2, 34.

Non absolute necessarium est, ut mens humana malis consiliis in transuorsum rapiatur, sed sub hac conditione, si se malarum libidinum illecebris irretiri patiatur. Eandem necessitatem hypotheticam CICERO uult intelligi, cum, *si unumquodque membrum*, inquit, *sensum hunc haberet, ut posse putaret se ualere, si proximi membri ualetudinem ad se traduxisset; debilitari et interire totum corpus* NECESSE EST; *sic si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia: societas hominum et communitas euertatur* NECESSE EST. De Off. Lib. III c. 5.

Capite sexto ita pergit: *Si etiam hoc natura praescribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam caussam, quod is homo sit, consultum uelit:* NECESSE est,

secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem.

Ex pluribus necessitatis hypotheticae speciebus necessitatem *physicam* et *moralem* exponemus.

Illa in regno naturae naturalique euentuum consecutione locum obtinet. De qua Adherbal apud SALLVSTIVM loquitur, *pater*, inquit, *uti necesse erat, naturae concessit.* Bell. Iug. c. XIV, 15. Conf. PLIN. Epist. XII L. I et ad h. l. CORTIVS.

PLINIVS maior, qui Vesuuium propius noscendi cupidus, cinere multisque pumicibus coopertus erat, non poterat non, spiritu crassiore caligine obstructo, clausoque stomacho, concidere, idque necessitate naturae.

Necessitas hypothetica moralis in spiritibus reperiunda est, e. gr. in anima, quatenus illa repraesentationibus boni uel mali ad bonum appetendum malumue auersandum determinatur et commouetur. E. gr. Cum tibi proponitur uenenum, et potio medicata, sanitati tuae saluberrima, ut alterutrum eligas. Necessario eliges potionem, et uenenum repudiabis. Qua uero necessitate? morali. De hac necessitate loquitur CICERO, cum, *geometrarum rationes non persuadere, sed cogere, et uim adferre, in docendo*, copiosius affirmat. Acad. Quaest. L. IV c. 36. Quo referenda haec quoque TVLLII uerba uidentur: Omnes expetimus utilitatem, ad eamque RAPIMVR; NEC FACERE ALITER VLLO MODO POSSVMVS. De Off. Lib. III cap. 28.

§ 54.

Ex iis, quae de necessitate hactenus adtulimus, intelligi potest, quid sit *contingens*, siue, ut CICERO uocat, *fortuitum*. *Contingens* dicitur id, cuius oppositum est possibile, siue quod aliter potest esse.

E. gr.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0196
DFG

E. gr. Scribo. At poteram quoque non ſcribere. Lego, at poteram quoque non legere. Contingens ergo eſt, quod ſcribam legamue.

§ 55.

Num ens aliquod detur, cuius exiſtentia ſit abſolute neceſſaria, id in theologia naturali diſputabimus. At, ſi datur, conſequens eſt, ut ratio ſufficiens, cur exiſtat, debeat in eius eſſentia reperiri. Eſſentia enim cuiusque rei eſt abſolute neceſſaria (§ 28) et, quicquid in ipſa rationem ſui ſufficientem habet, non poteſt non eſſe abſolute neceſſarium. Ens autem contingens, cum exiſtit, rationem ſufficientem, cur exiſtat, in ente habet a ſe diuerſo.

§ 56.

De neceſſario et contingenti quas hic adducemus poſitiones, eas uero cum in doctrina de mundo, tum de mente humana et Deo maximo nobis uſui fore ſcias.

I. Quod eſt abſolute neceſſarium, non poteſt eſſe contingens. Quod enim eſt abſolute neceſſarium, eius oppoſitum nullo modo fieri poteſt (§ 53), at, quod contingens eſt, eius oppoſitum fieri poteſt (§ 54). Vides ergo, quam aduerſis frontibus pugnent abſolute neceſſarium et contingens.

II. Contra, quod eſt hypothetice neceſſarium, in ſe eſt contingens, ut adeo neceſſitas hypothetica contingentiam neutiquam tollere cenſenda eſt. Quod enim eſt hypothetice neceſſarium, eius oppoſitum non, niſi poſita

sita conditione, est impossibile (§ 53). Tollas ergo conditionem, et oppositum erit possibile, atque adeo, quod hypothetice necessarium est, idem quin sit contingens, dubitari non potest.

E. gr. Necessarium est, ut is,

Improuisum aspris qui sentibus anguem
Attollentem iras, et coerula colla tumentem
Pressit humi nitens, - - Virg. Aeneid. L. II v. 379.

necessarium, inquam, est, at hypothetice, ut is, terrore perculsus, obstupescat, trepidusque pedem referat. At contingens tamen simul est. Poterat enim terror abesse, si monstrum, in herba latens, aspectuque horridum, non calcasset ex improuiso.

CAP. IX.

De Ordine, Veritate metaphysica et Perfectione.

§ 57.

Quae de ueritate metaphysica ac perfectione nunc dicenda sunt, ea intelligi non possunt, nisi ante, quid sit *ordo*, et ad quas leges is exigatur, distincte traditum fuerit.

§ 58.

Illam similitudinem, quae obuia est in modo, quo res iuxta se inuicem collocantur, uel se inuicem sequuntur, dicimus *ordinem*.

E. gr. Cum in bibliotheca libros ita digestos uides, ut libri, eiusdem argumenti, eiusdem ligaturae, eiusdem formae, iuxta se inuicem collocentur, tum *ordine* libros dicis esse collocatos, idque nullam aliam ob caussam, quam quod similitudinem et rerum, quas tractant

tractant libri, et formae, in uoluminibus, iuxta se inuicem positis, obseruas. Quod idem ualet de exercitu, in quo ordo esse dicitur, cum idem uestitus, eadem arma, idem gressus, aequalis series, idem motus membrorum, eadem statura, idem impetus in hostem, obseruatur.

CICERO haec de ordine: *Est compositio rerum aptis et accommodatis locis*, ab eoque, negat, similitudinem et conuenientiam partium posse seiungi. L. I de Off. c. 4 et 40. Iucunde hic legi poterit epistola PLINII, qua Spurinnae uitam ordinatam et apte dispositam commemorat, multaque adfert, quae ad notionem ordinis illustrandam mire faciunt. Lib. III, 1. Coll. L. IX ep. 36 et ep. 40.

§ 59.

Ordini opponitur confusio siue ἀταξία, quae nihil est aliud, quam dissimilitudo, quae obuia est in modo, quo res iuxta se inuicem collocantur, uel se inuicem consequuntur.

Finge, milites, solutis ordinibus, ab hoste in fugam coniici. Quanta tum est dissimilitudo! quanta perturbatio! Incomposito agmine, sine certis ducibus, sine imperio, sparsi uagantur, alter arma abiicit, alter, recenti saucius uulnere, labat, et pedites equitibus, calones gregariis permixti, quo quemque instantis mortis timor rapit, aufugiunt.

Confusionem in comitiis, quae turbauerat omnia, eleganter describit PLINIVS: *Non tempus*, inquit, *loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur. Magni undique et dissoni clamores: procurrebant omnes cum suis candidatis: multa agmina, multique circuli et indecora confusio: adeo desciueramus a consuetudine parentum, apud quos omnia dispositа, moderata, tranquilla, maiestatem loci pudoremque retinebant.* Lib. III ep. XX. Cogitabis hic comitia Polonorum.

§ 60.

§ 60.

De ordine haec teneto:

I. In omni ordine debet quid adesse, in quo uaria uel coëxistentia, uel sibi inuicem succedentia, sint sibi similia.

II. Id, in quo uaria sunt similia, dicitur *regula ordinis*.

E. gr. Si similitudinem et conuenientiam in bibliotheca obseruaueris, *ratione formae*, tum formae librorum similitudo constituit regulam ordinis, in bibliotheca conspicui.

III. Cogitur hinc, in omni ordine debere esse regulam ordinis. Debet enim aliquid adesse, in quo uaria, iuxta se posita, sint sibi similia (pos. I), quo ipso continetur regula ordinis (pos. II).

IV. Si una tantum adest regula ordinis, *simplex* ordo conspicitur, si plures adfuerint, maiorem et *compositum* ordinem inde oriri, intelligis.

E. gr. Si α) ratione formae externae et ligaturae, β) ratione argumentorum, γ) ratione editionum libri, iuxta se dispositi, conuenerint, tum ordo in librorum collocatione maior est, quam si solam formam externam librorum similem deprehenderis.

V. Potest in rebus, iuxta se inuicem dispositis, alio respectu adesse ordo, alio uero respectu confusio.

E. gr. Sunt similes libri, ratione formae. En ordinem! At, si rationem habueris argumentorum editionumque, summam saepe uides dissimilitudinem. En confusionem!

VI. In

VI. In iis, quae exiſtunt, reperitur ordo. In omnibus enim, quae exiſtunt, ea reperitur ſimilitudo, ut fiant principio rationis ſufficientis conformiter (§ 15).

Ea ergo, quae actu exiſtunt, per hoc diſcernuntur a ſomniis et commentis, quae non, niſi in fictionibus, exiſtunt.

§ 61.

Hinc eſt, ut *ueritatem metaphyſicam* definiamus per eiusmodi ordinem, per quem quodlibet habet rationem ſufficientem ſui, ſiue: *Veritas* eſt ordo eorum, quae enti conueniunt.

Scholaſtici ita: *Veritas* eſt rei affectio, qua res habet omnia ea, quae ipſius eſſentiae et naturae debentur. E. gr. Aurum eſt uerum aurum, cum ea habet omnia, quae ad aurum requiruntur. Quae definitio ſcholaſticorum non uidetur aduerſari noſtrae. Res enim tum habet eſſentiam ſibi debitam, ſi is ibi obſeruetur ordo, ut principio rationis ſufficientis omnia fiant conformiter.

Hoc ſenſu uox VERI identidem apud ueteres ſcriptores occurrit. Ita PLINIVS, *aes ipſum*, inquit, *quantum* VERVS (i. e. ſincerus, ſimplex et naturalis) *color indicat, uetus* (eſt) et antiquum, L. VII, 3. Mox dies VERVS, ſol etiam effulſit, VI, 20. Liberto Sabiniani tribuit VERAM emendationem, IX, 21. Recte ergo CICERO, *ea, quae fucata ſunt, ficta, adumbrata et ſimulata* iis, quae ſincera ſunt et VERA, opponit. De Amicit. c. 25 et 26.

§ 62.

Ens uerum eſt, in quo datur ueritas.

Haec definitio non eſt identica, quamuis eſſe uideatur. Quid enim ſit ueritas, § antecedenti explicatum eſt.

§ 63.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0201
DFG

§ 63.

Ex his intelligas, licet, omne ens esse uerum.

Omne enim ens habet rationem sui sufficientem (§ 15) adeoque ueritatem. At falsum, inquis, datur aurum. Nego. Aurum, quod falsum esse dicis, aut est aurum, aut non est aurum. Si est, uerum est aurum. Si non est aurum, erit uel uerum cuprum, uel orichalcum, uel aliud metallum.

Quia ueritas entium nititur principio rationis sufficientis, consequens est, ut, sublato rationis sufficientis principio, tollatur, quae rebus inest, ueritas. Vides ergo, quid sit, quod LEIBNITIVS, sublato principio rationis sufficientis tolli discrimen inter ueritatem et somnium, aiat.

§ 64.

Sequitur, ut notionem *perfectionis* euoluamus. Cuilibet rei, in qua uaria siue plura occurrentia ita consentire et conspirare deprehendimus, ut ad finem, cui assequendo res destinata est, obtinendum sufficiant, tribuimus *perfectionem*. Hinc nonnulli *perfectionem* definiunt per sufficientiam ad finem.

WOLFIVS ita: *Perfectio* est consensus in uarietate, siue plurium a se inuicem differentium in uno. E. gr. Reipublicae tribuimus tum perfectionem, cum in eadem uaria, actiones scilicet imperantium et ciuium eo conspirant, et eo tendunt, ut tranquillitas publica obtineatur et conseruetur. *Agro* tribuimus perfectionem, si finis agri obtinetur, i. e. si frugum profundit ubertatem, nec unquam sine usura reddit, quod accepit. Ad hunc finem siue frugum ubertatem requiruntur haec uaria. α) Ager gremio mollito ac subacto semen sparsum excipiat, β) occoecatum cohibeat, γ) tepefactum uapore et compressu suo diffundat et eliciat herbescentem uiriditatem. δ) Haec,

nixa

nixa fibris ſtirpium, adoleſcat, et, culmo erecta geniculato, uaginis iam quaſi pubeſcens includatur. E quibus cum emerſerit, tum demum ager fundit frugem ſpici, ordine ſtructam et contra auium minorum morſum munitam uallo ariſtarum. Vide, quam hic omnia conſentiant ad finem agri, id eſt, ad frugum ubertatem et copiam. Vid. CIC. de Senectute Cap. XV.

Hanc perfectionis notionem multi uſus eſſe in diſtinctius explicanda *eloquentiae* notione, demonſtrauimus in commentatione de orationis pulchrae uirtutibus, Gorlicii CIↃIↃCCXLIV, edita.

§ 65.

Imperfectionem in aliqua re deprehendimus tum, cum uaria in re quapiam fuerint eiusmodi, ut fini rei aduerſentur.

Si e. gr. in republica uaria, actiones ſcilicet imperantium ciuiumque fini reipublicae, tranquillitati publicae aduerſantur, cum princeps, immanitate efferatus, in ciuium bona uitamque ſaeuit, cum ciues, audacia furentes, et pernicioſo ſcelerum foedere ac ſocietate coniuncti, inteſtinam aliquam perniciem patriae moliuntur, cum denique diuitiae auaritiam, et abundantes uoluptates deſiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia inuexere, tum nemo non haec omnia inter reipublicae imperfectiones referenda exiſtimabit. Exemplo eſſe poteſt coniuratio Catilinaria, de qua, praeter orationes CICERONIS, legas SALLVSTIVM Bell. Cat.

§ 66.

Tria ergo ad omnem perfectionem requiruntur, α) *finis* aliquis, ad quem uaria, quae in re quapiam deprehenduntur, tendunt. β) Requiruntur *plura* ſiue *uaria*. γ) *Conſenſus* uariorum cum

fine, id quod ex exemplis allatis luculentius apparet.

§ 67.

Si unicus adfuerit finis, ad quem plura siue uaria in re quadam tendunt, tum *perfectionem* adesse *simplicem* dicimus, cum plures uero fines, per consensum uariorum obtinentur, oritur inde *perfectio composita*.

E. gr. Cum horologium ita fuerit constructum, ut in eo conspiciatur partium et rotularum omnium consensus cum fine, ut horae tantum indicentur, tum haec perfectio horologii est simplex. At si consensus partium in horologio non id modo efficit, ut horae indicentur, sed quoque, ut singula minuta singulique menses, et singuli cuiusque mensis dies manifestentur, tum uero perfectio horologii est composita, propterea, quod plures adsunt fines et scopi, qui per structuram partium, in horologio apte cohaerentium, et amice conspirantium, obtinentur.

§ 68.

Saepius, experientia teste, usu uenit, ut perfectiones simplices, earundemque regulae inter se pugnent. Quod cum fit, plures regulae dicuntur inter se *collidi*.

E. gr. *Patriam libertatemque conseruare* est perfectio. *Vitam tueri, esse domi cum uxore et liberis, in pace et tranquillitate uiuere*, sunt perfectiones. At incidunt tempora, cum patria, religio, libertas, conseruari non possunt, quin uita tua in discrimen adducatur, et publica quies ad aliquod tempus turbetur. Colliduntur hic perfectiones. Plura exempla uide in CIC. Lib. III de Off. c. 24 seqq.

§ 69.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0204
DFG

§ 69.

Quia ea, quae inter se pugnant, simul esse non possunt, opus est, ut, si utraque perfectio simul obtineri nequit, uel regularum perfectionis altera praeferatur, et negligatur altera, uel ut utraque ex parte negligatur, ex parte autem retineatur. Neglectus hic alterutrius regulae perfectionis uocatur *exceptio a regula perfectionis*, quae ex regularum simul obseruandarum collisione nascitur.

Nosti e. gr. regulam: *honestatem consectare.* Nosti illam quoque: *utilitati tuae et commodis seruias.* Fit uero persaepe, id quod copiosius disputat CICERO L. III de Off. ut duae hae regulae collidantur. Hic ergo exceptio est facienda, ita ut, cum honestas utilitasque simul obtineri nequeunt, uincat honestas, cedat utilitas. REGVLVS Romae manere utile putabat, at iusiurandum uiolare, nec Carthaginem redire, turpe ducebat. Honestum ergo praetulit utili, fecitque exceptionem a regula perfectionis. CIC. l. c. Praeclare PLINIVS: *Vtrumque saepe tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere.* L. V, 8.

§ 70.

Quae adponam, enunciata eo uel in primis pertinent, ut, quae in morum philosophia de officiorum collisione differuntur, plenius intelligantur.

I. Exceptio a regula perfectionis ita est instituenda, ut maius bonum semper praeferatur minori.

Mercator, aestu maris et turbine iactatus, uitam mercesque si simul seruare nequit, uitam seruet, merces in mare proiiciat.

II. Vbi unica tantum adfuerit regula perfectionis, ibi exceptioni non est locus.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0205
DFG

Quia non adest pugna et collisio plurium regularum.

III. Ex exceptione a regula perfectionis oritur imperfectio in PARTE, salua tamen TOTIVS perfectione.

IV. Cum ergo saepius exceptio a regula perfectionis euitari non possit, intelligis, quid sit, quod idemtidem sit imperfectio in parte admittenda, ut inde resultet maior TOTIVS perfectio, fere, ut in pictura lumen non alia res magis, quam umbra commendat, PLIN. L. III ep. 13.

E. gr. Vt patria conseruetur, ut saluti publicae, religioni, libertatique consulatur, peropus saepenumero est, ut singulorum ciuium commoda deminuantur. Pecuniae magna uis exigitur, uita periculis obiicienda, aedificia diruuntur, commerciorum cursus inhibetur, bona facultatesque diripiuntur, omniaque ea mala, quae bello adiuncta uidemus, sunt perpetienda, sine quibus uero non magis praesidia salutis publicae stabilita fuissent, quam sine membri putridi amputatione sanum corpus persaepe conseruari potest.

V. Omne ens gaudet perfectione, sibi debita.

In omni enim ente omnes determinationes eo tendunt, et in eo consentiunt, ut ens sit ens, non autem non-ens, ut sit hoc ens, nec aliud, quo ipso ens gaudet perfectione sibi debita.

Vocatur haec perfectio *essentialis*, siue, Scholasticorum stilo, *bonitas metaphysica*. Hinc intelligis, cur, *omne ens esse bonum*, iidem affirmarint.

§ 71.

Perfectio, si sensibus percipitur, uocatur *pulchritudo*.

Quam-

Quamuis, quid sit pulchrum, quid deforme, rectius sentiri, quam doceri posse, uideatur, omni tamen tempore exstiterunt, qui summa ope conniſi sunt, ut notiones *pulchri*, errore uulgi et sententiarum pugnantium uarietate confusas, accuratius distinguerent. Pertinent huc CROSAZIVS, BVDDEVS, BERGERVS, qui in peculiari libro *de naturali pulchritudine orationis*, erudite, ut solet, scienterque de pulchro commentatur, et, inuestigatis *pulchri* fontibus, caussisque a stirpe ductis, quid in dicendo pulchrum sit, exemplo CAESARIS, docet luculenter, latiusque explanat.

Quam de *pulchritudine* adtuli, definitio, dubito, an quisquam futurus sit, cui minus probetur. Experientiae certe fundamentis est constituta. Cur aedificio, cur horto pulchritudinem tribuis? Nonne ideo, quod percipis in aedificio perfectiones, i. e. iustam partium conuenientiam commensumque? Nonne ideo, quod in horto areolorum symmetriam, et ordines arborum, in quincuncem directos, obseruas, siue, quia perfectionem, quippe quae efficitur consensu uariorum, sensibus percipis? Cur imaginem, ut hoc addam, pulchram uocas? Nonne ideo, quod cum eo, quod exprimere debet, exacte congruit, et archetypo respondet, qualis illa imago siue statua PLINIANA est, quae senem repraesentat. *Corinthium signum*, inquit, *effingit senem stantem: ossa, musculi, nerui, uenae, rugae etiam, ut spirantis, apparent: rari et cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum, pendent lacerti, papillae iacent, receſſit uenter.* Ecquid elegantius singi aut pingi poterat ad huius decrepiti corpus cutemque rugosam exprimendam. L. III ep. 7.

Ad illustrandam pulchritudinis definitionem apprime faciunt, quae BERGERVS hanc in rem eleganter disputat. *Vt pulchrum*, inquit, *dicatur corpus, partes, oportet, eam habeant conformationem, quam cuiusque perfectio, naturae debita, requirit. Possunt caput, manus, pedes, alia corporis membra, seorsum spectata, secundum ordinem, a natura sancitum, sic esse perfecta,*

at in eorum forma, modo, omni ratione nullus reprehensioni locus, laudi contra et admirationi amplus pateat campus. Quae tamen partes, suis per se numeris absolutae, dedecorabunt corpus, nisi eam habeant molem ac modum, qui congruere corpori uideatur. Proinde corporis partes, necesse est, non singulae tantum ac separatim consideratae, sua gaudeant perfectione, sed etiam in ea, qua coaluerunt, compage, cum quodam iustae magnitudinis decore conueniant inter se, et ordine mensuraque conspirent. Tum demum existit illa corporis PVLCHRITVDO, quae, apta membrorum compositione, mouet oculos et delectat, hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiant. Quid hoc aliud est, quam pulchritudo est perfectio sensibus percepta? Vid. de Natural. pulchritud. orat. p. 27 et 29.

§ 72.

Deformitas est imperfectio sensibus percepta.

Animo informa feminam, ut TERENTIVS ait, rufam, caesiam, sparso ore, adunco naso, cuius exiguo corpori caput ingens, longi pedes, longae manus, et faciei contractae, aures promissae, dentes liuidi et color mustellinus iungantur, nonne deformem illam esse aies? Est enim hic imperfectio, partiumque dissensus, et nulla membrorum congruentia, nulla aequalitas obseruanda.

CAP. X.

De Ente Composito.

§ 73.

Notionibus communibus, generalioribusque entis affectionibus hactenus explicatis, nunc ad specialiorem entium diuisionem exponendam accedimus. Est autem omne ens uel *compositum* uel *simplex*. Quare compositi entis naturam proprieta-

tes-

tesque primum considerabimus, tum de ente simplici commentabimus.

§ 74.

Vt autem, quae de ente composito dicenda sunt, intelligantur facilius, primo quidem loco, quid sint res, extra se inuicem positae, definiemus.

§ 75.

Cum rei alicuius nobis sumus conscii, tanquam a nobis distinctae et diuersae, tum illam rem *extra nos* ponimus. Ea autem *extra se inuicem poni* dicuntur, quae cogitamus tanquam a se diuersa et distincta.

E. gr. Cum solem et sidera tibi repraesentas, solem et sidera extra se ponis. Solem porro et lunam extra se inuicem ponimus, quia solem a luna distinctum concipimus. Ita in hac mensa, quam coram uides, unam mensae partem extra alteram ponis, quatenus scilicet quamlibet mensae partem ab alia distinctam tibi repraesentas.

§ 76.

Illud ens, quod ex pluribus, a se inuicem distinctis, seu extra se positis partibus constat, dicimus *ens compositum*.

E. gr. Arbor, mensa, liber sunt entia composita. Coagmentata enim sunt ex pluribus partibus, a se inuicem distinctis, seu extra se positis.

Ens compositum, quod definiuimus, uocatur alias quoque *compositum physicum*, ut ab eo, quod *logice* seu mente tantum componi dicitur, distinguatur. E. gr. Si in Deo omnia attributa, quae sunt ipse Deus, tanquam plura, a se inuicem distincta, et extra se posita, repraesentamus, tunc illa compositio, qua Deus ex

pluribus attributis componi uidetur, dicitur compositio rationis siue logica.

§ 77.

Lucide hinc apparet, ens compositum per certam et determinatam partium, a se inuicem distinctarum, coagmentationem et iunctionem fieri compositum, et, ut alia aliaue est partium combinatio, ita inde oriri aliud aliudue compositum, manifestum est.

§ 78.

Intelligis nunc has positiones.

I. Essentia entis compositi consistit in modo compositionis earum partium, ex quibus constat compositum.

Per modum enim compositionis partium hoc praecise efficitur ens compositum, nec aliud (§ 76), quod ipsum constituit rei essentiam (§ 27).

Buccina, e. gr. et horologium sunt entia composita, a se plane diuersa. Distinguuntur autem a se inuicem per aliam aliamue partium connexionem, et structuram diuersam.

II. Quaecunque entia composita simili gaudent structura, ea sunt similia, quaecunque contra dissimilem compositionis modum habent, ea sunt dissimilia.

§ 79.

Extensum uocatur, quod habet partes, quarum unaquaeque extra alteram existit, easque inter se unitas.

E. gr. In hac mensa deprehendimus extensionem, propterea, quod in mensa partes sunt ita extra se inuicem

cem positae, ut pars A non sit ibi, ubi pars B, et B non sit, ubi pars C.

§ 80.

Continuum dicitur tum, cum eius partes eo ordine sunt iuxta se inuicem collocatae, ut aliae diuersae inter eas poni nullo modo possint.

E. gr. Massa aurea est compositum continuum, propterea, quod partes, totam massam constituentes, ita sunt inter se connexae, ut aliae, a massa aurea diuersae, partes interponi nequeant.

§ 81.

Interruptum est, si partes ita fuerint collocatae, ut aliae inter ipsas locum habere possint.

E. gr. Spongia uel cribrum sunt entia composita interrupta. Horum enim structura, totusque modus compositionis est eiusmodi, ut inter partes, laxius et per interstitia cohaerentes, aliae, a spongiae uel cribri partibus prorsus diuersae partes possint interponi.

§ 82.

Contigua dicuntur entia composita, quae se ita contingunt, ut ipsa maneant plura, neutiquam uero unum efficiant extensum.

E. gr. Duo globuli, quorum superficies se mutuo ita contingunt, ut ipsi, licet sibi proxime coëxistant, nihilo minus maneant duo globuli.

§ 83.

Ex his conficitur,

I. Quod omne ens compositum debeat esse extensum.

Ens enim compositum constat partibus a se inuicem distinctis, inter se autem connexis (§ 76): quo ipso τὸ extensum continetur (§ 79).

II. Quod entia composita contigua non sint ideo continua.

Quia inter entia contigua, quamuis se contingant, plures partes possunt interponi; nec unum extensum efficiunt, sed manent duo entia composita (§ 82).

§ 84.

Ad reliquas entium compositorum proprietates intelligendas opus est, ut notiones quasdam, huc pertinentes, ante explicemus, et, quid sit *spatium*, *locus*, *figura*, *tempus*, *motus*, definiamus.

§ 85.

Spatii uox nonnullis uisa est pertinere ad eas, quibus nulla subiecta est sententia.

Alii, phantasia, inepte sedula, delusi, spatium quoddam corporum receptaculum existimant.

§ 86.

Vt spatii notio distincta formari queat, ad haec attendendum est.

I. Experientia testatur, plura entia composita sibi coëxistere, ita, ut, dum A, B, C, D existit, existant simul E, F, G. Haec plura entia composita, quae simul existunt, dicuntur *simultanea*.

II. Dum ad haec entia composita, quae simul existunt, attendimus, obseruamus, τὸ A alio plane modo coëxistere τῷ B, quam coexistit idem A τῷ C, uel D. Distinguimus itaque modum, quo A coëxistit τῷ B, a modo, quo idem coëxistit τῷ C uel D.

III. Hinc

III. Hinc intelligis, eiusmodi omnino ordine haec ſimultanea iuxta ſe inuicem collocari, ut diſtantia inter A et B ſit plane diuerſa a diſtantia, quae conſpicienda eſt inter idem A et D.

IV. Cum cogitamus hunc ordinem, qui conſpicitur in modo, quo plura ſimultanea A, B, C, D ſibi coëxiſtunt, reuera cogitamus id, quod dicitur *ſpatium*, neque fieri poteſt, ut res, extra ſe inuicem coëxiſtentes, nobis repraeſentemus, quin iisdem adhaereat notio *ſpatii*.

§ 87.

His obſeruatis, intelligis nunc WOLFFII definitionem, qui *ſpatium* explicat per ordinem ſimultaneorum, quatenus ſcilicet coëxiſtunt.

E. gr. Plura aedificia, quae ſimul exiſtunt, certam quandam relationem, certumque ordinem, ratione ſuae coëxiſtentiae, inter ſe ſeruant. Quae quidem relatio, quae inter aedificia coëxiſtentia intercedit, prout alia, aliaue eſt, ita aliud aliudue ſpatium inde exſurgit. Spatium ergo ſine relatione aliqua ad corpora coëxiſtentia concipi non poteſt.

§ 88.

Ex definitione ſpatii patet,

I. Spatium a rebus ſimul exiſtentibus eſſe prorſus diuerſum.

Quemadmodum enim, ſi res adfuerint numeratae, non poteſt non adeſſe numerus, numerus autem non eſt ipſa res numerata, et, quemadmodum, rebus numeratis ſublatis, numerus exiſtere ceſſat, ita etiam, cum plures res ſimultaneae certo quodam ordine coëxiſtunt,

ſtunt, oritur *ſpatium* (ſpatium autem illud, quod a rebus ordinatis et coëxiſtentibus oritur, non ſunt ipſae res ordinatae. Quod quidem ſpatium, rebus coëxiſtentibus ſublatis, non poteſt non rurſus euaneſcere, fere, uti numerus, rebus numeratis ſublatis, euaneſcit.

II. Omnia compoſita inſunt ſpatiis.

Praeter diſtinctam *ſpatii* notionem datur adhuc quaedam ſpatii notio imaginaria. Scilicet imaginatio nobis ſiſtit ſpatium, tanquam ens reale, actu exiſtens, extenſum, uniforme, continuum. Quo ipſo ſpatium ſibi repraeſentant homines, tanquam receptaculum, a rebus omnibus uacuum, in quo aliquid reponere queamus.

§ 89.

Locus eſt determinatus modus coëxiſtendi ceteris.

§ 90.

De loco haec obſerua:

I. Locus non eſt ipſa res, quae eſt in loco, nec cum intrinſeco rei ullam habet connexionem.

II. Ratio, cur ens aliquod ſit hic, nec alibi, non eſt in loco.

§ 91.

Tempus eſt ille ordo, qui obſeruatur in rerum ſucceſſione.

§ 92.

Ad notionem temporis diſtinctius formandam haec maxime pertinent.

I. Entia, quorum alterum eſſe incipit, alterum uero eſſe deſinit, dicuntur *ſucceſſiua entia*.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0214
DFG

entia. In his entibus succeſſiuis obſeruamus α) aliquod, quod adeſt actu, et appellatur *praeſens.* β) Cum id, quod praeſens erat, eſſe deſinit, et in ſtatum merae poſſibilitatis recidit, tum uocatur *praeteritum.* γ) Cum ens aliquod, quod mere adhuc eſt poſſibile, ſed ad actum deducetur, tum appellatur *futurum.*

II. Ordo in his ſucceſſiuis eſt id ipſum, quod *tempus* uocamus.

III. Intelligitur hinc, ubi nullum locum habent res ſucceſſiuae, quarum altera eſſe incipit, altera eſſe deſinit, ibi tempus nullum habere locum.

IV. Quam parua ſucceſſiua poſſumus a ſe inuicem diſtinguere, tam minuta temporis momenta ſeu tempuſcula poſſumus ſtatuere.

§ 93.

Motus eſt loci mutatio, perſeuerantia autem in eodem loco dicitur *Quies*, quicquid autem moueri, ſiue locum mutare poteſt, illud uocamus *mobile.*

§ 94.

Locus non obſtat, quo minus poſſit quodlibet ens moueri.

Quia ratio ſufficiens, cur ens aliquod ſit hic, nec alibi, non eſt in loco.

§ 95.

Cum partes, ex quibus conſtat compoſitum, a ſe inuicem ſeparantur, tum dicitur compoſitum *diuidi.*

§ 96.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0215
DFG

§ 96.

Quia ergo ens compositum non necessario locum suum occupat (§ 94), partes possunt a se inuicem separari, atque adeo, *omne ens compositum esse diuisibile*, patet.

§ 97.

Magnitudinem diximus esse multitudinem partium (§ 49), ut adeo, cum ens compositum constet partibus (§ 76), *idem certa quadam magnitudine gaudere*, manifestum sit.

§ 98.

Si partes quaedam ad compositum accedunt, tum compositum fit *maius*, si uero partes quaedam ab eo separantur, tum compositum fit *minus*.

§ 99.

Compositum ergo maius minusque fieri posse, ex his, quae diximus, cumulate probari potest. Quia enim partes in ente composito locum mutare possunt (§ 94), quid obstat, quo minus nouae partes ad compositum accedant, aliae uero ab ipso separentur.

§ 100.

Metiri siue *mensurare* ens compositum dicimus, si eius magnitudinem ad alteram datam magnitudinem exigimus. E. gr. Si ad ulnae cuiusdam uel fili magnitudinem inuestigaueris mensae magnitudinem, tum diceris, mensam *mensurare*. Ipsum autem filum, ad cuius magnitudinem inuestigatur mensae magnitudo, dicitur *mensura*.

§ 101.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0216
DFG

§ 101.

Dubitari ergo non potest, omne ens compositum posse mensurari, quia constat magnitudine (§ 97).

§ 102.

Figura dicitur limes extensionis.

Definitio potest exemplo figurae libri cuiusdam illustrari. Liber habet extensionem, at limitibus definitam (non enim est liber in infinitum extensus), quae extensionis limitatio constituit figuram, quae alia aliaue est, prout alio alioue modo limites extensionis mutantur.

§ 103.

Quandoquidem ad ens compositum nouae possunt partes accedere, et quaedam decedere (§ 99), intelligitur, limites extensionis in ente composito posse mutari. *Figuram ergo entis compositi esse mutabilem, lucide apparet.*

§ 104.

Ex his omnibus patescit, quam demum cunque in ente composito cogitaueris mutationem, eam, nisi per *motum*, fieri non posse.

Siue enim maius fit ens compositum siue minus, siue transponuntur partes, aliaque inde figura emergit, semper partes mutabunt locum atque adeo mouebuntur.

CAP. XI.
De Ente simplici.

§ 105.

Enti composito opponitur *ens simplex*, de quo, quia contrariorum contrariae esse solent proprie-

prietates, ea negantur, quae entium compoſitorum eſſe propria hactenus commonſtrauimus.

§ 106.

Quia ergo ens compoſitum id diximus, quod conſtat ex partibus, extra ſe inuicem poſitis, ſed inter ſe iunctis (§ 76), conſequens eſt, ut *ens ſimplex* nihil ſit aliud, quam eiusmodi ens, quod non conſtat ex partibus.

E. gr. *Mens humana*, *Deus*, de quorum ſimplicitate quemadmodum deinceps ſpecialius exponemus; ita nunc in eo ſumus, ut, quae ſint entis ſimplicis, generatim conſiderati, proprietates, dilucidius explanemus. Neque adeo de eo nunc magnopere ſoliciti ſumus, num exiſtant entia ſimplicia, ſed, quae ſit eorum, ſi exiſtunt, natura, quae attributa, explicandum ducimus. Sunt, qui entium ſimplicium exiſtentiam ex eo, quod dentur entia compoſita, demonſtrari poſſe, exiſtimant. Atque hi ita ratiocinando procedunt. *Si*, inquiunt, *dantur entia compoſita, tunc dantur eiusmodi entia, quae ex partibus conſtant.* Illae partes, ex quibus entia compoſita conſtant, aut ſunt rurſus entia compoſita aut ſimplicia. Si ſunt entia compoſita, nouis rurſus gaudent partibus. Atque ita hae nouae partes ſunt rurſus entia compoſita, aut ſimplicia, ſin illud, in nouas denuo partes reſolui debent, idque in infinitum, quod fieri non poteſt, ſin hoc, conſequens eſt, ut, ſi dantur entia compoſita, debeant dari entia ſimplicia, quae uocari ſolent a nonnullis prima entium compoſitorum ſtamina et elementa, ab aliis appellantur *monades*, aut *atomi*, de quibus in coſmologia ſpeciatim agetur.

§ 107.

Entis ſimplicis proprietates his habeto proprietatibus.

I. Ens

I. Ens ſimplex non eſt extenſum.

Non enim habet partes (§ 106), ad extenſionem uero requiruntur partes (§ 79).

II. Ens ſimplex caret omni magnitudine.

Ad magnitudinem enim conſtituendam requiritur multitudo partium (§ 97), quae uero in ens ſimplex non cadunt (§ 106).

III. Neque figura tribui poteſt enti ſimplici.

Quia non eſt extenſum (§ 107), figura uero efficitur limite extenſionis (§ 102).

IV. Ens ſimplex eſt indiuiſibile.

Quomodo enim diuidi poterit id, quod nullam admittit partium ſolutionem (§ 102)?

§ 108.

Oriri ens ſimplex dicitur, quando exiſtentiam accipit, qua ſi priuatur, illud dicimus *interire*.

§ 109.

I. Si ens ſimplex abſolute neceſſario exiſtit, tum illud oriri non poteſt.

Si enim oriri poſſet, exiſtere coepiſſet, atque adeo aliquando non exſtitiſſet. Ens abſolute neceſſarium non poteſt non exiſtere (§ 53), oriri ergo non poteſt.

II. Quae ergo entia ſimplicia oriuntur, ea ſunt contingentia.

III. Ens autem ſimplex, contingenter exiſtens, ex ente compoſito oriri nequit.

Finge enim, illud oriri ex ente compoſito, tum orietur uel per partium combinationem, uel per earum transpoſitionem, uel per diuiſionem et ſolutionem. Combina partes. Quid inde orietur? Maius compoſitum

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0219
DFG

(§ 98). Transpone partes, atque ex loco eas in locum transfer. Quid inde emerget? Aliud compositum, siue alia entis compositi figura. Solue et diuide partes. Quid inde exsurget? Minus compositum. Quamuis enim ex partium solutione, paullo diutius continuanda, uideri posset oriri ens simplex, propterea, quod nonnulli, ut diximus, in partium solutione, deueniunt cogitando usque ad entia simplicia; manifestum tamen est, ex partium, in composito reperiundarum, diuisione neutiquam oriri ens simplex, sed iam in eo existere. Intelligis ergo ex his, *ex composito ens simplex oriri non posse.*

IV. Ex simplici ente ens simplex oriri nequit.

Quia enim omne ens simplex est indiuisibile (§ 107 pos. IV) sequitur, ut ens simplex A ex ente simplici B suam accipere existentiam non possit. Sic enim ens simplex A separaretur ab ente simplici B. Aliud autem est, EX ente simplici, tanquam materia, oriri, aliud AB ente simplici, tanquam caussa efficiente, oriri. Illud negamus, hoc affirmamus. Animae enim humanae, aliaque entia simplicia A Deo orta sunt, quamuis EX Deo orta esse dici non possint.

V. Quid ex his efficitur? Quid? Nihil aliud, nisi hoc, ens simplex oriri debere ex nihilo? Quandoquidem neque ex composito, neque ex simplici oriri illud potest, restat, ut, ex nihilo illud ortum suum trahere, affirmemus.

Caue autem has duas propositiones commisceas: *A nihilo oriri*, et *ex nihilo oriri*. Prior concedi non potest, posterior potest.

VI. Ens simplex, cum oritur, debet oriri *in instanti*, i. e. in eius ortu non possunt partes cum partibus successiue iungi et combinari, quemadmodum id fieri solet in ortu entium compositorum.

Ratio

Ratio in promtu est, Ens simplex caret partibus (§ 106), atque adeo fieri non potest, ut in eius ortu partes cum partibus successiue combinentur. Oriri ergo debet ens simplex in instanti, i. e. existentiam accipit sine successione.

VII. Ens simplex, cum interit, interire alio modo non potest, nisi ut annihiletur.

Fac enim, ens simplex, cum interit, non annihilari, tum, cum interit, ita existere desinet, ut eius aliquid adhuc amplius existat. Hoc modo ens simplex erit diuisibile, quod est contra § 107.

VIII. Ens simplex, quod absolute necessarium est, non potest interire.

Ens enim simplex, quod absolute necessario existit, non potest non existere (§ 53). Si uero interiret, posset etiam non existere.

CAP. XII.
De Substantia et Accidente.

§ 110.

Vt intelligi queat, quid sit *substantia*, ante, ex methodi lege, definiendum putamus, quid sit *actio*, quid *passio*, quid *uis agendi*.

§ 111.

Actio est mutatio status, cuius ratio sufficiens continetur in ipso subiecto mutato.

Quam definitionem ut reddamus euidentiorem, primum addemus exemplum, deinde, quid per *statum*, quid per *mutationem* intelligatur, determinabimus. E. gr. Dum scribo, *agere* quid dicor. Est enim in me tum, cum scribo, mutatio. Cuius quidem mutationis debere adesse rationem sufficientem et quendam quasi

fontem, ex quo ipsa fluat, intelligis ex rationis sufficientis principio. Illa autem ratio cum in memet-ipso reperiatur (dum enim scribo, mutatio non ab alio quodam in me producitur, sed ipse me ad scribendum determino) facile uides, me, dum scribo, aliquid *agere* dici. Adest enim α) *mutatio*, β) ratio sufficiens huius mutationis in *me ipso*, tanquam in subiecto mutato, continetur. Mutationem definimus per uariationem modorum siue accidentium, quae uariatio alias quoque uocatur *modificatio*, et id, quod eiusmodi modorum uariationi obnoxium est, appellatur *subiectum modificabile*.

Statum THVMMIGIVS explicat per determinationem mutabilium. Si quis e. gr. eruditione perpolitus praeditusque uirtute est, in alio prorsus uersari dicitur statu, quam is, qui litterarum est imperitus, iners, uecors, omnibusque uitiis coopertus. *Eruditio* et *uirtus* (id quod, uel me non monente, intelligis), sunt in homine mutabilia quaedam. Possunt enim adesse uel abesse. Si uero adsunt uel eruditio, uel pietas, tum certo quodam et determinato modo cum iis, quae homini perpetuo insunt, simul in homine existunt, et, quamuis sint accidentia mutabilia, determinata tamen nunc gaudent existentia. Dum enim adsunt, fieri non potest, ut simul non adsint. Adessentia itaque eruditionis et uirtutis certum hominis *statum* constituit.

§ 112.

Actioni opponitur *passio*, quae est mutatio, cuius ratio sufficiens deprehenditur extra subiectum mutatum.

Cum quis gladio aut ictu fulminis percutitur, *pati* quid dicitur. Accidit enim in ipso mutatio, eiusque mutationis ratio extra personam, quae mutatur, in alio quodam reperiunda est.

§ 113.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0222
DFG

§ 113.

Vis agendi est continuus conatus siue nisus proximus agendi, siue est tendentia entis continua ad mutationes producendas. Vis autem agendi probe est distinguenda a *potentia actiua*, siue *facultate*, quae est mera agendi possibilitas.

E. gr. In globo suspenso deprehendimus continuum conatum descendendi et statum suum mutandi. Qui quidem conatus, remoto impedimento, actu se oppido exserit. Menti humanae tribuimus *facultatem fingendi*. Non fingit semper anima actu, sed, quia fieri potest, ut, data occasione, fingat, ipsi tribuimus possibilitatem siue facultatem fingendi.

§ 114.

Hinc has fluere positiones, intelligis:

I. Ex sola agendi potentia nulla sequitur actio, et ex sola patiendi potentia nulla oritur passio.

Quia a posse ad esse non ualet consequentia (§ 23).

II. Posita ui, ponitur actio, nisi adsit impedimentum.

Posita enim ui, ponitur id, in quo continetur ratio sufficiens, cur reuera detur et existat actio (§ 23 pos. II). Posita uero ratione sufficiente alicuius rei, ponitur id, quod rei producendae aptum est et sufficiens, adeoque ipsa res ponitur, E. posita ui, ponitur actio. Si uero impedimentum adfuerit, tunc eiusmodi quid obstat, quod in se continet rationem sufficientem, cur actio non perueniat ad existentiam.

§ 115.

Substantiam definit LEIBNITIVS per ens, quod ui agendi est praeditum, siue, quod idem est, quod principium mutationum suarum in se continet.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0223
DFG

WOLFFIVS, eine Subſtantz, inquit, iſt dasjenige, welches die Quelle ſeiner Veränderung in ſich hat, Metaphyſic. Germ. § 114.

Ita quoque *ſubſtantia* poteſt definiri: *eſt ſubiectum perdurabile et modificabile*, i. e. *quod ſuſtinet accidentia et modos.*

E. gr. Mens humana eſt perdurabile quid, quatenus illam conſidero, tanquam ſubiectum illud, quod multis gaudet accidentibus, innumerasque habet facultates. Multis enim modis et accidentibus eſt obnoxia, nunc enim cogitat, nunc iudicat, nunc appetit, nunc auerſatur, etc.

Diuiſiones *ſubſtantiae* nec omnes, nec nullas adferamus. α) *Subſtantia* diſpeſcitur in ſubſtantiam *primam* et *ſecundam*. Illam alias diximus *indiuiduum*, e. gr. Petrus, Paullus; ad hanc referimus Genera et Species, e. gr. Spiritus, homo, anima, conf. Log. § 46. β) Subſtantia eſt uel *communicabilis*, uel *incommunicabilis*. Illa eſt, quae pluribus poteſt competere, haec, quae non poteſt. γ) Eſt uel *completa* uel *incompleta*, illa eſt, quae ex ſua natura non ordinatur ad conſtituendam ſubſtantiam aliquam tertiam, haec, quae ad tertiam ſubſtantiam conſtituendam ordinata eſt, e. gr. anima humana eſt ſubſtantia incompleta. Eſt enim ad id ordinata, ut, cum corpore organico unita, ſubſtantiam tertiam conſtituat, ſcil. hominem. Angelus eſt ſubſtantia completa.

Addenda eſt definitio *ſuppoſiti*, quod eſt ſubſtantia ſingularis, incommunicabilis et completa. Hic liber eſt ſuppoſitum. Eſt enim α) indiuiduum ſiue ſubſtantia ſingularis, β) eſt ſubſtantia incommunicabilis, γ) eſt ſubſtantia completa.

Perſonam definiunt ueteres per ſuppoſitum intelligens. Ex quo intelligis, animam humanam non poſſe dici perſonam. Eſt enim anima humana ad id ordinata, ut, cum corpore iuncta, conſtituat tertiam ſubſtantiam. Adeoque non eſt ſubſtantia completa, neque ſuppoſitum.

§ 116.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0224
DFG

§ 116.

Omnes illae determinationes, quae in ſubſtantia deprehenduntur, ſiue conſtantes et perpetuae ſint, ſiue mutabiles, uocari ſolent *accidentia*.

Sumimus uocem accidentis paullo latius, pro omni ſcil. eo, quod non eſt ſubſtantia. Veteres uocabant *accidens praedicamentale*. Supra uero uocem *accidentis* ita accepimus, ut id opponeremus attributis, quod quondam uocabatur *praedicabile*.

CAP. XIII.

De Ente finito et infinito.

§ 117.

Sequitur, ut de entis finiti infinitiue differentia exponamus.

§ 118.

Limes eſt nihil aliud, quam defectus ulterioris realitatis.

Ad definitionem hanc diſtinctius intelligendam, limites corporis alicuius, e. gr. huius menſae tibi repraeſenta. Quid quaeſo, cogitas, cum limites huius, quam coram uides, menſae animo informas. Nonne, cum, quae adſunt, partes reales eſſe deſinunt, limites incipiunt? Vt adeo limites recte conſtituamus in defectu ulterioris realitatis.

§ 119.

Limites ſi in entibus compoſitis deprehenduntur, oritur inde *figura* (§ 102). Limites in entibus ſimplicibus uocantur *gradus*.

E. gr. Mentis humanae cognitio limitibus eſt definita, ita ut nec omnia, nec, quae cognoſcit, diſtinctiſſime cognoſcere queat.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0225
DFG

§ 120.

Hinc intelligi nunc possunt sequentia Theoremata:

I. Quod limitibus est circumscriptum, non omnia ea habet, quae habere potest.

Omne enim limitatum caret quibusdam realitatibus (§ 118), adeoque nondum omnia habet, quae potest habere.

II. Eo, quod limitibus est definitum, maius quid concipi potest.

III. Quod est limitibus circumscriptum, successiue alios atque alios status potest habere.

Quod est limitibus definitum, nondum habet omnia, quae habere potest. Atque adeo alia atque alia possunt accedere.

§ 121.

Quicquid habet limites, illud dicitur *ens finitum*, siue *limitatum*, quicquid uero caret limitibus, illud appellamus *illimitatum*, siue *infinitum*.

§ 122.

I. Omne ergo ens finitum nondum omnia ea habet actu, quae habere potest.

E. gr. Mens humana est ens finitum, atque ob ipsam suam finitudinem nondum habet actu omnia, quae habere poterat. Alia nosti hodie, quae heri plane ignorabas, alia cras scies distinctius, quae confuse hodie et obscurius percipis, secundum illud TERENTII:

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,
Quin res, aetas, usus, semper aliquid adportet et noui,

Aliquid

Aliquid moneat, ut illa, quae te ſcire credas, neſcias,
Et, quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.
Adelph. Act. V Sc. 4.

II. Ente finito maius quid concipi poteſt (§ 120 et 121).

III. Ens infinitum debet omnes realitates, quae tantum ſunt in ipſo poſſibiles, actu poſſidere.

Quia caret limitibus (§ 121), adeoque nullus in ipſo realitatis defectus eſt reperiundus (§ 118).

IV. Ens infinitum omnes realitates poſſidet ſine ullo gradu.

Quia gradus iam inuoluit limites (§ 119), qui ab ente infinito remoueri debent.

V. Ens infinitum nullam admittit ſucceſſionem.

Quia omnes realitates actu habet, atque adeo aliae aliaeue ſucceſſiue accedere nequeunt.

VI. Ens infinitum nullius mutationis eſt capax.

Quia ubi omnia iam actu adſunt, neque accedere quicquam poteſt, neque deminui.

VII. Duo entia infinita nec dantur, nec dari poſſunt. (Conf. § 42 poſ. IV).

CAP. XIV.
De Principiis et Cauſſis.

§ 123.

Quae ſint entium diſcrimina, hactenus expoſuimus. Reſtat, ut, qua ratione alterum ad

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0227
DFG

alterum referatur, cum eoque connectatur, explicemus.

Hic ergo aliud ens, deprehendemus, esse *caussam*, aliud *caussatum* siue *effectum*, aliud *principium*, *principiatum* aliud.

§ 124.

Principium est nihil aliud, quam omne id, unde aliquid quocunque modo dependet, siue, quod in se continet rationem alterius. Ens enim B, ab ente A dependet, si ens A continet in se rationem, cur ens B sit. Id, quod ab altero dependet, dicitur *principiatum*.

E. gr. Solis splendor est principium diei, propterea, quod dies a solis splendore dependet. Dies uero in respectu ad solis splendorem, dicitur *principiatum*.

Varie diuidebant Scholastici *Principium*. α) Aliud est *principium essendi*, in quo est ratio cur alterum sit, e. gr. Deus, respectu mundi, aliud *principium fiendi*, in quo reperitur ratio, cur alterum fiat, aliud denique *principium cognoscendi*, e. gr. haec propositio: *anima est ens simplex*, in respectu ad hanc, *anima est immortalis*. Haec enim dependet ab illa, β) principium diuiditur in *caussale* et *non caussale*, illud est, quod rem aliquam reuera producit, e. gr. Deus, respectu mundi, est principium caussale. Principium non caussale est, quod quidem rem producendam praecedit, at eam non producit, e. gr. *aurora*, *respectu diei*. γ) Principium cognoscendi dispescitur in *complexum* et *incomplexum*. Illud est integra propositio, a qua ceterae dependent, e. gr. *quicquid scriptura sacra dicit, illud est uerum*. Hoc uero est terminus aliquis, qui in conclusione aliqua inferenda, loco medii termini, est, e. gr. *Scriptura sacra*.

§ 125.

§ 125.

Nexus est illa rerum ad se inuicem relatio, ui cuius unum continet rationem alterius, et *connexa* ea dicuntur, quorum unum in se continet rationem cur alterum existat.

E. gr. Inter patrem et filium est nexus, item, inter bellum et calamitates, inter intemperantiam et uarii generis morbos, inde oriundos. Ratio enim, cur filius existat, est in patre, et, cur tot calamitates cum ciues, tum rusticos afflictent, deprehenditur ratio in bello.

§ 126.

Intelligi nunc facillimo negotio potest, quid sit *causſa*. Illud scilicet principium, a quo alterius existentia dependet, siue, quod continet rationem in sese, cur alterum existat, dicitur causſa. Id uero, quod a causſa dependet, uocatur *causſatum*, siue *effectus*.

Latius patet notio *principii*, quam notio *causſae*. Omnis causſa est principium, at non omne principium dici potest causſa.

Veteres omnes causſas dicebant esse uel *internas*, uel *externas*. His annumerantur α) *causſa efficiens, a qua* res est, β) *causſa finalis, propter quam* res est. Ad internas refertur 1) *causſa materialis*, ex qua res est, 2) *causſa formalis*, per quam res est. De singulis sigillatim.

§ 127.

Causſa efficiens, quae proprie et κατ' ἐξοχὴν causſa est, nihil est aliud, quam id, quod per actionem suam continet rationem sufficientem, cur alterum existat, siue, quod ui sua alterum producit.

E. gr. Deus produxit hunc mundum, atque adeo est causſa efficiens huius mundi. *Voluptas* est causſa innume-

numerabilium malorum, quorum nonnulla recenſet CICERO de Senect. cap. 14.

Cauſſa efficiens a Philoſophis uarie diuidi ſolet. α) Cauſſa efficiens eſt uel *libera*, uel *neceſſaria* et *naturalis*. Illa ita agit, ut poſſit quoque actionem omittere, e. gr. CATO cauſſa libera erat mortis ſuae, poterat etiam manus ſibi non inferre. Haec uero, natura ſua intrinſeca ad agendum impulſa, non poteſt non agere, e. gr. cum ignis lignum comburit, cum uenenum per uenas diffuſum, corpus conficit. β) Cauſſa efficiens eſt uel *uniuoca*, uel *aequiuoca*. *Illa* effectum eiusdem naturae et ſpeciei producit, *haec* effectum diuerſae naturae et eſſentiae, e. gr. Pater eſt cauſſa uniuoca filii, eſt enim filius eiusdem cum patre naturae. Deus eſt cauſſa aequiuoca huius mundi, quia produxit hunc mundum, qui tamen eſt diuerſae naturae et ſpeciei. γ) Cauſſa efficiens eſt uel *principalis*, quae effectum producit, uirtute propria, uel *inſtrumentalis*, quae ui aliena effectum producit, e. gr. Deus eſt cauſſa efficiens principalis Scripturae ſacrae, Prophetae autem et Apoſtoli, ſunt cauſſae inſtrumentales. δ) Cauſſa efficiens eſt uel *phyſica*, uel *moralis*. Illa eſt, quae immediate uera et reali actione effectum producit, ſi uero quid effectum mediate et per alium ad exiſtentiam perducit, tum dicitur cauſſa moralis. Cum Alexander M. Cliti latus haſta transfigeret, tum huius caedis erat *cauſſa phyſica*. Vid. CVRT. L. VIII cap. 1. Cauſſa phyſica incendii, quo Perſepolis conflagrabat, itidem erat Alexander, qui, teſtante CVRTIO, primus ignem regiae iniecit, idque ſuaſu Thaidos, quae temulenta pellex regem incitauerat ad urbem incendendam. Haec itaque erat cauſſa moralis tam funeſti incendii, quo regia totius orientis concidebat. Vid. CVRT. L. V c. 7. Cauſſa autem moralis ad effectum producendum adiumentum adfert his fere rationibus. Si quis fuerit 1) *mandans*, 2) *conſulens*, 3) *ratihabens*, 4) *laudans*, 5) *conſentiens*, 6) *prouocans*, 7) *non impediens, cum impedire poſſet*. Caeterum obſerua, effectum cauſſae morali aeque imputari, ac

cauſſae

cauſſae phyſicae. CICERO ergo recte putat, quod is ſciens in errorem inducat alterum, qui ruere alterum, et per errorem in maximam fraudem incurrere patiatur. *Vendat*, inquit, *aedes, uir bonus, propter aliqua uitia, quae ipſe nouit, ceteri ignorent: peſtilentes ſint, et habeantur ſalubres, ignoretur, in omnibus cubiculis apparere ſerpentes; male materiatae, ruinoſae: ſed hoc, praeter dominum, nemo ſciat.* Quaero, ſi hoc emtoribus uenditor non dixerit, aedesque uendiderit pluris multo, quam ſe uenditurum putarit, num id iniuſte ac improbe fecerit? Iniuſte uero ac improbe. De Off. Lib. III cap. 13 collat. 17. ε) Cauſſa efficiens praeterea diſtinguitur in cauſſam efficientem *per ſe*, et cauſſam efficientem *per accidens*. Philoſophia e. gr. eſt cauſſa per ſe bonae, et regulis Logicae conuenienter inſtitutae, ratiocinationis. Eſt autem cauſſa per accidens opinionum monſtroſarum et peſtiferarum. Mali mores ſunt cauſſa per ſe multarum calamitatum et infortunii multiplicis, at ſunt cauſſa per accidens bonarum legum. ζ) Cauſſa porro eſt uel *proxima*, uel *remota*. Haec eſt a qua effectus, interuenientibus aliis cauſſis dependet. *Cauſſa* uero *proxima* eſt, a qua effectus, nulla alia cauſſa interueniente, dependet. Voluptas, ſuperbia, et barbara feritas Tarquinii, Regis Romanorum, erant cauſſa remota libertatis Reipublicae Romanae, cauſſa proxima fuit BRVTVS LIVIVS L. II c. 1. η) In *ſufficientem* denique et *inſufficientem* cauſſam nonnulli diſpeſcere conſuerunt. Sed, ſi dicendum, quod res eſt, cauſſa inſufficiens non poteſt dici uera cauſſa. Huc referebant ueteres *conditionem, ſine qua non*, quae quidem non, ut cauſſa, effectum producit, at ſine qua cauſſa effectum producere nequit. E. gr. Si alterius uoluntatem a uitiis ad uirturem, a libidine ad temperantiam traducere uelis, peropus eſt, ut ante remoueantur praeiudicia, quibus mens eſt corrupta. Quae quidem praeiudiciorum exſtirpatio non eſt cauſſa emendationis uoluntatis, at eſt *conditio ſine qua non*.

§ 128.

§ 128.

His cauſſae efficientis diuiſionibus ſubiungemus poſitiones ſequentes.

I. Nihil eſt cauſſa ſui ipſius, ſiue, nihil ſemetipſum poteſt producere.

Fingas enim, aliquid ſemetipſum producere, tum illud, quod ſemetipſum producere fingitur, et exiſtit, et ſimul non exiſtit. Exiſtit, alias ſe producere non poſſet. Non exiſtit, quia demum ſe producere, et ſibi exiſtentiam largiri fingitur. Hoc uero fieri nullo modo poteſt (§ 21). Fieri ergo quoque nequit, ut aliquid ſemetipſum producat.

II. Qualis cauſſa uniuoca, talis quoque effectus.

Cauſſa enim uniuoca et effectus ſunt eiusdem naturae et eſſentiae.

III. Cauſſa cauſſae eſt etiam cauſſa cauſſati.

Bruti filios, LIVIVS narrat, fuiſſe cauſſas conſpirationis de regibus recipiendis. Fuere ergo quoque cauſſae ignominioſi ſupplicii, quod de ipſis ſumebatur. LIV. L. II c. 4.

IV. Cauſſa abſolute eadem, contrarios effectus producere nequit.

Si eadem cauſſa A poteſt effectus B et C, ſibi contrarios, aeque, bene, et facile producere, tunc, ſi producit B, non eſt ratio, cur non producat C, et uice uerſa. Conf. CARPOV. in diſſert de poenis neceſſitati hypothet. non contrariis § 6.

V. Non poteſt eſſe plus in effectu, quam fuit in cauſſa, ſiue: Effectus plenus aequipollet cauſſae plenae, ſeu uiribus cauſſae integris.

Ratio huius propoſitionis manifeſta eſt. Si enim plus in effectu dixeris, quam fuit in cauſſa, illud *plus* non depen-

dependet a cauſſa quapiam, quod eſt contra principium rationis ſufficientis. Num putas, ut hoc utar, a duobus, uel tribus granulis pulueris pyrii aedificium magnae molis fundamentis ſuis conuulſum, collabi poſſe? At experientia uidetur poſitioni noſtrae aduerſari. Conſtat enim inter omnes, ſaepius ex leuiſſimis iniuriis maximas ortas iras, et ex maximis iniuriis ſaepe leues indignatiunculas, ſecundum illud TERENTII:

Non maximas, quae maximae ſunt interdum iniuriae, iras
Faciunt, nam ſaepe eſt, quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt,
Cum de eadem cauſſa eſt iracundus factus inimiciſſimus,
Pueri inter ſeſe quam pro leuibus noxiis iras gerunt.
Hecyr. Act. III Sc. I.

Vide, quam parum hic cauſſae congruant et effectus. At quid hic reſponderi poſſit, infra de affectibus docebimus. Vid. ERNESTI Diſput. de emend. volunt. per ſaltum § 12, Lipſ. 1730 hab.

§ 129.

Haec de cauſſa efficiente. Ad externas cauſſas refertur praeterea *cauſſa finalis*.

Eſt autem *finis* nihil aliud, quam id, cuius gratia cauſſa efficiens operatur, ſiue: eſt id, quod cauſſa efficiens per actionem ſuam cupit obtinere.

REGVLVS reuertebatur Carthaginem, idque ideo, ut iusiurandum conſeruaret. En finem reditus! Vid. CIC. L. III de Off. c. 28. TERENTIVS in conficiendis fabulis hunc ſibi propoſuerat finem, et id ſibi negotii credidit ſolum dari,

Populo ut placerent, quas feciſſet fabulae. Prol. in Andr.

Finis α) diſtinguitur in *finem principalem*, ob quem ſolum ens intelligens agit, et in *finem minus principalem*,

palem, siue *secundarium*, propter quem quis ita agit, ut, si non praeterea alium sibi finem propositum haberet, non ageret. Finis princeps poetarum in carminibus pangendis debet esse, ut *prosint*, secundarius, ut *delectent*. Vid. HORAT. Art. Poet. v. 333. CICERO de fine diuitiarum primario et secundario ita: *Expetuntur diuitiae tum ad usus uitae necessarios, tum ad perfruendas uoluptates.* L. I de Off. c. 8. β) Finis est uel *proximus*, qui, nullo alio mediante, intenditur, *remotus*, qui non, nisi aliis finibus interuenientibus, intenditur.

Librum e. gr. tibi emis, idque ideo, ut inde haurias eruditionem. *En finem proximum!* at eruditionem ideo uis haurire ex libro, ut aliquando felix euadas, et dignitate cum otio perfruaris. *En remotum finem emtionis libri!*

§ 130.

Medium uocatur id, quod in se continet rationem, cur finis existentiam consequatur. Medio opponitur *impedimentum*, quod nihil est aliud, quam id, quod in se continet rationem, cur aliquid ad existentiam non perueniat.

Virtus est medium honoris. In uirtute enim continetur ratio sufficiens, cur, quem intendis, finis, scil. honor, ad existentiam perueniat. In ignauia est ratio sufficiens, cur eruditio, tanquam finis, non ad existentiam perueniat, atque adeo ignauia est impedimentum eruditionis. Quod ingenium, studia, propensionesque adolescentulorum non plene distinctiusque perspiciantur, persaepe ratio sufficiens est in eo, quod metu custodis aut poenae, in officio contineantur, secundum illud Comici:

Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum aetas, metus, magister, prohibebant. Andr. I, 1 v. 25.

§ 131.

§ 131.

I. Nullus finis ſine mediis poteſt impetrari.

Quia nihil eſt ſine ratione ſufficienti (§ 15), in mediis autem eſt ratio ſufficiens, cur finis ad exiſtentiam perueniat (§ 130).

Recte ergo Syrus apud TERENTIVM ridet uel potius grauiter increpat Clitiphonem, qui ſine ſine mediis potiri cupiebat.

Vis amare, inquit, *uis potiri; uis, quod des illi, effici:*

Tuum, eſſe in potiundo periculum non uis: haud ſtulte ſapis:

Siquidem id ſapere eſt, uelle te id, QVOD NON POTEST CONTINGERE,

i. e. uelle finem ſine mediis. Heautont. Act. II Sc. 3 v. 80.

II. Quicunque ergo uult finem, uelle etiam debet media, ſine quibus nullus finis obtinetur.

III. Vnius rei multiplex poteſt eſſe et uarius finis.

Quo pertinent haec PLINIANA: *Mihi duplex eſt ratio recitandi: una, ut ſollicitudine intendar, altera, ut admoneor, ſi quid forte me, ut meum, fallit.* Lib. V ep. 13.

§ 132.

Materia, ſiue *cauſſa materialis* eſt id, ex quo conſtat ens compoſitum, e. gr. uenae, nerui, oſſa, quibus corporis humani compages continetur.

A *materia* EX qua diſcerni uolunt philoſophi materiam *in qua*, et materiam *circa quam*, quam appellamus *obiectum*. E. gr. *Sapientiae, quaſi materia, quam tractet, in qua uerſetur, ſubiecta eſt ueritas.* CIC. L. I de Off. c. 5.

§ 133.

Formam constituunt omnes notae et determinationes essentiales, quae rem aliquam ab altera distinguunt.

E. gr. Formam uirtutis constituunt hae notae, quod sit *habitus, actiones legi diuinae conuenienter instituendi.*

§ 134.

Ex qua definitione intelligis, quid sit illud: Forma dat ESSE rei, forma dat DISTINGVI et OPERARI.

CAP. XV.
De SIGNO et SIGNATO.

§ 135.

Signum est id, cuius idea excitat ideam alterius, siue ex WOLFFII definitione, *signum* est, ex quo alterius praesentia, uel aduentus, uel praeteritio colligitur.

E. gr. Lacrimae sunt signum tristitiae. Ex iis enim colligitur, adesse tristitiam. Per signum respondebat Tarquinius nuncio, ad se a filio missо. Hic ubi Gabiis unus omnia poterat, mittit ad patrem Romam sciscitatum, quidnam se facere uellet. Pater nihil dedit responsi, sed inambulans tacitus summa papauerum capita decussit. Quae ubi nuncius, qui Gabios redierat, narrat filio, intelligit, quid uelit parens. Idea scilicet decussionis summorum papaueris capitum ideam excitabat caedis, quam suscipere debebat. Decussio ergo papaueris erat signum stragis, a filio edendae. LIV. L. I c. 54.

§ 136.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0236
DFG

§ 136.

Id, quod ex altero colligitur, siue cuius idea excitatur, dicitur *signatum*, e. gr. tristitia per lacrimas, laetitia per risum significata.

§ 137.

Si res, quae significatur, praesens est, tum signum dicitur *demonstratiuum*, si futura res significatur, appellatur *signum prognosticum*, si autem res praeterita significata est, signum uocatur *rememoratiuum*.

§ 138.

Signum necessarium est, inter quod et rem significatam nexus est necessarius. *Signum* uero *arbitrarium* est, quod cum re significata non necessario nexu cohaeret, aut quod ab arbitrio humano dependet.

E. gr. Fumus est signum necessarium ignis. Vestis obsoleta et sordida, capillus et barba promissa erant apud Romanos signa arbitraria ignominiae acceptae, quod docet LIVIVS, L. XXVII c. 34, ubi Marium Liuium in urbem reductum ait, sed *neste obsoleta, capilloque et barba promissa, qui praetulerit in uultu habituque memoriam ignominiae acceptae.*

FINIS ONTOLOGIAE
SEV
PHILOSOPHIAE PRIMAE.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0237
DFG

METAPHYSICES PARS II Cosmologia Generalis.

CAP. I. De Cosmologia in Genere.

§ 139.

Cosmologia generalis est scientia de mundo in genere.

WOLFFIVS doctrinam de mundo primus in artis formam redegit, et notiones generaliores, ad mundi cognitionem pertinentes, distincte explicauit. Neque uero in hac disciplina elegantissima huius mundi, quem *aspectabilem* uocamus, quique continetur terra et caelo, corpora aut proprietates exponendas putat, sed cum in earum notionum explicatione, quae, ab hoc, qui existit, mundo indiuiduo abstractae, mundo, generatim spectato, conueniunt, tum in eiusmodi positionibus, quae sunt uniuersaliores, quaeque in physica sunt perutiles, demonstrandis uersatur. Atque adeo *Cosmologia generalis siue transcendentalis* appellatur, quae recte ad metaphysicam, cuius est, notiones communes distincte tradere refertur.

CAP. II. De Notione siue Conceptu mundi.

§ 140.

Distinctam mundi, generatim spectati, notionem formaturus, attendat ad ea, quae in hoc mundo obseruantur.

I. Cum

I. Cum uel caelum ſuſpicimus, uel terram eaque, quae ſunt ante pedes, contuemur, tum plurima corpora obuerſari oculis noſtris deprehendimus, quae ſimul exiſtunt, e. gr. ſolem, ſidera, arbores, flumina, animalia, cetera. Haec, quia ſimul exiſtunt, dicuntur ſimultanea (§ 86): *E. in hoc mundo dari res ſimultaneas, patet.*

II. Experientia nos docet, horum, quae in mundo uidemus, corporum alia interire, alia oriri. Diem nox, noctem dies excipit, nec ſol, nec ſidera, in eo ſemper ſitu, permanere cernuntur. Perſpicuum ergo eſt, *exiſtere in hoc mundo res ſucceſſiuas.*

III. Omnia, quae in hoc uniuerſo uel ſimul exiſtere, uel ſe inuicem ſequi, deprehenduntur, eiusmodi omnino ſunt, ut poſſint eſſe aliter et immutari. Quid obſtat, quo minus maior uel plantarum uel animalium copia adſit? Quid impedit, quo minus animal, quod nunc uiuit, cras intereat, et, quibus ſuperbit hortus, flores concidant? Quid impedit, quo minus nunc, cum ſol ſplendet, offuſa nebula ſolis intercipiat radios, et horrenda ſaeuiat tempeſtas? Quo igitur cunque oculos tuos conuerteris, *omnia in hoc mundo eſſe mutabilia*, uides ac ſentis.

IV. Videmus, eum eſſe rerum, huius mundi ambitu comprehenſarum, ordinem et ad ſe inuicem relationem, ut uel alteram rem altera producat, uel unum ſit propter aliud. Quis neſcit pluuiam producere terrae foecunditatem?

tatem? Quis non intelligit, ſolem cum terra ideo ſimul exiſtere, ut terra ab eo illuminetur et calefiat? Patet ergo, eſſe *nexum* rerum in hoc mundo (§ 125) et omnia eſſe *connexa*.

§ 141.

Ex his nunc formabitur notio uniuerſalis *mundi*, quem definimus, per ſeriem omnium rerum ſimultanearum, ſucceſſiuarum, mutabilium, et inter ſe connexarum. Breuius: *Mundus* eſt complexus omnium rerum creatarum.

Cum, quid ſint *res ſimultaneae*, quid *ſucceſſiuae*, in ontologia iam explicatum ſit, proximum eſt, ut, quae ſint *connexa*, ſpecialius indicemus.

§ 142.

Quaecunque ita ſunt comparata, ut unum eorum in ſe contineat rationem, cur alterum ei ſuccedat, ea dicuntur *connexa ratione temporis*, quae alias quoque dicuntur *connexa per cauſſas efficientes*.

Vitia corruptique mores Romanorum et euerſio reipublicae libertatisque Romanae erant *connexa ratione temporis ſiue per cauſſas efficientes*. Recte SALLVSTIVS: *Poſtquam auaritia fidem, probitatem, ceteraſque artes bonas ſubuertit, pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia uenalia habere edocuit - - ciuitas immutata, imperium ex iuſtiſſimo atque optimo crudele intolerandumque factum.* Bell. Catilin. c. X.

Atrociſſimum facinus Neronis, qui matrem interfecerat, et *conſcientiae angores*, erant *ratione temporis connexa*. Qui enim cum caedem perpetraſſet, ſceleris conſcientiam, poſt factum, ferre non potuit, ſaepe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, uerberibus Furiarum ac taedis ardentibus. Vid. SVETON. in Nerone cap. 34.

§ 143.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0240
DFG

§ 143.

Quae in uniuerſo ſimul exiſtunt ita, ut alterum alteri praebeat uſum, *ea connexa* dicuntur per *cauſſas finales*, quae uocantur quoque *connexa ratione ſpatii*.

Sol, ex conſilio et intentione Dei, ideo una exiſtit cum tellure, ceteriſque planetis, ut ab ipſo lucem accipiant caloremque. Solem itaque planetasque eſſe connexa per cauſſas finales, cumulatius intelligi poteſt. Quo pertinent ea, quae CICERO de rebus huius uniuerſi, in generis humani uſum creatis, ita diſſerit: *Et fruges et reliqua, quae terra parit, et tempeſtates ac temporum uarietates caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignit, maturata pubeſcunt, a Diis immortalibus tribuuntur generi humano, - - quae talia ſunt, ut Dii immortales ad uſum hominum fabricati paene uideantur.* De Nat. Deor. L. I c. 2.

§ 144.

Nexum ergo nonnulli recte definiunt per dependentiam a cauſſis efficientibus et finalibus. Vt adeo, qui in hoc uniuerſo cauſſam omnium rerum efficientem et finalem concedit, is non poſſit non nexum quoque concedere.

Eſt, teſte CICERONE, *admirabilis quaedam continuatio ſeriesque rerum, ut alia ex alia nexa, et omnes inter ſe aptae colligataeque uideantur.* De Nat. Deor. L. I c. 4.

Cauſſas efficientes et finales in hoc uniuerſo omnium rerum eſſe, nemo non philoſophorum affirmat. At uox NEXVS, tanquam inuidioſa, a plurimis repudiatur. Contigit ſcilicet huic uocabulo, quod Tarquinio Collatino, legimus, accidiſſe, qui, libertatis licet Romanae aſſertor erat, abdicare ſe tamen conſulatu, rebusque ſuis omnibus Lauinium translatis, ciuitate cedere cogebatur, idque nulla alia de cauſſa, quam quod *Tarquinius* appellaretur. *Solum nomen*, ut ait LIVIVS, *non placebat.* Vid. LIV. L. II c. 2.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0241
DFG

§ 145.

Ex his rationibus, rite ſubductis, id conficies, per ſimultanea et ſucceſſiua connexa HAEC, nec alia, mundum quemlibet eſſe praeciſe HVNC mundum, nec alium. E. poſito alio rerum nexu, mundus ALIVS inde emergit.

§ 146.

Ex nexu rerum intelligitur

I. In natura nihil fieri per ſaltum.

Per ſaltum quid fieri dicitur in natura, quando effectus aliquis contingere dicitur, ita, ut non eae omnes cauſſae praecedant, quae ad effectum producendum requiri uidentur. Saltu ergo admiſſo, aliquid fit ſine cauſſa, quod eſt contra § 128.

Saltum diſtinguunt in *abſolutum* et *reſpectiuum*. Ille eſt, cum effectus fingitur ad exiſtentiam peruenire ſine omni cauſſa, quod nullo modo fieri poteſt. *Saltum reſpectiuum* dicimus, ubi res ad exiſtentiam pauciori tempore, peruenire dicitur, quam alias ad eum producendum requiritur.

Saltus reſpectiui exemplum eſt celerrima illa et notiſſima CAESARIS uictoria, qui Pharnacem, intra *quintum*, quam adfuerat, diem *quatuor*, quibus in conſpectum uenit, horis, *una* profligauit acie. Pontico ergo triumpho inter pompae fercula trium uerborum praetulit titulum, VENI, VIDI, VICI, belli celeriter confecti notam. Vid. SVETON. in Iul. Caeſ. c. 37.

II. Ex rerum nexu manifeſtum eſt, non poſſe quicquam euenire forte caſuue.

Quicquid enim *forte caſuue* fieri dicitur, id ſine omni ratione aut cauſſa euenit. Nexus autem requirit, ut omnia ſuas cauſſas efficientes habeant (§ 144), ſi id *forte caſuue* contingere dicitur, cuius non ratio ſufficiens

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0242
DFG

ciens latet, aut, quae praeter ſpem eueniunt, tum equidem inſitias ire nolim, multa fieri *caſu*. Ita TERENTIVS:

- - *Quam ſaepe FORTE TEMERE*
Eueniunt, quae non audeas optare. Phorm. Act. V Sc. I.

et PLAVTVS:

Inſperata accidunt magis ſaepe, quam quae ſperes. Moſtell. I, 3, 40.

III. Nexu rerum aſſerto, perſpicuum eſt, omnes euentus in uniuerſo habere ſuam ueritatem determinatam.

Determinatum eſt id, de quo aliquid ita praedicatur, ut oppoſitum eius, quod praedicatur, ſimul excludatur (§ 44). Iam uero omnis euentus in uniuerſo eſt eiusmodi, ut euentus oppoſitus ſimul locum non habeat (quando e. gr. pluit, fieri non poteſt, ut ſimul non pluat). E. omnis euentus in uniuerſo eſt determinatus, ſiue habet ueritatem ſuam determinatam.

Quae propoſitio cum a compluribus, qui WOLFII philoſophiam impugnarunt, minus intelligatur, atque adeo in peruerſum detorqueatur ſenſum, factum eſt, ut, neſcio quid monſtri alere eam, nonnulli exiſtimarint.

Sed ſi eam aliis enunciaueris uerbis, tum omnis tolletur, minuetur certe, quae de uocibus ſuſcipiebatur concertatio. Dic e. gr. *quicquid in hoc mundo cauſſas efficientes, easque ſufficientes, habet, illud, CERTVM EST, ſubſecuturum eſſe.* Dic: *Saxonia, hoc anno, aut belli metu motuque concutietur, aut tranquillitate, exoptatiſſima pacis alumna, perfruetur.* Alterutrum futurum eſt. Et, ſi futurum eſt, CERTO futurum eſt.

Fingas, propoſitionem noſtram non eſſe ueram, fac, euentus, in mundo ſubſecuturos, non *certo* futuros eſſe, nec habere ueritatem determinatam, tum uero

non uideo, quomodo Dei praescientia adstrui possit. Aut enim futuri euentus praesciuntur a Deo, aut non praesciuntur. Si praesciuntur, tum ab ipso praesciuntur, ac si iam facta essent, adeoque, tanquam *certo* futura. Si non praesciuntur a Deo, tum Deus non erit omniscius, quod, sine summo scelere, de Deo affirmari nequit.

IV. Si nexum rerum in mundo concedimus, tum tollitur refelliturque doctrina de *fato*, cuius uis, si quam habet, mirum quantum infirmatur, quamdiu iis, quae de rerum connexione diximus, sua constat ueritas.

Fatum, a *fando* dictum, id omne, si stirpem et originem uocis spectaueris, indicat, quod de hominibus fatus est Deus, iussit, et decreuit. *Quid aliud*, inquit, MINVCIVS FELIX, *est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est* c. 36. Si loquendi usum in consilium adhibueris, per *fatum*, animaduertes, intelligi semper quandam rerum necessitatem in mundo. At ab aliis alio modo necessitas, quae in mundo dominari putatur, intelligitur explicaturque. Ex quo uaria *fati* genera orta sunt.

§ 147.

Sunt, qui res euentusque, fati lege destinatos et fixos, subsequi existimant, siue causae, ad euentus producendos necessariae, praecesserint, siue minus, quo continetur *fatum Mahumedanum*.

Turcae scilicet dicuntur praesentissimum uitae periculum, intrepido animo, adire, et in loca pestilentissima se conferre, rati, si mors ipsis sit fato destinata, non posse non se, hoc ipso momento, quo mori, ex fati lege, debeant, mori, siue loca adeant periculosa, siue uitent, siue bibant uenenum, siue minus.

§ 148.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0244
DFG

§ 148.

Alterum est *Stoicorum* fatum, quos, scimus, non eo quidem processisse uecordiae, ut, effecta sine caussis, fines sine mediis potuisse obtineri, crediderint, at caussarum effectorumque ordinem continuationemque, quam asserebant, immutabilem atque ita aeterna Dei lege definitam, aiebant, ut neque propensiones, neque consilia hominum agentium in censum hic ueniant, libertasque omnis, necessaria illa et indeclinabili rerum caussarumque, se inuicem continentium, serie et catena, loco moueatur.

De quo GELLIVS. *Fatum est*, inquit, *sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum, et catena uoluens semetipsa, et sese implicans per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est.* Noct. Att. L. VI c. 2. Pertinent huc illa SENECAE, in Oedip. v. 980.

Fatis agimur, cedite fatis,
Non sollicitae possunt curae
Mutare rati stamina fusi,
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, uenit ex alto:
Seruatque sua decreta colus
Lachesis, dura reuoluta manu
Omnia, secto tramite uadunt:
Primusque dies dedit extremum.
Non illa Deo uertisse licet,
Quae nexa suis currunt caussis.
It cuique ratus, prece non ulla
Mobilis, ordo: multis ipsum
Timuisse nocet: multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent.

§ 149.

§ 149.

Chaldaei quondam, et, post hos, alii complures, opinionis errore, perridiculo illo et pestifero, finxere necessitatem quandam rerum actionumque humanarum, a ui imperioque astrorum immutabili oriundam. Quae necessitas nominatur *fatum astrologicum*.

In quo fati genere explodendo multus est Fauorinus, philosophus, apud GELLIVM, qui, ubi multa in eos dixit, qui actiones suas, quasi habena quadam, de caelo uinctas, gubernari, putant, haec tandem, in dissertationis fine, addit, quae, in eorum gratiam, hic adferri, nostra refert, qui uim, nescio quam, sideribus, in formandis regendisque moribus hominum tribuuna. *Aut aduersa*, inquit, *euentura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera, et fallunt, miser fies frustra exspectando. Si aduersa dicunt, et mentiuntur, miser fies frustra timendo. Sin uera respondent, eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies ante, quam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura sunt: tum plane duo erunt incommoda, et exspectatio te spe suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes tibi iam praeflorabit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus, res futuras* (ex astris) *praesagientibus.* Noct. Att. L. XIV c. 1.

§ 150.

Ad eos, qui ad fatum referunt omnia, ad diuini numinis prouidentiam, liberasque hominum destinationes consiliaque nihil, SPINOZA uel in primis pertinet. Hic enim, quamuis, et ad finem consequendum mediis, et ad cupiditates mentis humanae inclinandas flectendasque rationum momentis opus esse, dixerit, totam tamen causarum effectorumque seriem ita deuinciri et colligari, affirma-

firmauit, ut nihil in ea agat dirigatque summi Numinis prouidentia, omniaque, immutabili et coeca necessitate, consequantur.

SPINOZA e. gr. statuebat, aeque necessarium esse, me iam scribere, ac necessarium est, his duo efficere quatuor.

§ 151.

Restat, ut explicemus id, quod nonnulli *fatum rationabile*, siue *rationi consentaneum* appellant. Quandoquidem omnia in uniuerso ita contingunt, ut caussarum et effectorum, ex caussis, tanquam seminibus, nascentium, sit is ordo, ea series, ut, posita caussa, necessario ponatur effectus, facile intelligitur, in mundo necessitatem hypotheticam locum habere, quae uero et a caussa aliqua prima sapientissimaque dependet, et in se contingens est, mutabilisque. Quam necessitatem euentuum hypotheticam, aut, si mauis, certitudinem determinatam uocant nonnulli *fatum*, *rationi amicum*.

Hic uero, si dicendum, quod res est, cautius ages, si ab hoc inuidioso *fati* uocabulo te abstinueris, occasionemque, decertandi de uerbis, defugeris. Videndum persaepe est non modo, quam uere, sed etiam quam commode cogitata animi exprimas.

§ 152.

Ex his, quae de rerum nexu et fato diximus, euidens est:

I. Fatum Mahumedanum nexui rerum plane esse aduersum.

Haec enim huius fati uis est, ut effecta sequantur, siue caussae idoneae praecesserint, siue minus (§ 147). Nexus autem postulat, ut ex sua quodque caussa nascatur (§ 144).

II. Fa-

II. Fatum Stoicum itidem, ubi rerum connexio locum habet, esse non potest, neque, quod uocant, fatum astrologicum dominabitur, quamdiu caussarum effectorumque colligatione omnia ita cohaerent, ut, cur unumquodque sit, cur sit ita, nec aliter, ex antecedenti statu ratio idonea reddi possit.

III. Quamuis omnes euentus, ex suis caussis orti, sint hypothetice necessarii, sunt tamen contingentes, nexusque, quo effecta cum caussis suis deuinciuntur, est eiusmodi, ut possit immutari.

Necessitas hypothetica non tollit contingentiam (§ 56 pos. II), neque adeo ea, quae in mundo, naturali colligatione, conserte contexteque fiunt, tam sunt necessaria, ut nihil in iis possit mutari. Quid repugnantiae habet, praesentem quam uidemus, rerum, diuinitus conditarum, connexionem aliam esse, ac nunc est? Quid impedit, quo minus sit alius siderum cursus, aliae progressiones, institiones aliae, alia ratio solis, alia tempestatum series ac uicissitudo, alia natura, habitus, ornatusque totius caeli terraeque coagmentationis? Quid repugnantiae habet, quasdam res abesse, uersa uidere omnia, et, ut paucis dicam, alium plane, et ab hoc, qui nunc existit, prorsus diuersum, mutatis his sublatisque motus legibus, mundum condi?

IV. Perspicuum ergo est, praeter hunc mundum, alios quoque, forte innumerabiles, fieri potuisse.

CAP.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0248
DFG

CAP. III.
De Corporibus.

§ 153.

Ex uariis entibus compositis, tanquam partibus, componitur *mundus*, quae entia composita uocari solent *corpora*.

§ 154.

Plura requiruntur ad notionem *corporis* constituendam, quam ad entis compositi ideam.

§ 155.

In omni scilicet corpore attendendum est, α) ad *modum compositionis* siue *structuram*, β) ad *uim actiuam* siue *motricem*, γ) ad uim *inertiae*.

Sunt enim in corpore permulta, quae, non uideo, quomodo intelligi queant et explicari, si solam admittas *extensionem*.

§ 156.

Experientia nos docet, corpora, sensibus exposita, esse eiusmodi, ut non quaelibet uis ipsis mouendis sufficiat.

Impar enim est infans mouendo lapidi magnae molis.

§ 157.

Ex quo conficitur, in quouis corpore, dum motui resistit, nec uiribus nostris cedit, adesse quid debere, per quod corpus motui resistat.

§ 158.

Atque id ipsum, quo corpus motui resistit, dicitur *uis inertiae*.

§ 159.

§ 159.

Neque uero haec uis inertiae a corporis extensione dependet, aut ex ea sequitur.

Plagula chartacea est maioris extensionis, quam massa plumbea unius libræ. At illa facilius ab infante potest moueri, minusque adeo resistit, quam plagula chartacea.

§ 160.

Extensum, quod ui inertiae praeditum est, constituit *materiam* corporis, quam, intelligis, id esse, per quod unumquodque corpus motui resistit. Haec *de ui inertiae.*

§ 161.

Experientia nos docet, quodlibet corpus esse eiusmodi, ut mutationem possit in altero corpore producere, adeoque in alterum *agere.* *E. quodlibet corpus est ui agendi praeditum.*

§ 162.

Haec uis agendi dicitur uis *motrix*, siue actiua, eaque continetur corporis *natura*, quippe quam dicimus cuiusque rei uim actiuam.

§ 163.

His in unum collectis, ita nunc definimus *corpus*, est ens, ex materia compositum, et ui motrici praeditum.

CAP. IV.

De Legibus motus.

§ 164.

Quae cuique corpori uis motrix inesse dicitur, ea, in agendo, legibus quibusdam dirigitur attem-

attemperaturque. Quibus quia quodlibet corpus in motu conflictuque determinatur, dicere eas solemus *leges motus*.

§ 165.

Praecipuas harum sequentibus complectemur positionibus.

I. Nullum corpus, quod quiescit, se ipsum potest mouere.

Quandoquidem omne corpus propter uim inertiae motui resistit (§ 160), intelligitur, omne corpus ad motum deprehendi ineptum, siue se non posse mouere.

II. Tamdiu ergo corpus quodlibet quiescit, donec ab altero corpore ex quietis statu ad motum perducatur.

III. Si corpus fuerit reuera in motu constitutum, tum tamdiu motum continuabit, donec impedimentum aliquod ex parte contraria accesserit.

IV. Actiones et reactiones corporum sunt aequales.

Quis enim nescit, pilam, in terram et lapidem duriorem proiectam, resilire, idque tanto maiori impetu, quanto fortiori maioriue ui in tellurem deiicitur.

Ceterum obserues, has, quas in mundo sanxit Deus, mouendi leges non esse tam necessarias, ut immutari nequeant. Potest eas Deus tollere, potest alias figere.

CAP. V.
De Corporum elementis.

§ 166.

Prima corporum stamina, ex quibus componuntur, dicuntur *corporum elementa*.

§ 167.

De corporum elementis haec habeto:

I. Corporum elementa siue prima stamina non possunt esse entia composita, sed debent esse entia simplicia.

Si enim essent entia composita, in partes possent adhuc resolui. Atque adeo nondum essent prima stamina. conf. § 107 obseruatio.

II. Haec entia simplicia, ex quibus, tanquam ex primis staminibus omnia entia composita constant, dicuntur a LEIBNITIO *monades*, et a WOLFFIO Einheiten.

Vox *monas* offendit nonnullos. Sed nihil habet, quo possis offendi. Latine reddideris *Vnitatem*, in qua omnis numerus, quantuscunque ille sit, subsistit et terminatur. Quemadmodum scilicet omnis numerus ex unitatibus, tanquam partibus suis ultimis, consistit, ita corpora quoque tandem resolui debere in prima et ultima sua elementa, putat LEIBNITIVS, qui omnia entia simplicia *monades* uocat.

III. Quicquid ergo de entibus simplicibus in genere diximus (§ 106 sqq.), id omne quoque de corporum elementis uel affirmari, uel negari posse patet.

CAP. VI.

De Naturali et Supernaturali, siue Miraculo.

§ 168.

Quandoquidem *natura* nihil est aliud, quam rei cuiusque uis interna, unde, tanquam a fonte, actio-

actiones profluunt (§ 162), intelligi potest, *naturale* id omne dici posse, quod ex alicuius rei ui et essentia potest intelligi et explicari. Id ergo est *corpori naturale*, quod est eiusmodi, ut ex corporis structura et ui possit intelligi et explicari. *Spiritui* uero *naturale* id uocamus, quod ex spiritus ui et essentia potest concipi.

E. gr. Stomacho naturale hoc est, ut cibos concoquat. Ex eius enim structura et ui explicari potest, quomodo fieri queat, ut concoctio perficiatur.

§ 169.

Id igitur omne, cuius ratio in essentia et natura entis non continetur, siue, quod ex ui et structura corporum, aut ex ui et essentia spiritus non potest intelligi, dicitur *supernaturale*.

E. gr. Supernaturale quid erat, cum ignis tres illos uiros, in fornacem candentem coniectos, minus laederet, minusque consumeret. Is enim euentus ex ui et natura ignis non poterat concipi et explicari.

Quod uero *supra* naturam est, id caue, confundas cum eo, quod est *contra naturam*. Euentus *contra naturam* contingere dicitur, quando uis infertur rerum ordini, et effectus quidam sequitur legibus naturae aduersus, e. gr. quando magna moles aquae aut fluuius, ui et pondere suo deorsum pressus, ob uim externam accedentem, sursum et in montis fastigium propellitur.

§ 170.

Omnis euentus supernaturalis dicitur *miraculum*. Vt adeo intelligas, recte *miraculum* definiri per eiusmodi euentum, qui neque ex essentia, neque ex ui creaturarum aut ordine mundi, secundum statum antecedentem, potest explicari.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0253
DFG

§ 171.

Vt, quae de miraculis, recentiori maxime aetate, ultro citroque disputata sunt, rectius teneamus, doctrinae huius capita his complectar positionibus.

I. Miraculum cum eo, quod est *mirabile*, non est confundendum.

Sunt enim multa, quae in hoc uniuerso recte dixeris *mirabilia*, propterea, quod uel raro eueniunt, uel eorum caussae nos latent, mentemque adeo stupore defixam detinent, quae uero non sunt miracula, quamuis PLINIVS ea quoque uocet *miracula*, quae sunt mirabilia. L. 9 ep. 33.

Huc referas prodigia illa innumera, quae LIVIVS passim nobis commemorat. Huc pertinent ea, quae PLINIVS de *delphino ludente* lib. 9 ep. 33, de *insulis natantibus* lib. 8 ep. 20 iucunde refert. De mirabilibus ita PLINIVS: *Sunt maxime mirabilia, quae maxime insperata, maxime periculosa, utque Graeci magis exprimunt,* παραβόλα, lib. 9 ep. 26.

II. Quandoquidem pauciſſimi uires naturae plene perſpectas habent, neque cauſſas latentes ita poſſunt exquirere, ut, quantum earum quaeque adferat adiumenti ad effecta producenda, definire ſemper queant, fit, ut ſaepiſſime pro miraculo quid habeatur, quod inter euentus naturales referendum eſt.

Difficilius ergo eſt, quam quisquam crediderit, in caſu indiuiduo miraculum ab euentu naturali internoſcere.

III. Quamuis philoſophia, rationis fulta adminiculis, non definiat, num unquam miracula

racula facta sint, ea tamen fieri in hoc universo posse, ratione duce, nouimus.

Scimus enim, totum rerum nexum esse eiusmodi, ut possit immutari, et omnes leges motus, ob contingentiam posse suspendi (§ 165).

IV. Si miraculum producitur, produci debet ab ente aliquo, quod est a mundo plane diuersum.

Miraculi enim ratio sufficiens non continetur in creaturarum ui et essentia, neque ex nexu rerum huius uniuersi potest explicari (§ 170). Ergo, quoties miracula producuntur, toties producantur necesse est ab ente aliquo, quod a mundo plane diuersum est.

Hoc ipsum ens, a mundo diuersum, est *Deus*. *Miraculum* ergo recte definitur a nonnullis per effectum Dei immediatum.

V. Omne miraculum, cum fit, fit per saltum.

Si enim miraculum in mundo contingit, tum, cur contingat, ratio non potest reddi ex connexione causarum antecedentium, sed Deus, nulla causa naturali interueniente, illud producit. Vides ergo, miraculum, si ad connexionem causarum antecedentium attenderis, fieri per saltum (§ 146).

Non *saltum absolutum* hic intelligimus: Sic enim miraculum sine omni ratione sufficienti fieret (§ 146), quod fieri non potest (§ 15); sed saltum respectiuum, in quo non ea semper debent praecedere, ex quibus ratio reddi potest consequentium (§ 146). Ita e. gr. linguarum peritiam per miraculum acquirebant Apostoli, et per saltum euadebant multarum linguarum peregrinarum periti. Non enim, quae ad intelligendas linguas requiruntur alias, uocabula, declinationes et coniugationes sibi reddiderant familiares, sed in momento et callebant linguas et loqui poterant.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0255
DFG

VI. Si a DEO miraculum patratur, tum eiusmodi effectus debet praestari, qui, sine miraculo, sola naturali causarum connexione, non fuisset secuturus.

Aut enim miraculum uel nullus effectus, uel qui sine miraculo naturaliter secuturus fuisset, consequitur. Vtrumque esset principio rationis sufficientis contrarium (§ 15).

Cum Christus Lazarum per miraculum ex morte in uitam reuocaret, euentus sequebantur, qui sine hoc miraculo patrato nunquam naturaliter fuissent insecuti. Naturaliter Lazarus computruisset, ac a uermibus corrosus in puluerem rediisset. Sed quam longe ab his diuersi erant effectus, qui, miraculo patrato, sequebantur. Colligi hinc potest, quid uelint sibi nonnulli, cum dicunt: *Per miraculum ordo naturae turbatur.* Item: *Per miraculum confusio in nexum rerum inducitur. Ordinem* supra § 58 diximus esse nihil aliud, quam similitudinem in modo, quo res sibi uel coexistunt, uel se inuicem excipiunt. Quamdiu ergo mutationes in corporibus et in mundo ita eueniunt, ut altera ex altera, regulis motus conuenienter, fluat, et tertia sequatur ex secunda, secunda ex prima, tamdiu in mundo et corporibus deprehenditur *ordo naturae.* Simulac uero subsequentes mutationes uniuersi non ex antecedentibus proueniunt, et euentus, regulis motus minus conuenienter, contingunt, tum ordinem naturae turbari, affirmamus. Cum ergo miraculosi euentus eiusmodi sint, ut ex antecedentibus non fluant, nec regulis motus sint conformes, quid obstat, quo minus affirmemus, per miraculum turbari ordinem naturae. Rem exemplo illustrabimus. Leges ordinis naturalis exigebant, ut Lazarus, mortuus iam et contumulatus, putresceret, a uermibusque corrosus, in puluerem redigeretur. Quid uero euenit, cum per miraculum ex morte excitaretur? Nonne hic ordo naturalis turbabatur? Negas? Ergo Lazarus, miraculo facto, computruit, a uermibus fuit corrosus, perinde,

perinde, ac si miraculum factum non fuisset. Quod uero, quotusquisque est, qui affirmare ausit? Quae cum ita sint, euidenter intelligis, culpandine, an excusandi sint illi, qui, per miraculum confusionem in rerum nexum introduci, contendunt.

§ 172.

Omnia haec, quae de miraculis hactenus disputauimus, luculenter demonstrant, quid de miraculis restitutionis, siue ἀποκαταστάσεως, quae uocant, sit existimandum.

LEIBNITIVS mentionem facit horum miraculorum in Theodicaea § 243, WOLFFIVS quaedam in Metaphys. germ. § 639 de iis adfert, quae breuiter explicabimus.

α) Putat WOLFFIVS, per miraculum turbari nexum et ordinem naturalem. Cuius propositionis quae uis sit, modo explicauimus.

β) Ex quo colligit, alios omnino euentus, facto miraculo, contingere, quam secuti fuissent, si miraculum non fuisset patratum.

γ) Disquirit, quid facto opus sit, si per miraculum DEVS finem suum consecutus fuerit, et ipse uelit, res in eum statum restitui, in quem uenturae fuissent sine miraculo.

δ) In quo casu, (quem tamen dari, aut exstitisse unquam, non affirmat WOLFFIVS) putat, per nouum miraculum nexum naturalem, qui sine priori miraculo fuisset, restitui debere.

ε) Atque hoc nouum miraculum, per quod res in eum statum, in quem uenturae fuissent sine miraculo, uocat *miraculum restitutionis.*

Haec paucis illustrabimus. Per miraculum DEVS Apostolis linguarum donum infuderat. Quo miraculo facto, multa contingebant, quae sine hoc miraculo non euenissent. Apostoli ebraice, syriace, graece,

ce, latine docti, uarias docebant gentes, innumeris hominibus uiam salutis aperiebant, et posteritati laudandi DEVM occasionem suppeditabant. Alia omnia insecuta fuissent, si miraculosa linguarum infusio ipsis non contigisset. Fac ergo, DEVM per hoc miraculum, finem suum obtinuisse. Fac, DEVM uoluisse, res omnes in eum statum, in quem uenturae fuissent sine hoc miraculo, in momento restitui. Quaeritur hic, qua id fieri potuerit ratione? Respondet WOLFFIVS: nouo opus fuisset miraculo, per quod res in nexum naturalem, qui sine miraculosa linguarum infusione secuturus fuisset, debuissent restitui. Num id recte et uere, ipse iudica, nihil impedio.

CAP. VII.
De Mundi perfectione.

§ 173.

Quae supra § 65 de perfectionis natura et regulis attulimus, facile nobis uiam munient ad iudicium ferendum de mundi perfectione.

Neque uero hic excutere animus est, num hic mundus sit perfectus, sed definiemus, quid requiratur, si mundo tribui debeat perfectio, et qua ratione gradus perfectionis rite aestimari queant. Ita enim ea rectius intelligentur, quae de perfectione huius mundi in Theologia naturali disputabimus.

§ 174.

Si ea, quae de perfectione supra excussimus, consideraueris, intelliges has positiones:

I. Vniuerso siue mundo tum demum tribui potest perfectio, si singula et simultanea et successiua, in eo obuia, ita inter se consentiant,

sentiant, ut finis aliquis et commune bonum obtineatur.

In theologia naturali manifestum fiet, finem, ad quem omnia in hoc uniuerso referri debent, esse gloriam DEI, et manifestationem maiestatis Numinis diuini.

II. Quandoquidem nemo mortalium est, qui omnia corpora, omnesque euentus plene perspectas habeat, quique complicatam et admirabilem istam omnium rerum connexionem ita exploratam habeat, et ita teneat, ut possit determinare, num omnia, maxima, minima, cum fine, quem DEVS in condendo administrandoque mundo intendit, consentiant, intelligitur, perfectionem mundi a posteriori siue per experientiam cognosci et determinari non posse.

Falso ergo iudicant de mundi imperfectione, qui ex imperfectionibus quibusdam partialibus mundi colligunt, totum mundum esse imperfectum. Recte et perscienter PLINIVS: *Si auulsum statuae caput, aut membrum aliquod inspiceres, non tu quidem ex illo posses statuae congruentiam aequalitatemque deprehendere*, Lib. II ep. 5.

III. Quo plura in uniuerso occurrunt, quae ad finem, ob quem mundus conditus est, referuntur, quo exactius item plura illa, quae in hoc uniuerso reperiuntur, cum fine consentiunt, *eo maior est uniuersi perfectio.*

IV. Quemadmodum fieri potest, et fit saepenumero, ut, quae est in rei partibus imperfectio, multum faciat ad perfectionem totius (§ 71 pos. IV): ita negari non potest, saepius ea, quae, seorsum et extra nexum, imperfectiones in mundo uocari merentur, ad mundi totius perfectionem et pulchritudinem efficiendam concurrere, si in nexu eadem consideraueris.

Non inepte huc transferas ea, quae PLINIVS de diuersis dicendi speciebus, quae in una eademque oratione, ad oblectandum auditoris animum, identidem adhibeantur, perelegantер disputat. *Sicut ueremur*, inquit, *ne quibusdam pars aliqua, secundum suam cuiusque naturam* (i. e. extra nexum) *non probetur: ita uidemur posse confidere, ut uniuersitatem omnibus uarietas ipsa commendet. Nam et in ratione conuiuiorum, quamuis a plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen coenam laudare omnes solemus: nec ea, quae stomachus noster recusat, adimunt gratiam illis, quibus capitur.* L. II, 5.

FINIS COSMOLOGIAE.

METAPHYSICES
PARS III
Pneumatologia, Psychologiam et Theologiam naturalem complexa.

CAP. I.
De Spiritu in genere.

§ 175.

Per *spiritum*, generatim sumtum, nihil aliud intelligimus, quam substantiam simplicem siue immaterialem intellectu et uoluntate praeditam.

§ 176.

De spiritu haec teneto:

I. Omnia ea, quae supra de entibus simplicibus diximus, ad spiritus quoque naturam et notas intelligendas pertinent.

II. Ad spiritum non modo requiritur, ut sit ens simplex, sed quoque, ut sit intellectu et uoluntate praeditus.

Complures ens simplex et spiritum unum idemque esse, existimant. Ex quo natus est error, quum ex spiritibus constare entia composita, putant, si ea dicuntur a Leibnitianis ex entibus simplicibus constare.

Latius patet significatus entis simplicis, quam spiritus. Omnis spiritus est ens simplex, non omne ens simplex est spiritus.

III. Eo

III. Eo perfectior est unusquisque spiritus, quo perfectiori gaudet intellectu, et is est *spiritus perfectissimus*, qui praeditus est intellectu perfectissimo et uoluntate gaudet.

Intellectus est facultas res sibi distincte repraesentandi. Quid autem sit id, quod constituat distinctam repraesentationem, explicauimus in Log. § 35.

Voluntas est facultas bonum appetendi et malum auersandi. Quas definitiones infra uberius enodabimus.

IV. Quaecunque substantia est tantum facultate res clare aut obscure repraesentandi instructa, ea non est in numerum spirituum referenda.

Animae ergo brutorum, quamuis entia simplicia sint, inter spiritus tamen referri non debent, propterea, quod facultate res distincte repraesentandi prorsus destituuntur, id quod infra a nobis demonstrabitur.

Omnes spiritus dispescuntur in *finitos* et *infinitos*. Ad illos referunt *animas humanas*, de quibus in *psychologia*. Spiritus infinitus est *DEVS*, de quo exponit *Theologia naturalis*. Finitis spiritibus annumerantur quoque *angeli*, de quibus uero rectius commentantur Theologi, quam philosophi.

CAP. II.

De Anima humana.

§ 177.

Doctrina, quae de anima exponit, dicitur *psychologia*.

Quandoquidem omnia ea, quae de anima nobis innotescunt, uel ope experientiae, uel rationis adminiculo cognoscimus, factum est, ut recentiores diuiserint psycho-

psychologiam in *empiricam* et *rationalem*. In illa ea traduntur, quae experientia sensusque internus nos docet de anima, in hac ea demonstrantur, quae, apto ratiociniorum nexu, ex experientia deducuntur. Nos experientiam rationemque, quae suauissimo connubio copulantur, ita coniungemus, ut alteri altera subseruiat.

§ 178.

Animi, quem Deus in corpore nostro conclusit, naturam et proprietates si recte intelligere volueris, opus est, ut ante nonnullas notiones distincte euoluas, ad mentis humanae definitionem recte capiendam perutiles.

§ 179.

Suus quemque sensus condocet, nos posse nosmet ab aliis rebus, quae extra nos sunt, distinguere. Res quoque, quae extra nos positae sunt, a se inuicem internoscere possumus.

Potes e. gr. te a mensa, cui incumbis, distinguere. Potes sellam a mensa, mensam a libris adiacentibus secernere.

§ 180.

Tum dicimur nos *nostrum* nobis esse *conscii*, cum nos ab aliis rebus, quae extra nos positae sunt, discernimus, et, si eas res, quae extra nos sunt, ab aliis rebus distinguimus, tum illarum rerum, quas a se inuicem internoscimus, *nos* nobis sumus *conscii*.

§ 181.

Illud ipsum ens, quod in nobis sui, rerumque, extra se positarum, sibi est conscium, siue quod se ab aliis rebus, et res a se inuicem distinguit, dicitur *anima*.

Vox

Vox *animae* apud ueteres scriptores significat plerumque nihil aliud, quam uitam ipsam, eamque ab animo distingui uidemus, secundum illud LVCRETII:

Nunc ANIMVM atque ANIMAM dico coniuncta teneri
Inter se, atque unam naturam conficere ex se,
Sed caput esse quasi, et dominari in corpore toto
Consilium, quod nos ANIMVM MENTEMque uocamus. L. III, 137 edit. HAVERCAMP.

Et rursus:

Primum ANIMVM dico (MENTEM quem saepe uocamus)
In quo consilium uitae regimenque locatum est,
Esse hominis partem.

Vides, eam hominis partem, quam nunc philosophi *animam* uocant, quaque sapimus et intelligimus, a ueteribus dici animum seu mentem, quamuis sint, qui ex illo TERENTIANO:

Mala mens malus animus, Andr. p. 41 Edit. WESTERHOV.

probare uolunt, mentem ab animo prorsus esse diuersam. *Mentem* pro tota indole, *animum* pro consiliis et uoluntate sumunt.

§ 182.

Cum ergo experientia cumulate testetur, nos nostrum rerumque extra nos positarum esse nobis conscios, intelligitur, ipsam quoque comprobare animae existentiam, quae ex conscientia sui rerumque extra nos positarum nobis innotescit.

Veteres *animam* distinguebant in *rationalem*, *sensitiuam* et *uegetatiuam*; at ita succum uigoremque, quo uita continetur, corpusque mouetur, cum eo spiritu, qui in corpore hospitatur, sentit, intelligit, et sapit, confundebant.

CAP.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0264
DFG

CAP. III.

De Facultate cognoscendi, eiusque parte ignobiliori, seu, quam uocant, inferiori.

§ 183.

Actio illa, qua anima res sibi repraesentat, et percipit, dicitur *cognitio*, et potentia illa res sibi repraesentandi appellatur *facultas cognoscendi*.

Omnes animae facultates uiresque a ueteribus, nouimus, diuisas fuisse in *intellectum* et *uoluntatem*. CICERO, *duplex est*, inquit, *uis animorum: una pars in appetitu posita, altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumue sit: ita fit, ut ratio praesit, appetitus uero obtemperet.* Off. I.

Cum uero *intellectus* uox non tam late pateat, quam facultas cognoscendi, plurima enim sunt in anima, quae ad facultatem cognoscendi referri possunt, ad intellectum non possunt; rectius illi facere uidentur, qui eam diuidendi rationem ineunt, ut, omnes animi uires facultate cognoscendi et facultate appetendi contineri, aiant.

Alia obscure et confuse, alia distincte percipimus. Obscure confuseque cognoscendi facultatem anima humana habet cum brutis communem. Quae autem cum brutis menti humanae sunt communes, facultates ad partem ignobiliorem, siue, ut uocant, inferiorem facultatis cognoscendi referimus.

Huc pertinent facultas α) *sentiendi*, β) *imaginandi*, γ) *recordandi et reminiscendi*. Quae cognoscendi facultates homini soli tribui debent, eas ad partem nobiliorem siue superiorem facultatis cognoscendi referimus, e. gr. facultas res distincte intelligendi, ratiocinandi, attendendi, reflectendi, abstrahendi etc.

Nos

Nos ergo facultatem cognoſcendi ignobiliorem, quam cum brutis communem habemus, primo loco explanabimus, annexuri his ea, quae ad nobiliorem cognoſcendi facultatem, ſolique homini propriam, ſpectant.

CAP. IV.

De Facultate ſentiendi.

§ 184.

Habemus id cum brutis commune, ut res, corpori noſtro praeſentes, nobis repraeſentemus. Quod cum fit, eas dicimur *ſentire*. Ipſae autem illae repraeſentationes ſiue perceptiones rerum, corpori noſtro praeſentium, dicuntur *ſenſationes* ſiue *ſenſiones*.

E. gr. Cum uides hortum, uariis conſitum arboribus, florumque ueſtitum uarietate, tum percipis res, corpori tuo praeſentes, i. e. *ſentis*. Hoc ſignificatu occurrit uerbum *ſentire* in his TERENTII:

- - PAR. *Hem! quid hoc eſt?* PAM. *Tace*
Trepidari SENTIO, *et curſari rurſum prorſum.*
PAR. *Agedum ad fores*
Accede propius. Hem SENSISTI'n? PA. *noli fabularier.*
Proh! Iuppiter! clamorem AVDIO. Hec. III, 1, 37.

Corpori autem *noſtro* id dicitur *praeſens*, quod in organis ſenſoriis mutationem producit. Sunt autem quinque organa ſenſoria. α) *Oculus*, inſtrumentum uiſus, β) *aures*, organa auditus, γ) *nares*, olfactus officinae, δ) *lingua* cum *papillis ſuis*, inſtrumentum guſtus, ε) fibrillae denique neruеae, per totum corpus diſperſae, quibus tactus ſentitur.

§ 185.

De ſenſionibus haec habeto.

I. Nec

I. Nec ſolum corpus, nec ſola anima ſentit, ſed alio perfungitur munere corpus, alio anima, eodem tamen tempore, et iunctis quaſi uiribus.

Corpus in ſentiendo mutationes, a rebus externis in organis eius ſenſoriis productas, patitur et recipit. Anima uero mutationes, in organis ſenſoriis factas, repraeſentat. E. gr. Cum fragorem explosi tormenti auribus percipis, tum id ita fit, ut motus aëris tremulus, qui uehementiori corporum agitatione aut conflictu efficitur, ad flexuoſos et labyrintheos aurium meatus deferatur, continuetur, atque ibi reconditum auditus organum percellat. Haec ad *corpus*. Quod cum contingit, eodem temporis momento *anima* ſibi mutationes, in aurium tortuoſis anfractibus factas, repraeſentat.

II. Senſationum alteram altera ſaepius clariorem et fortiorem, alteram debiliorem et obſcuriorem eſſe, docet experientia.

Prout ſcilicet res, quae ſenſus feriunt uel longius a corpore noſtro ſunt remotae, uel eidem propiores ſunt; ita ſenſiones uel clariores, uel obſcuriores debilioresque fiunt. Exemplum uide in PLIN. ep. 27 L. VII.

III. Quemadmodum lumen maius obſcurat lumen minus, ita fortior clariorue perceptio ſupprimit ſenſationem debiliorem.

Sonus, e. gr. tympanorum impedit, quo minus uocem amici, mecum loquentis, audiam. Splendor ſolis impedit, quo minus ſtellae luce ſua radient, et die conſpiciantur.

IV. Quando res externae in organa ſenſoria agunt, in iisque mutationem producunt, non eſt in poteſtate animae, utrum ſentire uelimus, nec ne.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0267
DFG

Putasne, esse penes te, utrum audire uelis, nec ne, si fragor, tormento disploso, aures tuas percutit.

At possumus persaepe impedire, quo minus res externae feriant organa sensoria, in iisque mutationes producant. α) Possumus e. gr. oculos claudere, si cadauerosam uetulae faciem uidere nolumus. Potes cum Vlysse aures obturare, si Sirenum cantus non uis audire. β) Possumus quoque sensationem debiliorem fortiori pellere. γ) Possumus animum a rebus externis auocare, eumque in aliis rebus defigere, fere, ut Athenodorus apud PLINIVM, qui ad scribendum animum, oculos, manum intendebat, ne uacua mens audita simulachra et inanes sibi metus fingeret. Deinde ubi concuti ferrum et uincula (spectri) moueri audiebat, ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed OBFIRMARE ANIMVM et AVRIBVS PRAETENDERE. Vid. ep. p. m. 537 edit. CORTII et LONGOLII.

V. Non est penes nos, qualem ipsi sensationem esse uelimus.

Neque enim quisquam est, qui efficere possit, ut acutissimi podagrae dolores eum uoluptatis sensum adferant, qui efficitur suauissimo fidium tibiarumque concentu, aut cibo quodam dulci, et mellitis globulis condimentisque persperso.

§ 186.

His ita constitutis, manifestum est, hac mentem humanam quasi lege in sentiendo adstringi, quam, ex consilio diuino, perpetuo sequatur: *Si obiecta extrinseca in organa sensoria agunt, et in iis mutationes producunt, tum illas mutationes anima non potest non sibi repraesentare.*

Ceterum notes, sensus quasi esse fenestras et portas animae, per quas species, a rebus externis ductae, illabuntur in animam, unde deinde omnis cognitio ortum

tum ducit. Recte ergo CICERO, *natura*, inquit, *homini sensus, tanquam satellites attribuit et nuntios.* I de Leg.

CAP. V.
De Facultate imaginandi.

§ 187.

Non ea modo, quae praesentia sunt, et ante pedes, mens nostra, sensionum ope, percipit, sed illarum quoque rerum, quas dudum sensibus usurpauimus, perceptionem ita possumus instaurare, ut earum imago menti oculisque oberret, formaeque rerum absentium in animo excitentur, et quasi, motu reddito et spiritu, reuiuiscant.

Eleganter VIRGILIVS de Didone, quae Aeneam, licet absens erat, menti, tanquam praesentem, sistebat:

Illum absens absentem auditque uidetque, p. m. 405 ed. RVAEI.

PLINIVS ita de spectro, quod multo ante apparuerat: *Interdiu quoque, quamquam abscesserat imago, memoria tamen imaginis oculis inerrabat.* L. II ep. 27. Conf. ea, quae adfert erudite WESTERHOVIVS ad TERENT. p. m. 259.

§ 188.

Facultas, res absentes, tanquam praesentes, denuo sibi repraesentandi, et perceptiones pristinas instaurandi, dicitur *phantasia* siue *imaginatio.* Res autem, quae ab imaginatione denuo producuntur, et quasi praesentes fiunt, dicuntur *phantasmata.*

Vocem *phantasma* erudite explicatam inuenies in notis, quas CVRTIVS et LONGOLIVS ad PLINIVM operose magnoque eruditionis apparatu congessere,

p. m. 534. Addatur LVCRETIVS Lib. IV. Praeclare AVGVSTINVS de Trinitat. 8, 6. *Alexandriam cum eloqui uolo, quam nunquam uidi, praesto est apud me PHANTASMA eius.* Cum enim a multis audissem et credidissem, magnam illam esse urbem, sicut mihi narrari potuit, finxi animo meo imaginem eius, quam potui.

§ 189.

De imaginatione has constituemus positiones:

I. Nihil nobis possumus imaginari, nisi quod antea sensibus percepimus.

Phantasiae enim siue imaginationis ope species et imagines rerum iam olim perceptarum, menti repraesentamus (§ 188). Atque adeo uides, quid sit, quod nonnulli phantasiam dicant *sensationem continuatam.*

At, AVGVSTINVS, inquis, Alexandriam, quam nunquam uidit, cogitatione depinxit, eiusque magnificentiam et amplitudinem animo exstruxit. Non uidit, fateor, sed audiuit tamen a multis, magnam esse urbem.

II. Quo clarius distinctiusque rem quampiam olim sensimus, hoc facilius eius imago in animum incurrit; hoc autem difficilius rem quamque nobis imaginamur, quo eam obscurius confusiusque quondam percepimus.

In qua urbe diutius commoratus es, eius uel magnitudinem, uel aedificiorum descriptionem, uel situm, facilius absens animo concipies, quam illius imaginem speciemque animo comprehendere et proponere ante oculos poteris, quam, tanquam in transitu, cum in itinere festinares, primo crepusculo aut nocte, aspexisti.

III. Quo recentior est sensatio, eo uiuidior et fortior est imaginatio.

Haec

Haec positio confirmatur experientia. Cum heri uel nudius tertius musicam in aula regia audiuisti, tum, quia noua est sensio tua, et quasi de musto et lacu feruida, magnam uim habet phantasia, mirificeque uiget. *Hinc recens animi dolor* (ob uim phantasiae) *consolationes reiicis ac refugit, quemadmodum crudum adhuc uulnus medentium manus reformidat.* PLIN. ep. 16 L. V. Hinc est, ut omnes animi commotiones recentes sint uehementiores. Audi seruum TERENTIANVM, ira percitum.

Nihil est, inquit, *quod malim, quam illam totam familiam mihi dari obuiam,*

Vt ego iram hanc in eos euomam omnem, dum aegritudo haec est RECENS. Adelph. III, 2, 13.

Si uero rem, ante multum tempus, sensisti, tum, propter uetustatem, rerum perceptarum imagines exolescunt, quae, situ quasi oblitteratae, ita obscure menti obuersantur, ut solent res, quae magno ex interuallo uix cernuntur. Ex quo intelligi potest, uerum esse, quod affirmat, quem modo adduxi, TERENTIVS,

- - *Diem adimere aegritudinem hominibus,*

Heaut. Act. III Sc. 1 v. 12. Conf. CICERO Ep. famil. IV, 5. Att. III, 15.

IV. Quo crebrius repetitur eadem sensatio, hoc maiores uires acquirit imaginatio.

Quod eorum exemplo patet, qui, uel Veneri gulaeque, uel ludis dediti, ita saepenumero harum rerum illecebris inescantur, ut, impotentes sui, et inconsulto mentis impetu, tanquam turbine, abrepti, in praecipitia quaeque ferantur. Vnde hoc? Hi scilicet cum uini aut Veneris dulcedinem iterum iterumque persensere, fit, ut imaginatio, sensuum illecebris irretita, et quoddam quasi pabulum nacta, tantam in mentem exerceat uim, quantae, post aliquod tempus, uix potest resisti.

V. Multo fortius operatur imaginatio sola, cum sensus externi quiescunt, quam cum uel sensu uisus uel auditus uel aliis turbatur.

Experientia testatur, species, quae per somnia nobis offeruntur, multo uehementius mentem percellere, quam, quae, cum uigilamus, in animum illabuntur. In somniis enim ceteri sensus externi quiescunt, imaginatio sola operatur. Intelligis ergo, α) quid sit, quod ii, qui uiuide res absentes sibi repraesentare cupiunt, oculos claudant. β) Vides, cur phantasia in silentio et tenebris fortius operetur. Eleganter, ut omnia, PLINIVS. *Vndique siluae et solitudo, ipsumque illud silentium, quod uenationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt.* L. I ep. 7. γ) Manifestum denique hinc fit, cur, qui litteras amant, in secessum se abdant, turbasque defugiant, ut PLINIVS, qui, quam inierit in Tuscis studendi rationem, descripturus, haec adfert. *Clausae fenestrae manent, MIRE ENIM SILENTIO ET TENEBRIS ANIMVS ALITVR.* p. 699 ed. CORTII.

VI. Habet hoc imaginatio, ut, si duas pluresue sensiones simul quondam habuimus, et earum una recurrit, alteram quoque, quae olim cum priori simul exstitit, renouet et producat, quod fieri quoque solet tum, cum similitudo adest perceptionum praesentium et praeteritarum.

Hanc idearum combinationem, ex similitudine perceptionum oriundam, uocare solent philosophi *associationem idearum.*

E. gr. Cum festi dies, Iesu nato sacri, singulis mensibus Decembribus recurrunt, simul animo bellaria et munuscula, quae a parentibus pueri adolescentuliue, hoc tempore, olim accepimus, animo obuersantur. Ratio latet in eo, quod festos hos dies munusculaue simul

mul quondam uidimus. PLINII epistola 10 L. VI apte hanc propositionem illustrat. PLINIVS narrat, se uenisse in socrus suae uillam Alsiensem. Hanc uillam, ait, fuisse olim RVFI VERGINII. *Ipse mihi*, inquit, *locus optimi illius et maximi uiri desiderium non sine dolore renouauit. Hunc enim incolere secessum, atque etiam senectutis suae nidulum uocare consueuerat. Quocunque me contulissem, illum animus, illum oculi requirebant.*

VII. Atque ita intelligis, quid sit id, quod uocant philosophi *legem imaginationis*, quae continetur hac enunciatione: *Perceptio praeterita integra redit, cuius praesens perceptio tantummodo partem in se continet.* Quod exemplum PLINII, modo allatum, confirmat.

Alii ita: *Si, quae simul sensimus, et unius sensatio denuo producitur, imaginatio producit et perceptionem alterius.*

Hanc imaginationis legem identidem sequuntur in agendo et homines et bruta. Nosti, canem aufugere, conspecto baculo. Qui sic? Verbera, olim baculo inflicta, ipsi repraesentantur. Darius rex, hinnitu equi, constituebatur. Cur hinniebat ante regiam? Caussa erat lex imaginationis, quam probe intelligebat equi custos. *Per noctem*, IVSTINVS inquit, *equum, pridie constitutam diem, ad eundem locum ducit, ibique equae admittit, ratus, ex uoluptate ueneris futurum, quod euenit. Postera die itaque, cum ad statutam horam omnes conuenissent, Darii equus, COGNITO LOCO, ex desiderio feminae hinnitum statim edidit.* L. I c. 10.

Ex lege imaginationis cum plurium rerum, tum uehementioris amoris odiique erga alios, quos saepius nunquam uidimus, ratio reddi potest. Cur Dido tenerrime amat Ascanium? Cur gremio complectitur? Patris Aeneae, quem amabat, imago, filii conspectu, reuiuiscebat. Hinc VIRGILIVS

- - *Gremio Ascanium, genitoris imagine capta,*
Detinet. Aeneid. IV, 85.

VIII. Imaginatio quia est continuata sensatio, intelligis, imaginationes non semper esse in potestate nostra.

At si perceptiones sensuum, ex quibus, tanquam ex seminibus, nascuntur phantasiae lusus, potuisti impedire, tum, imaginationem in tua esse potestate, intelligis.

§ 190.

A facultate imaginandi dependet *facultas fingendi.* Cum plura phantasmata animo coniungimus, et inde quiddam, quod non extra nos existit, exstruimus, tum dicimur *fingere.*

Si *alas* et *equum* animo connectimus, tum fingendo inde exsurgit *equus alatus.* Harpyiarum formam hanc effinxit VIRGILIVS:

Virginei uolucrum uultus, foediſſima uentris
Proluuies, uncaeque manus et pallida ſemper
Ora fame. Aeneid. III, 216.

§ 191.

Si ea, quae mente effingimus, eiusmodi sunt, ut ideae non sibi repugnent, neu altera alteram tollat, tum fictio dicitur *possibilis.* Si uero phantasmata combinantur, quae a se discordant, nec una esse possunt, tum *impossibilis* uocatur *fictio*, siue *chimaera.*

Quo referenda fabula apud LIVIVM, de membrorum corporis humani sermone, consilio, et conspiratione aduersus uentrem, quem, in medio quietum, nihil aliud, quam datis uoluptatibus frui, indignabantur, sed exitu infelici. L. II c. 32.

§ 192.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0274
DFG

§ 192.

Ex his, quae de imaginatione et fingendi facultate diximus, intelligi nunc somniorum natura potest. *Somnia* scilicet sunt imaginationis operationes, quae solae in anima existunt, ceteris externis sensibus interim quiescentibus.

Periucundum lectu est somnium SCIPIONIS apud CICERONEM, somnium PLINII, III, 5, somnium CAESARIS apud SVETONIVM in Caes. c. 7.

§ 193.

Haec de somniis hic attulisse iuuabit.

I. Nihil menti in somnio oberrare potest, nisi, quod antea sensibus percepisti.

Est enim somnium imaginatio (§ 192), quae non, nisi res, sensibus perceptas, renouat. Indicat id CICERO sequentibus uerbis: *Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de* HOMERO *scribit* ENNIVS, *de quo uidelicet saepissime uigilans solebat cogitare et loqui), Africanus se ostendit illa forma, quae mihi ex imagine eius, quam ex ipso, erat notior.* Somn. Scip. c. 1.

II. Anima in somnio plura persaepe phantasmata coniungit, et imagines effingit, nunquam illas uisas quidem, at, extra nexum, et in partibus, a nobis ante sensibus perceptas.

III. Anima in somniis ad imaginationis legem operatur.

Quod ipsum experientia testatur. Librum legis, ut hoc utar, cubitum discessurus, de spectris. In somnio ergo tibi imagines formidolosae inerrabunt, atque ita facile ob similitudinem spectri et barbarorum, facie-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0275
DFG

que hirta, et impexis comis terribilium, Pandurarum, a ſpectris imaginatio delabitur ad bellum, a bello ad incendium, ab hoc deinceps ad plures luſus, quas connectit uel ſeparat ob ſimilitudinem phantaſia.

A ſomnio diſtingui uolunt philoſophi *ſomnum* et *uigilias*. Quando anima noſtra in eo uerſatur ſtatu, ut res externae in organis ſentiendi mutationes producant, tum *uigilamus*. *Dormire* contra dicimur, cum anima in eo ſtatu eſt, ut nihil clare ſentiat, et nihil clare imaginetur. Somnium ergo eſt inter ſomnum et uigilias ſtatus medius.

CAP. VI.

De Memoria et Reminiſcentia.

§ 194.

Quemadmodum ſenſio et imaginatio a ſe differunt, ita ab utraque hac facultate diſtinguenda quoque eſt memoria, quae perſaepe cum phantaſia confunditur.

§ 195.

Senſatio res praeſentes percipit (§ 184), phantaſia rerum iam olim perceptarum imaginem inſtaurat et renouat (§ 188), at *memoria* agnoſcit, ideas, quas imaginatio denuo producit, easdem eſſe, quas iam olim habuimus.

Quam differentiam harum facultatum ut luculenter intelligas, eam comprobabo exemplo SCIPIONIS, quem CICERO in ſomnio SCIPIONIS loquentem facit. Hic Africanum, dum uixerat, et eius imaginem uiderat. (*En ſenſationem*)! Qui Africanus poſt, quam obierat diem, eidem per ſomnium ſe oſtendebat. (*En imaginationem*)! Denique, cum illi appareret, agnoſcebat, eundem eſſe Africanum, quem uiuum uiderat.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0276
DFG

uiderat. (*En memoriam*)! *Quem ut AGNOVI*, inquit, *equidem cohorrui.* CIC. Som. Sc. c. 1.

Idem uerbum, AGNOSCERE, adhibet PLINIVS, memoriae uim actionemque indicaturus. *Respicit*, inquit, *uidet, AGNOSCITque narratam sibi effigiem.* L. VII ep. 27.

QVINCTILIANVS memoriae uirtutem his duabus rebus ostendi, putat, ut *facile percipiat*, et *fideliter contineat.* Institut. orator. L. I c. 3. CICERO memoriam uocat *thesaurum rerum omnium, quae, tanquam custos, inuentis cogitatisque rebus, et uerbis adhibeatur.* De Orator. I, 5.

§ 196.

De memoria has enunciationes, quas et experientia firmat, et ratio nos edocet, teneto.

I. Memoria crebriori usu et exercitatione firmatur augeturque, et ea facile retinemus, quae diu multumque considerauimus.

Recte CICERO: *Memoria minuitur, nisi eam exerceas.* De Senect. c. 7. Et QVINCTILIANVS: *Memoria praecipue firmatur et alitur exercitatione.* Institut. orat. L. I c. 1.

Quare PLINIVS de sua studendi ratione haec habet: *Illa, quae dictaui, identidem retractantur, ac simul memoriae frequenti emendatione proficitur.* L. IX ep. 40.

II. Quae distincte percepimus, facilius memoriae imprimuntur, quam quae confuse, et tumultuario studio, didicimus.

III. Ex eo memoriae gradus aestimari solet, cum quis α) *plurima*, β) *cito* et *facile* memoriae mandat, γ) et, quae memoriae commisit, *diu* retinet.

Memoria Themistoclis apud ueteres in admiratione fuit, qui, teste CICERONE, *omnium ciuium nomina perceperat*

perat, et obliuionis, quam memoriae, artem malebat. De Orat. II, 86.

De ſtupenda memoriae ui, cuius plurima dedit documenta SIMONIDES, quem primum ferunt artem memoriae protuliſſe, legatur QVINCTILIANVS Inſtitut. orat. p. m. 985, edit. BVRMANN, et PHAEDRVS Lib. IV fab. 24.

§ 197.

Vt intelligas, quomodo a memoria diſtinguatur reminiſcentia, haec obſerua.

I. Vſu uenit nonnunquam, ut idea, quae ab imaginatione inſtaurari coepit, obſcura ſit, et, uetuſtate temporum, uel aliis ex cauſſis, paene oblitterata.

II. Hanc in claram quin etiam diſtinctam perceptionem perſaepe commutamus, idque

III. Notis quibusdam et ſignis adferendis, quae uel temporis uel loci ratio ſuppeditat.

IV. Quod cum fit, dicimur *reminiſci*. Reminiſcentia itaque eſt nihil aliud, quam facultas mentis noſtrae, perceptionis praeteritas, circumſtantiarum quarundam adminiculo, recognoſcendi et obſcuras ideas commutandi in claras.

In hiſtoria diſcenda qui uerſantur, ſaepius ſibi, ſentiunt, nomina quaedam, quae centies olim in ore habuerunt, ita ex animo effluxiſſe, ut, quantumcunque adhibuerint ſtudii, ea recordari nequeant. At, opinione citius, nomen, cuius idea oblitterata uidebatur, ad animum recurrit, idque, ope uel aliarum uocum, quae ſimilis ſunt pronunciationis, uel plurium, quas hic enar-

enarrare omnes non possumus, circumstantiarum. Tum dicere solemus: Ich besinne mich nun.

§ 198.

Memoriae opponitur *obliuio*, quam dicimus impotentiam animae, ideam, denuo productam recognoscendi, quod eadem sit, quam iam olim habuimus.

CAP. VII.

De Facultate cognoscendi, eiusque parte nobiliori siue superiori, et quidem primo de Facultate attendendi et reflectendi.

§ 199.

Hactenus eas animae facultates expositimus, quas, quia cum brutis communes habemus, ignobiliores siue inferiores uocare solemus. Proximum est, ut de iis mentis humanae uiribus commentemur, quae homini sunt propriae, nec in bruta cadere possunt.

§ 200.

Hic ergo primo loco est excutienda *attentionis* uis et natura. *Attendere* dicimur, si efficimus, ut unius rei magis simus conscii, quam ceterarum, quae simul existunt.

Cum LIVIVM legis, et iis, quae Tarquinius effaeminate crudeliterque fecit, attendis, nonne, mente quasi ab omnibus aliis rebus auocata, et, seclusis peregrinis cogitationibus, in hoc uno defixus haeres, ut integram factorum, scelerum, factorumque Tarquinii seriem continuationemque tibi perspectam reddas, siue, quod

quod idem est, nonne eorum, quae de Tarquinio LIVIVS narrat, magis tibi es conscius, quam ceterarum rerum.

§ 201.

Maior est attentio,

I. Quo *diutius* quis cogitationes ita potest intendere, ita in re quapiam defigere, ut omnes rei partes membratim examinet, et perlustret.

Hic legi potest epistola II SENECAE, qui, attentioni studiorumque incrementis nihil magis officere demonstrat, quam desultoriam nonnullorum leuitatem, qui omnia cursim et properantes transmittunt.

II. Hoc plus admirationis habet attentio, quo pluribus rebus simul immoratur.

IVL. CAESAREM, scimus, eodem tempore et plures epistolas diuersi argumenti, dictasse, et alias ipsum scripsisse, et cum amicis de rebus publicis exercituque disseruisse.

III. Attentionis uis tantum non maxima iudicanda est, cum quis, inter strepitus turbasque, ita animum intentum habet, ut rerum, uehementius sensus percellentium, uix sit sibi conscius.

Hanc attentionis uim admiramur in ARCHIMEDE, de quo LIVIVS ita: *Archimedem, memoriae proditum est, in tanto tumultu, quantum capta urbs* (Syracusae scil.) *in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in puluere descripserat, ab ignaro milite, quis esset, interfectum.* L. XXV c. 31. Alio loco idem LIVIVS de militibus, intento animo praeliantibus, haec adfert: *Tantus fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae, (qui multarum urbium Italiae magnas partes prostrauit, auertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus inuexit, montes*

montes lapſu ingenti proruit) *nemo pugnantium ſenſerit.* L. XXII c. 5.

FRID. MORELLVS, typographus Pariſienſis celeberrimus, teſte COLOMESIO, adeo intentus fuiſſe dicitur LIBANIO ſuo expoliendo, ut ne nuncio quidem de repentino uxoris ſuae obitu, ab eodem ſeſe reuocari ſit paſſus. In Opuſc. p. m. 99.

IV. Inter plurima attentionem augendi adminicula eminet crebrior exercitatio, quae eo referenda eſt omnis, ut animum et cogitationes a rebus externis paullatim auocemus, rebusque, quae a ſenſibus longius diſtant, contemplandis adſuefaciamus.

V. Attentio turbatur et minuitur per ſenſus et imaginationes, quibus res, extra nos poſitae, confuſe repraeſentantur.

Teſtatur id experientia, quae neminem neſcire patitur, omnia ea, quae uel oculos uehementius adficiunt, uel aures percellunt, uel phantaſiam imaginum uarietate oblectant, eſſe eiusmodi, ut attendendi neruos mirum quantum infringant.

§ 202.

Si partes et membra alicuius rei attente perluſtraueris, tum attentio illa per partes continuata, dicitur *reflexio*.

CAP. VIII.

De Intellectu, Ingenio, et Ratione.

§ 203.

Plurimi uoce *intellectus* ſignificari, putant, quamcunque cognoſcendi facultatem. Atque adeo, non

non possunt, quin ipsos sensus imaginationemque uocabulo *intellectus* comprehendant. At usus loquendi postulat, ut uocem hanc paullo arctioribus definiamus cancellis.

§ 204.

Intelligere tum demum rem aliquam dicimur, cum eam *distincte* cognoscimus. *Intellectus* ergo est facultas, res distincte repraesentandi.

Scriptores Romani *intelligentiae*, quam *intellectus* uoce uti lubentius solent. CICERO: *Rationis et intelligentiae animus particeps est.* De Diuinat. c. 32. Ita autem a se differunt. Intelligentia adiutrice, cognoscimus, QVID quaeque res sit, rationis adminiculo, inuestigamus, CVR unumquodque sit uel fiat.

§ 205.

Ex intellectus definitione haec conficiuntur axiomata.

I. Quo *plura* sibi quis potest distincte repraesentare, eo maior est intellectus.

II. Quo *distinctius* res tibi subiicis et proponis, eo perfectior est intellectus.

III. Perfectissimus ergo intellectus ille iudicandus est, qui α) *omnia possibilia*, β) *distinctissime*, γ) *unico actu et simul* repraesentat.

IV. Cum ea, quae ante pedes sunt et existunt, sint eiusmodi, ut confuse tantummodo, non distincte cognosci queant (§ 36), consequens est, ut intellectus in notionibus uniuersalioribus et abstractis eruendis distincteque formandis occupetur.

Vt

Vt uideas CAIVM iratum, ad id, praeter ſenſus, nihil requiritur. At, ut ſcias, quid ſit *ira*, id uero efficit intellectus.

§ 206.

Quandoquidem, experientia teſte, nemo mortalium res, ab omni licet concretione et mole materiae ſeiunctas, ita poteſt ſibi repraeſentare, quin a ſenſibus et phantaſia admiſceatur aliquid, quod ſit corporeum, intelligitur, in hominem, quamdiu in his compagibus corporis eſt incluſus, *intellectum perfecte purum* non cadere.

Intellectus perfecte purus eſt is, ubi res tam diſtincte nobis repraeſentamus, ut nihil liceat ſenſibus aut phantaſiae in mentem, neu cogitationes quicquam habeant admixtum, diſpar ſui, aut ex materia concretum. *Intellectus* uero *impurus* dicitur, cum res diſtincte quidem repraeſentamus, at ita, ut multae rerum corporearum imagines, et confuſae repraeſentationes, quibus ſenſus et phantaſia, inepte ſedula, mentem turbant, admiſceantur. Eadem eſt intellectus puri ratio, quae caeli, liquide ſereni, quod, diſcuſſis nebulis, large, ut cum LVCRETIO loquar, diffuſo lumine ridet. At cum nubes ita condunt lucem, ut, ſi qua ſidera aut ſol nonnunquam interniteant, plenus tamen ſplendor intercipiatur, tum intellectus impurus hac imagine exprimi poſſe uidetur.

§ 207.

Quae ſint intellectus operationes, iam in Logica, dedita opera, cumulatiusque expoſuimus. Notiones ſcilicet, easque diſtinctas, format intellectus, iudicat, et ratiocinatur.

§ 208.

Senſibus cognoſcimus res praeſentes, quae *cognitio* dicitur *intuitiua*. At intellectus in cognoſcen-

dis notionibus uniuerſalioribus, iisque diſtincte formandis, uerſatur, quod, niſi per uerba, fieri non poteſt, quae *cognitio* dicitur *ſymbolica*, quae ab intellectu ſeiungi non poteſt.

Terram arboresque ſenſibus intueris. Cognitio haec eſt intuitiua, neque intelligentiae adiumenta deſiderat. Cogita autem, quid ſit *ſpes*, quid *conſcientia*, quid *amor*, quid *inuidia*, harum abſtractarum notionum nulla diſtincte formari poteſt, niſi uerborum adminiculis, quo ipſo continetur *cognitio ſymbolica*, arctiſſimo uinculo cum intellectu connexa.

§ 209.

Intellectus perficitur, ſi plura diſtincte cognoſcit, atque adeo ſi partes rei peruidet, notasque, quibus altera res ab altera internoſcitur, diſtinguit. Quod cum ſit, menti noſtrae tribuimus *acumen* (Scharfſinnigkeit) quod eſt facultas, plura in una re diſtinguendi.

Si quis, ut hoc utar, praecepta de conſcientia ita pertractat, ut omnia, quae in notione conſcientiae occurrunt, enodet, omnesque conſcientiae formas et genera in nouas quaſi partes et membra ſecet, ita, ut nihil ſit, quod non attente, uel in minimis quoque, perluſtret, tum acute hanc doctrinam explanaſſe dicitur.

§ 210.

Hactenus de intellectu. *Ingenii* quae ſint proprietates, nunc diſpiciemus. *Ingenium* (Witz) dicitur facultas rerum ſimilitudines obſeruandi.

Voce *ingenii* plerumque omnes mentis humanae uires et facultates indicantur, ita, ut ambitu ſuo complectatur cum memoriam, tum phantaſiam, iudicium, intellectum et rationem. At uſus loquendi arctiores conſtituit cancellos, quibus uox ingenii includi debet. Ipſi ueteres ſcriptores ingenium a memoria, iudicio-

que

que discerni uolunt. PLINIVS, *utrique*, inquit, *erat tenax memoria, magnum INGENIVM, aequale iudicium.* L. V, 11.

Vt intelligas, recte nos ingenii naturam in perspicientia rerum similitudinis posuisse, ex ueterum scriptorum monumentis sententias producam, quas recte ideo ingeniosas dixeris, quia res plures inter se comparant, et rerum similitudines eruunt. Nonne haec TERENTIANA ab ingenii fonte profluxere? *Ita uita est*, inquit, *hominum, quasi, quum ludas tesseris: si illud, quod maxime opus est iactu, non cadit. Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.* Adelph. Act. IV Sc. 7, 21. Vide, quae WESTERHOVIVS ad h. l. eleganter commentatur.

Ad ingenium referuntur a nonnullis 1) omnes *lepidae fabulae fictionesque*, quarum plena sunt scripta ueterum scriptorum, pleni, qui nostra aetate publicantur, libelli Gallorum, quos, scimus, omnibus ceteris nationibus ingenii laudem, si non praeripere, certe dubiam facere. Inprimis ingenii SWIFTIANI, ad satyras fabulasque effingendas peracuti, suauitates exosculor.

2) Omnia *breuiter, facete, acuteque dicta*, quae Galli *bons mots* uocant, omnes item *commodae, nec exspectatae, responsiones*, quibus, tanquam sale, perspergunter ueterum scripta. Nouimus, ALEXANDRVM M. eo processisse insolentiae, ut se Iouis filium dici coliue uoluerit. Is quum ad matrem Olympiadem ita scripsisset: REX ALEXANDER IOVIS HAMMONIS FILIVS OLYMPIADI MATRI SALVTEM DICIT. Olympias rescripsit ad hanc sententiam: *Amabo*, inquit, *mi fili, quiescas, neque deferas me, neque criminere aduersum IVNONEM. Malum mihi prorsum illa magnum dabit, quum tu me litteris tuis PELLICEM illi esse confiteris.* Vid. GELLIVS noct. Att. L. XIII c. 4. Pertinet huc perquam festiua responsio ASDRVBALIS apud LIVIVM L. XXX c. 42, item HIEMPSALIS responsio

ad Iugurtham, apud SALLVSTIVM, Bell. Iug. c. 11, aliae.

§ 211.

Quis ergo *ingeniosus* (ſinnreich) uocatur? is, qui ſimilitudines rerum facile obſeruat.

Poetae e. gr. qui id unum ſuſcepiſſe uidentur negotium, ut rerum ſimilitudinibus, feſtiue excogitatis, lectores delectent. Vix enim, uel ab HORATIO, uel VIRGILIO, uel OVIDIO, euentus quisquam narratur, qui non ſimilitudinibus, tanquam ſtellulis quibusdam, diſtinguatur. Eleganter HORATIVS L. IV Od. 14 illuſtrat Druſi facinora et impetum in hoſtes ſimili, ab Auſtri flatibus, et Aufidi fluuii inundatione. OVIDIVS perbelle amicos perfidos comparat columbis, quae nonniſi candidis tectis inſidere ſoleant. Conf. MASENII Palaeſtra eloquentiae ligatae p. 259 ſqq.

§ 212.

Accedo ad praecipuam, omniumque nobiliſſimam mentis humanae uim, *rationem* ſcilicet qua fere ſola homo brutis praeſtat, quaque, neſcio, an quid diuinitus generi humano dari potuerit praeſtabilius. Eſt autem *ratio* nihil aliud, quam facultas animae noſtrae, nexum ueritatum uniuerſalium diſtincte perſpiciendi.

Male audit apud perplures, Theologos maxime, ratio, quam uero qui uituperant, neſcio, quid laudandum putent. Hi fere omnes, qui rationem tantopere damnant et explodunt, per rationem non id intelligunt, quod intelligi uolumus, ſed aut praeconceptas opiniones, aut cupiditates ferocientes, aut ludibria phantaſiae *rationem* uocant. Quare pleraeque, quas noſtra aetate de ratione coortas eſſe ſcimus, controuerſiae inter logomachias merito ſuo referuntur.

Nititur definitio noſtra uſu loquendi. Quemnam dicimus uitam *rationi conuenienter* inſtituere? Nonne eum,

eum, qui futuras actionum suarum consecutiones, futuramque felicitatem infelicitatemue menti subiicit, et ante oculos proponit? At is ad rationis ductum uitam suam conformare minime dicendus est, qui, ut TERENTIVS ait, *quod ante pedes modo est, uidet, sed illa, quae futura sunt, minus prospicit. Est*, teste CICERONE, *boni consulis*, (adeoque etiam boni, et rationi conuenienter uiuentis, uiri), *non solum uidere, quid agatur, uerum etiam uidere, quid futurum sit.* Orat. pro L. Mur. c. 2.

Cum nostra definitione egregie consentiunt ea, quae de ratione CICERO scite eleganterque commentatur. *Homo*, inquit, *quod RATIONIS est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum uidet, earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adiungit, atque annectit futuras.* L. I de Off. c. 4. Quod quid aliud est, quam ratio est facultas nexum rerum ueritatumque distincte perspiciendi?

§ 213.

Ad ea, quae uim proprietatesque rationis declarant, luculentius intelligenda multum ualebunt hae propositiones.

I. Hoc quisque maiori rationis gradu gaudere existimandus est, quo longiorem ueritatum nexum potest perspicere.

Si quis, philosophiae praeceptis subactus, usuque exercitatus, ueritatum, in systemate quodam connexarum, continuationem seriemque, per innumeras propositiones ductam, ita perspicit, ut determinare possit, quomodo cohaereant ultima cum primis, nonne is melius rationem excoluisse putandus est, quam tyro, qui uix, nec id sine multo labore, paucarum enunciationum connexionem peruidet.

II. Vbi nulla perspicitur ueritatum connexio, ibi non locum habet ratio.

Intelligis ergo, α) uanam esse illam concertationem de ratione brutorum, quae, constat, tantum, quantum sensu mouentur, ad id solum, quod adest, sese accommodare, nec de futuris cogitare. β) Vides, cur sensus et experientia opponatur rationi. Sensu enim et experientia praesentia contuemur, rationis ope ex praesentibus futura colligimus.

III. Veritates, quae connexae sunt ita, ut altera partu quasi excludat alteram, dicuntur *ratio obiectiua*, at facultas, connexas ueritates perspiciendi *ratio subiectiua*.

Rationem obiectiuam definit LEIBNITIVS per catenam, i. e. nexum ueritatum.

IV. Si nexus demonstrationum et ratiociniorum ita perspicitur, ut, in eo perspiciendo, non opus sit nobis experientia sensuumque cognitione, tum ratio *pura* dicitur, sin minus, *impura*.

V. Ex his intelligi potest, id esse *rationi conforme*, quod cum ceteris ueritatibus connectitur. *Difforme* autem minusque consentaneum rationi illud recte dixeris, quod ueritatum nexui aduersatur.

E. gr. Haec propositio: *Fieri possunt miracula:* est rationi conformis. Connectitur enim cum his enunciationibus, quas ratio firmat; *leges motus suspendi possunt: nexus rerum est contingens:* item: *Deus est omnipotens.* At haec propositio: *Anima humana est mortalis:* est rationi minus consentanea, eidemque prorsus aduersa. Aliis enim propositionibus: e. gr. *Anima est ens simplex; ens simplex destrui non potest:* aduersatur.

VI. Rationem si eo habitu formaque consideraueris, qua tibi eam sistit definitio nostra, fieri

fieri non poteſt, ut errorum genitrix abs te habeatur.

Eſt enim unice in ueri inquiſitione occupata, nec quicquam aliud ſibi propoſitum habet, quam ut perſpiciat, quo modo altera ueritas ex altera nexa ſit. Labi, errare, et decipi ſunt phantaſiae, praecipitantiae, et praeconceptarum opinionum uitia. Recte MANILIVS:

Nam neque decipitur ratio, nec decipit unquam.

L. 2 Aſtronom.

At in ſcriptura ſacra ratio damnatur. Eph. II, 3. Col. I, 21. 2 Cor. X, 5. Reſpondeo: hic non de *ratione* agitur. Neque enim uox λόγος, in locis excitatis, reperitur, ſed uocabula λογισμὸς et διάνοια. Si graece doctus es, inter has uoces tantam eſſe differentiam, reperies, quanta maxima eſſe poteſt. Λογισμὸν et διάνοιαν multis erroribus corruptelisque mentem irretire poſſe, aio, λόγον id poſſe, nego.

§ 214.

Sequitur, ut diſtincte explicemus, quid uelimus per *analogum rationis*, quibus uocibus identidem uſos eſſe, reperimus, ſcholaſticos, at uel nullam, uel confuſam certe, cum iis notionem connexuisſe. *Analogum rationis* dicimus exſpectationem caſuum ſimilium.

§ 215.

Vt uero intelligi poſſit, quo contineatur *exſpectatio caſuum ſimilium*, haec obſerua. Qui caſus ſimiles exſpectant, hunc fere cogitandi ordinem ſequuntur:

Vbi eaedem ſunt cauſſae et περιστάσεις *ſeu circumſtantiae, quae olim adfuerunt, ibi quoque idem effe-*

ctum idemque euentus debet sequi, qui olim, positis his circumstantiis, consecutus est.

Atqui nunc eaedem caussae eaedemque circumstantiae adsunt.

Ergo abesse non potest, quin nunc idem effectum idemque euentus sequatur, qui olim has caussas circumstantiasque secutus est.

E. gr. Politici, cum rerum publicarum uicissitudines, incrementa scilicet, collapsionesque praedicunt ex praesentibus conditionibus, attente obseruatis, et cum iis, quae rerum publicarum conuersiones alio tempore uel praecesserunt, uel comitatae sunt, comparatis, similem, similibus positis circumstantiis, hariolantur euentum.

§ 216.

In casuum similium exspectatione opus est 1) ut praesentes quasdam circumstantias obserues, quod ope sensuum efficitur.

2) Vt, occasione praesentium circumstantiarum, *imaginatio* similes praeteritas reproducat.

3) Vt *memoria* agnoscat, easdem nunc adesse περιστάσεις, quae olim adfuerunt.

§ 217.

Haec casuum similium exspectatio quia nititur sensu, phantasia et memoria (§ 216), consequens est, α) ut, sine rationis adminiculo, ea se exserere possit, β) ut ii, qui casus similes exspectant, saepius fallantur, et falli possint.

Quo pertinent illa TERENTII:

Duo cum idem faciunt, saepe, ut possis dicere
Hoc licet impune facere huic, illi non licet,

Non

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0290
DFG

Non quod dissimilis res sit, sed quod is, qui facit.
Adelph. V, 3, 36.

Iucunde, hanc in sententiam, legi potest fabula de *catello* et *asino*, domino abblandientibus, sed exitu successuque contrario, quae est in Append. Fabb. PHAEDRI, X. Confer. *dissertatio nostra de fallaci casuum similium exspectatione.*

CAP. IX.

De Facultate appetendi, eiusque parte ignobiliori uel inferiori.

§ 218.

Hactenus de facultate cognoscendi, cum ea, quam cum brutis habemus communem, tum illa, quae homini propria est, commentati sumus. Sequitur, ut de appetendi auersandique facultate quaedam nunc adferamus.

Quandoquidem uero cum omni appetitu *uoluptas*, et cum omni auersatione *taedium*, tam arcto uinculo connectitur, ut nec ab appetitu uoluptas, nec ab auersatione taedium seiungi possit; eam commentandi rationem inibimus, ut ante, quid sit uoluptas taediumque, distincte tradamus.

§ 219.

Voluptatis uocem paullo latius sumi uolumus, id omne, quod, patrio sermone, das Vergnügen uocamus, eadem complexi. Atque hoc sensu recte definitur *uoluptas* per sensum perfectionis.

Nititur haec uoluptatis definitio experientiae fulturis. Cur uoluptate adficeris, cum, te in dies longius progredi, sentis, in cultiorum litterarum studiis, cum hortum floridum, in quo areolorum commensus iu-

ſtam partium conuenientiam aptasque ſymmetriarum rationes habet? Sentis hic perfectiones. Cur PLINIVS tanta perfunditur uoluptate, cum ſe famamque ſuam apud omnes celebrari, intelligit. *Exprimere*, inquit, *non poſſum, quam ſit mihi iucundum, quod nomina noſtra quaſi litterarum propria, non hominum, litteris reddantur, quod uterque noſtrum* (ipſe ſcit, et TACITVS) *his etiam ex ſtudiis notus, quibus alter ignotus.*

Definitionem noſtram mirifice quoque illuſtrabit epiſt. 7 lib. III; item epiſtola 4 lib. VII. Quae de definitione uoluptatis CICERONIANA adtuli, in logica leges p. 39.

§ 220.

Quam dedimus, definitio foecundiſſima eſt genitrix plurium propoſitionum, quarum permagnus eſt uſus cum in philoſophia morum, tum in theologia. Ex quibus haec axiomata notabis.

I. Hoc maior uehementiorque eſt uoluptas, quo maiores pluresque perfectiones percipis, animoque contemplaris.

Si pater, filium bonae eſſe indolis, uidet, ſi, ipſum ad litterarum ſtudia interno quodam ardore inflammari, animaduertit, ſi, eundem, ut aetate, ſic ſapientia creſcere, et in litteris ſeuera lege proficere, intelligit, ſi ipſum denique ad ampliſſima dignitatis faſtigia euectum cernit, tum uero ad patris uoluptatem quid addi poteſt?

II. Tanto magis augetur uoluptas, quanto quis accuratius de perfectionibus iudicium ferre, quantoque uiuidius easdem perſpicere poteſt.

Pictor imagine, eleganter exquiſiteque expreſſa, poeta carmine luculento et ſani coloris, uehementius delectatur, quam is, qui harum lautitiarum ignarus eſt.

III. Quo

III. Quo certius nosti, esse id, quod perfectiones putas, in perfectionibus numerandum, hoc insignior est uoluptas.

IV. Tamdiu durat uoluptas, quamdiu in ea re, ex qua uoluptatem capis, perfectiones inesse, sentis. At tolle sensum perfectionis, oppido euanescit uoluptas.

V. Si perfectio est uera, si iudicium de ea est certum et constans, tum quoque inde oritur uoluptas uera, constans, sincera, nullaque aegritudine contaminanda. Sed si perfectio est opinata et apparens, aut iudicium de ea mutatur, uoluptas itidem est *apparens*, quae mutatur in aegritudinem, saepiusque relinquit causas poenitendi, quam recordandi.

Voluptas, quam uirtutis studium adfert, uera est, et perpetua. Quae uero ex uitiis oritur, percellit illa quidem uehementiusque afficit sensus, at mentem e sua sede et statu dimouet, doloresque parit. Praeclare BOETHIVS de uoluptate apparenti.

Habet omnis hoc uoluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par uolantum,
Vbi grata mella fudit;
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu. Metro III, 7.

§ 221.

Quae de uoluptate diximus, contraria ratione, de taedio demonstrari possunt. Est autem *taedium* nihil aliud, quam sensus imperfectionis.

Quanto

Quanto taedio afficeris, cum, a maleuolis famae tuae labeculam adſpergi, comperis? Quare uero? Quia imminutionem exiſtimationis tuae imperfectionem putas?

§ 222.

Taedium creſcit augeturque

1) Confuſa uiuidiorique imperfectionum repraeſentatione,

2) Imperfectionum multitudine,

3) Si iudicium, quod de imperfectionibus fers, certum eſt et conſtans.

§ 223.

Eſt taedium, ut uoluptas, uel uerum perpetuumque, uel *opinatum* et *apparens*. Hoc euaneſcere poteſt, et maiori identidem compenſatur uoluptate. Illud manet, nec cauſſas laetandi relinquit.

§ 224.

Taedio ſiue aegritudini finitimus eſt *dolor*, qui oritur ex ſolutione continui neruoſi in corpore noſtro.

E. gr. Si neruos uenasque incidis cultello, tum continuum neruoſum ſoluitur, oriturque dolor.

§ 225.

Cum idea *boni* contineatur notione *appetitus*, quid bonum ſit, et, quae ſint eius formae, ante definiemus, quam ad notionem appetitus diſtincte euoluendam nos accingemus.

§ 226.

Bonum eſt, quod nobis noſtroque ſtatui perfectionem conciliat, ſiue, quod idem eſt, quod ſini noſtro

noſtro eſt conueniens. *Malum* contra dicitur, quod nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddit.

Diuitiae ſunt bonum quid, ſi eius, qui eas poſſidet, felicitatem, ad quam omnia cogitata factaque referenda ſunt, amplificant. At eaedem poſſunt eſſe, diuerſa ratione, malum quid, cum eius, qui iis affluit, felicitatem uel deſtruunt, uel impediunt, ſecundum illud TERENTII:

Quid reliqui eſt, quin habeat, quae quidem in homine dicuntur bona,
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias?
Atque haec perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet:
Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non recte utitur, mala.
Heaut. I, 2, 19.

§ 227.

Quandoquidem bonum perfectionem nobis conciliat (§ 226), perfectio autem uel uera eſt, uel apparens, conſequens eſt, ut bonum ſit uel uerum bonum, quod conſtanter eſt bonum, uel apparens et opinatum, quod uidetur bonum, at mala tegit et occultat. Eadem eſt ratio *mali*.

§ 228.

Bonum, quod plures perfectiones adfert, dicitur maius, et, quod pauciores, *minus*, quod, ſi comparaueris cum bono maiori, malum habetur, contra *malum minus* eſt bonum, ſi refertur ad malum maius.

Diuitiae ſunt bonum minus, ſi compares eas cum uirtute, quae ſola a nonnullis id eſſe putatur, quod uere bonum dici mereatur. CICERO, *quod rectum*, ait,

et honestum et cum virtute est, id solum opinor bonum. Paradox. I.

§ 229.

Haec, quae de bono maloue, de uoluptate item ac taedio, hactenus disseruimus, uiam quasi nobis, salebris e medio sublatis, expeditiorem reddunt ad distinctam explicationem *appetitus auersationisque*. Scilicet, cum, quidpiam bonum nobis esse, putamus, tum in nobis nisum, conatum, inclinationemque sentimus uersus id, quod bonum opinamur. Quae inclinatio nisusque uersus bonum cognitum *appetitus* uocatur, ipsa autem potentia mentis nostrae, ad bonum cognitum inclinandi, appellatur *facultas appetendi*, siue, ueterum stilo, *uoluntas*.

Inclinationis uocem, quae, quia impropria est et metaphorica, offensionis nonnihil habere uideri poterat, ita definimus, est conatus mentis humanae, sensationem aliquam producendi. In aegroto, qui, ardentissima febri perustus uinum et aquam appetit, animaduertis nisum conatumque gustandi uinum et aquam, quo nisu conatuue continetur inclinatio. Quod ueteres *uoluntatem* uocabant, id facultatem appetendi generali nomine appellamus. *Voluntas* enim est nobis is appetitus, qui non, nisi ex distinctis rationis repraesentationibus, ortum ducit.

§ 230.

De appetitu haec scire nostra refert.

I. Nihil appetere possumus, nisi quod bonum opinamur.

CICERO ita: *Simulac obiecta species cuiuspiam est, quod bonum uideatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura.* Tusc. Quaest. L. IV c. 6. Qua propositione continetur lex appetitus, quam experientia demonstrat. Quamuis enim persaepe cupiditate feramur in id,

id, quod uere malum noxiumque eſt, id tamen, quod malum eſt, bonum putamus, *decipimurque*, ut HORATIVS ait, *ſpecie recti*.

II. Ab appetitu uoluptas ſeiungi non poteſt.

Quia enim nihil poſſumus appetere, niſi quod, bonum eſſe, ſiue perfectiones nobis conciliare, putamus, conſequens eſt, ut ab appetitu ſenſus perfectionis ſiue uoluptas ſeiungi non poſſit.

III. Nihil appetere poſſumus ſine *motiuis*.

Cum enim nihil poſſimus appetere, niſi quod bonum opinamur (poſit. I), illa ipſa autem repraeſentatio boni, quae, tanquam idonea ſufficiensque ratio, te mouet, quaeque efficit, ut appetas, dicatur *motiuum*, uides, appetitum non magis eſſe poſſe ſine motiuis, quam quicquam fieri ſine ratione ſufficienti et ſine cauſſis.

IV. Appetitus uehementior fit et augetur, ſi plures fortioresque adſunt appetendi rationes et momenta.

Quid ergo? Quo plura, quoque maiora bona menti tuae occurſant, quo item uiuidius certiusque, eadem tibi bona eſſe, cognoſces, hoc uehementius ad ea obtinenda te ferri, fereque rapi, ſenties.

V. Appetitus eſt uel ſenſitiuus, uel rationalis.

Prout ſcilicet uel ſenſuum ope bonum tibi repraeſentas uel ratione, ita appetitus, inde oriundus, uel ſenſitiuus uel rationalis uocatur. Qui febri aeſtuque iactatur, ſaepius appetit uinum, quod, medico monitore, noxium eſt. Cur appetit? quia id dulce palatoque iucundum putat. *En appetitum ſenſitiuum!* At, qui appetit medicamentum, quod nouit ſanitati recuperandae accommodatum eſſe, quamuis amarum ſit et peracerbum, cum appetitu rationali duci patet. De appetitu rationali et ſenſitiuo CICERO ita: *Voluntas* (i. e. appetitus rationalis) *eſt, quae quid cum ratione*

ratione desiderat. Quae autem ratione aduersa incitata est uehementius, ea libido (i. e. appetitus sensitiuus) *est, uel cupiditas effrenata, quae in omnibus stultis inuenitur.* Tusc. Quaest. IV, 6. Leges hic cum uoluptate PLINII epistolam I L. VII. Audi Pamphilum apud TERENTIVM, qui de uxore reducenda monitus, haec respondet:

- - Equidem cupio et uix contineor (en appetitum sensitiuum)!

Sed non minuam consilium. Ex usu quod est, id persequar (en appetitum rationalem)! Hec. IV, 3, 9.

VI. Appetitus sensitiuus fertur in id, quod sensus suauius afficit.

Oritur enim hic appetitus ex confusis, sensuum repraesentationibus (pos. V), atque adeo fertur in id, quod sensibus bonum est. Sensus autem, quia ea tantum contuentur, quae coram sunt, et ante pedes (§ 184), patet, eos, qui sensibus et, ex iis oriundo, appetitu reguntur, omne bonum praesenti sensuum delectatione metiri.

VII. Appetitus sensitiuus uires acquirit, mentemque uehementius ad id, quod bonum putatur, rapit, α) si *plura bona* simul, confuse, et uiuidius sensibus proponuntur, β) si quid iam saepius sensus et phantasiam oblectauit, tum id uehementius eos, qui sensibus obediunt, deinceps appetere, comperimus.

§ 231.

Quae de appetitu diximus, ea, contraria ratione, ad notionem *auersationis* explicandam transferri possunt. Est scilicet *auersatio* reclinatio a malo cognito. Haec repraesentatio mali est motiuum auersandi, et uel sensibus efficitur, uel ratione,

tione, unde auersatio uel sensitiua, uel rationalis est.

GENITOR, e. gr. apud PLINIVM conqueritur, taedio sibi fuisse coenam, quamuis lautissimam. Hactenus *auersatio.* Audi motiua. *Quia scurrae, cinaedi, moriones mensis inerrabant.* IX ep. 17. Senex TERENTIANVS abhorrebat a nuptiis, ad quas tantum non cogebatur. Motiua haec addit. *Hoc enim* (uxorem ducere) *mihi prauum, ineptum, absurdum atque alienum a uita mea uidetur.* Adelph. V, 8 v. 21.

Hoc denique hic monendum uidetur, quod, quamuis semper adsint rationes et motiua, quae et appetitum cieant, et auersationem taediumque efficiant, saepius tamen illae rationes et motiua non distincte a nobis intelligantur, neque aliis explicari possint. PLINIVS, inquit, *non me, ut festinum, delectat, si quid molle a cinaedo, petulans a scurra, stultum a morione profertur. Non RATIONEM, sed STOMACHVM tibi nostro.* Lib. IX ep. 17.

CAP. X.
De Affectibus.

§ 232.

Quae de appetitu sensitiuo diximus, mirifice nunc inseruiunt nobis, eâ, quae de affectibus sciri tradiue debent, explicaturis. Est enim *affectus* nihil aliud, quam appetitus uel auersatio sensitiua uehementior, coniuncta cum insolita quadam sanguinis et fluidi neruei commotione in corpore nostro.

Veteres scriptores Romani uocabant affectus *animi perturbationes, motus animi perturbatos,* CIC. Off. L. II c. 5. *Animi motiones, concitationes animi uehementiores, cupiditates,* CIC. L. XV Fam. Ep. 4.

§ 233.

Ex definitione affectuum haec eruuntur axiomata.

I. Affectus oriuntur ex confusis sensuum et phantasiae repraesentationibus.

Quia omnis appetitus sensitiuus ortum suum ducit ex sensuum repraesentationibus (§ 230 pos. V). Ipsa quoque experientia hoc comprobat, quae cumulatius testatur, tanto quemque minus esse ad distincte ordinateque cogitandum aptum, quanto uehementioribus animi commotionibus perturbatur. Demipho apud TERENTIVM,

Ita sum, inquit, *irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.* Phorm. Act. II, 1, 9.

II. In omni affectu aut uoluptas, aut taedium, aut utrumque simul, pro diuersa sensuum repraesentatione, reperitur.

Est enim cum omni appetitu et auersatione uoluptas aut taedium coniunctum (§ 230 pos. II). Non est autem quaeuis animi uoluptas aut taedium affectus, sed ea demum uoluptas, quae mentem uehementius percellit, et corporis sanguinem turbat, inter affectus est referenda.

III. Affectus ergo sunt uel grati, uel ingrati, uel mixti.

Illi sunt, quos uoluptas, *isti*, quos taedium, *hi*, quos et uoluptas et taedium, comitantur. Inter mixtos, e. gr. referimus amorem.

IV. Affectus oritur, si *plura* bona malaue simul et confuse uiuidiusque repraesentantur.

Quod intelligi ex eo potest, quod de ui appetitus sensitiui diximus (§ 230).

V. Sunt

V. Sunt nonnulli affectus eiusmodi, ut ab eorum tanquam stirpe, ceteri, ut surculi, progerminent, quos uocamus *originarios*, in quibus numerantur *gaudium* et *tristitia*. Ceteri dicuntur *deriuatiui*.

§ 234. affectus originarii

Gaudium est insignior gradus uoluptatis, siue est praedominium uoluptatis.

Praedominatur uero in mente uoluptas, si repraesentatio perfectionum fortior est repraesentatione imperfectionum, siue, si uoluptas tanta est, ut omnes, si quae adsunt, taedii nubeculas dispellat. E. gr. Si pater, qui paullo ante morte amici turbatus erat, filium unicum, ex bello reducem, post multos demum annos, praeter omnem spem et exspectationem, in amplexus suos ferri, uidet, tum, quicquid supereſt taedii, ex amici morte concepti, tanquam nebula solis radiis, discutitur. Praeclare de praedominio uoluptatis PLINIVS: *Nihil est tam triste, quod per litteras sit minus triste. Itaque et infirmitate uxoris, et meorum periculo, quorundam uero etiam morte turbatus ad unicum doloris leuamentum, studia, confugi, quae praestant, ut aduersa magis intelligam, sed patientius feram.* Lib. VIII ep. 19.

§ 235.

De gaudio notes sequentia.

I. Quo uel plura bona simul, uel si magnum aliquod et insigne bonum confuse nobis repraesentamus, hoc uehementius est gaudium (§ 230).

Exemplum insignioris ac paene immodici gaudii uide in TERENTIO, Eunuch. Act. III Sc. 5, 3.

II. A gaudio differt laetitia (Frölichkeit), quae ex malo finito oritur.

E. gr. Si quis ex graui morbo fuerit recreatus, aut si quis, qui, ob atrocius delictum, in pegmate ferali, iam caput, mox moriturus, carnificis securi subiecerat, uitam, gratia principis, seruat, saluusque euadit, tum laetatur. CICERO *laetitiam* a *gaudio* ita distinguit, ut illam immoderatam animi effusionem putet, ponatque in uitio. *Gaudere*, inquit, *decet*, *laetari non decet: quoniam docendi causſa a gaudio laetitiam distinguimus.* Tusc. Quaest. L. IV c. 31.

III. Multi sunt gaudii laetitiaeque effectus, qui cum in animo, tum in corpore conspiciuntur. Ex quibus hos enumerare iuuat.

1) Gaudium *non amat solitudinem*, quippe *quae*, teste CICERONE, *fructum uoluptatum omnium auferat*, cap. 24, de amicitia, sed semper, cum gaudemus, quaerimus aliquem, cui narremus ea, quae nobis iucunda contigerunt.

Eodem ergo iure, quo LVCRETIVS puellam, laetitiam *loquaculam* dixeris. Hinc non miror, cur Chaerea TERENTIANVS, gaudio elatus, tantopere optet, dari sibi aliquem obuiam, in cuius sinum partem gaudii sui quasi effundat. En! impatiens ipsius desiderium, his uerbis expressum:

Sed neminemne curiosum interuenire nunc mihi
Qui me sequatur; quoquo eam, rogitando obtundat, enecet:
Quid gestiam, aut quid laetas sim: quo pergam, unde emergam, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quaeram: sanus sim, aune insaniam?

Eunuch. III Sc. 5 v. 5. conf. SVETONIVS in Caes. c. 22.

2) Comes gaudii est *celerior perturbatiorque cursus sanguinis*, qui, ubi gaudium magis intenditur,

tur, tanta perſaepe ui ad cor propellitur, ut periculum mortis, quin ipſa nonnunquam mors repentina, inſequatur.

LIVIVS, ubi narrauit, quam trepidatum fuerit Romae, nuncio de clade Romanorum accepto, haec, inter alia, addit. *Foeminarum praecipue et gaudia inſignia erant et luctus. Vnam in ipſa porta, ſoſpiti filio repente oblatam, in conſpectu eius exſpiraſſe ferunt; alteram, cui mors filii falſo nunciata erat, moeſtam ſedentem domi, ad primum conſpectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam.* LIV. L. XXII c. 7.

3) *Riſus* praecipuus eſt gaudii effectus. Praeclare ergo riſus ab EPICTETO uocatur *lactantis animi ὑπερέκχυτις, ebullitio quaedam*, Enchirid. c. 43.

Quamuis difficile nonnullis uiſum ſit, cauſſas riſus inuenire, experientia tamen magiſtra, nouimus, α) quocunque riſu gaudium aliquod indicari. Scite, ut omnia, TERENTIVS:

- - *Ille ringitur, tu RIDEAS* (i. e. gaudeas)
Prior bibas, prior decumbas: coena dubia apponitur.
Phorm. II, 2, 27.

Huc pertinet illud HORATII:

Cum rapies in ius malis RIDENTEM (i. e. gaudentem) *alienis.* Sermon. L. II, 3 v. 72.

β) Illud, quod *inſolitum* nobis, *inſperatum* aut *abſurdum* uidetur, haud raro riſum ciet, cui tamen ſemper, uel nobis non animaduertentibus, immiſcetur gaudium. HORATIVS de Porcio narrat, quod riſum mouerit, quod unico hauſtu totas placentas deuoraret, et deglutiret:

Ridiculus, totas ſimul (ſiue, ut BENTLEIVS legit) *SEMEL abſorbere placentas.* Sat. II, 8, 24.

Cum Romani a Gallis petiſſent, ne Poeno, Italiae bellum inferenti, per agros urbesque ſuas tranſitum darent, tan-

tus cum fremitu risus dicitur ortus, ut nix a magistratibus maioribusque natu iuuentus sedaretur. Accipe causſam. *Adeo stolida impudensque postulatio uisa est, censere, ne in Italiam transmittant Galli bellum, ipsos id auertere in se, agrosque suos pro alienis populandos obiicere.* LIV. L. XXI c. 20. De risu HANNIBALIS in publico fletu uideatur idem LIV. L. XXX c. 44.

4) Laetitiae ac gaudii effectus praeterea est *exsultatio*, et *complosio manuum*.

Ita Romani laetitiam suam declarare consueuerant, cum ex eius recitationibus uoluptatem caperent, qui uel uenustum elegansque carmen, uel historiam orationemque confecerat, et, auditorum iudicia experturus, praelegebat. Alii acclamabant, alii, honoris fauorisque causſa, assurgebant, ad recitantium laudem *exsultabant* alii, uestes excutiebant, supplodebant pedes, *manibus plausus edebant*, totumque corpus circumagebant. Vid. FERRERIVS de acclamationibus publicis et plausu, quod opus thesauro Graeuiano Tom. VI insertum est. CICERO: *Mihi crede, tuis et illius litteris perlectis, EXSILVI GAVDIO.* Fam. XVI, 16. VIRGILIVS ita:

- - *Ingeminant PLAVSVM Tyrii.* Aen. I, 747.

§ 236.

Gaudio opponitur *tristitia*, quae est insignior gradus taedii, siue est praedominium taedii.

Fac, CAIVM festos dies celebrare, et, inter publica gaudia, comperire, filium unicum in academia esse confossum, tum omnis laetitia oppido euanescet, taediumque praedominabitur. Characterem tristitiae eleganter expressit TERENTIVS, exemplo Menedemi, qui filium unicum nimia acerbitate eo adegerat, ut, in Asiam ad regem, militatum abiret. Absentia ergo filii grauius affectus, ita conqueritur:

Domum reuertor moestus, atque animo fere perturbato atque incerto prae aegritudine. Heautont. I, 1, 70.

§ 237.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0304
DFG

§ 237.

De triſtitia haec obſeruabis:

I. Quandoquidem triſtitia eſt uehementius taedium (§ 236), intelligitur, eam ex confuſa plurium magnorumque malorum perceptione oriri.

Quod uel exinde patet, quod plerumque per confabulationes et ſermones triſtitia leuior fiat. Per confabulationes enim momenta triſtitiae ſigillatim exponuntur ponderanturque. Quo fit, ut confuſae illae, ex quibus orta erat triſtitia, repraeſentationes fiant diſtinctae, triſtitiaeque ita nubes diſcutiatur.

II. Effectus triſtitiae ſunt uarii, quorum praecipui hi fere ſunt,

1) *Lacrimae et fletus.*

Simo TERENTIANVS de filio ſuo ita:

- - *Triſtis interim:*
Nonnunquam conlacrumabat.

Et ubi amorem moeſtitiamque filii penitius cognouerat, ita exclamat:

At, at! hoc illud eſt, hinc illae lacrimae. And. Act. I, 1, 98.

Sunt, qui lacrimas quoque nonnunquam laetitiae ſigna eſſe contendunt, experientia nixi. Ita TERENTIVS:

- - *Homini illico lacrimae cadunt*
Quaſi puero (prae) *gaudio.* Adelph. IV, 1 v. 20.

Cum quo PLAVTVS conſentit:

Vt prae laetitia lacrimae praeſiliunt mihi. Stich. III, 2, 13. Vid. WESTERHOVIANA editio TERENTII pag. 512 et 762.

At ſi recte attenderis, non laetitiam, ſed triſtitiam, quae laetitiae admiſcetur, et obſcure obrepit, has lacrimas

crimas reperies ciere, quod recte obseruauit BVDDEVS Theolog. moral. pag. 210. De uariis lacrimarum cauſſis legatur COEL. RHODIG. XII, 4.

2) Inter triſtitiae effectus referuntur *oculi languidi*, et *humum intuentes*.

3) *Pallida facies*, itidem comitatur triſtitiam.

4) *Querimoniae*, quales Menedemi, apud TERENTIVM, ſunt.

5) Is denique, qui moeſtus eſt, a *turba* hominum ſe recipit in *ſolitudinem*, ut meditari, ſine interpellatoribus, et dolori liberius indulgere poſſit. Audi, hanc in rem, Phaedriam apud TERENTIVM.

Dum rus, inquit, *eo, coepi egomet mecum inter uias, ita, ut fit, VBI QVID IN ANIMO EST MOLESTIAE, ALIAM REM EX ALIA COGITARE, et ea omnia in peiorem partem.* Eunuch. IV, 2, 1. Perbelle MARTIALIS: *Ille dolet uere, qui ſine teſte dolet.* Lib. I Epigr. 34.

Affectus derivativi

§ 238.

Haec de affectibus, quos uocant, *primitiuis* ſiue *originariis*, gaudio ſcilicet et triſtitia. Iam ad deriuatiuos accedemus, inter quos primo loco ſe offert nobis *amor*, qui eſt gaudium, ex alicuius perſonae felicitate perceptum, et *amare* alterum is dicitur, qui ex alterius felicitate uoluptatem capit.

§ 239.

Ad interiorem amoris naturam intelligendam faciunt hae enunciationes, amoris definitione nixae.

I. Amor

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0306
DFG

I. Amor oritur ex eo, si quid in altero obseruamus, quod nobis placet, et bonum opinamur.

II. Quo uehementius quisque amat alterum, eo magis alterius felicitate delectatur, et quo quis plura bona in altero obseruat, eo maiora incrementa capit amor.

III. Qui alterum amat, nae is aegritudine affligetur, si eum, quem amat, infelicem esse uiderit.

IV. Signum amoris luculentum illud est, cum id omne appetis, quod ad alterius felicitatem amplificandam pertinet, idque omne depellere et impedire allaboras, quod alterius felicitati officit.

§ 240.

Odium ergo, quod amori opponitur, est gaudium ob alterius infelicitatem, eumque *odisse* dicimur, cuius infelicitate delectamur.

Odium definit CICERO per *iram inueteratam*. Tusc. Quaest. IV c. 9. Odii nota haec est: *Qui alterum odit, alterius felicitatem uult destructam, at infelicitatem, omnibus uiribus, omnique animi contentione, promouere nititur.*

§ 241.

Amoris effectus hi fere sunt.

I. Amorem plerumque *commotio spirituum*, quos uocant, *animalium uehementior* comitatur, cursusque sanguinis mirum quan-

tum, huius affectus uehementia, perturbatur.

Recte ergo TERENTIVS amorem uocat morbum.

- - *Quid hoc morbi est? adeon' hominis immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse.* Eunuch. II Sc. I, 19.

II. Qui amant, *absurda* et *ridicula* plerumque *iudicia* formant de persona, quam amant. Quod, si quisquam, LVCRETIVS, luculenter acuteque demonstrauit. L. IV v. 1145.

Nam, inquit, *hoc faciunt homines, plerumque, cupidine coeci:*

Et tribuunt ea, quae non sunt his commoda uere.

Multimodis igitur prauas, turpesque uidemus
Esse in deliciis, summoque in honore uigere, etc.

III. Quod tanto minus mirum est, quanto certius est, amorem, si sensus solos sequatur, et *coecum* esse, et eos, quos cepit, *coecos* reddere, hominemque, mente, tanquam de gradu deiectum, in insaniam furoremque rapere.

Ira Dido, abeuntis Aeneae amore capta, VIRG. Aen. IV, 595.

Quid loquor? aut ubi sum? quae mentem insania mutat?

IV. Habet hoc praeterea amor, ut cum perpetuo desiderio connexus sit se coniungendi cum ea persona, quam amamus.

Phaedria apud TERENTIVM:

Tandem

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0308
DFG

Tandem non ego illa caream, si sit opus, uel totum triduum?

Hunc Parmeno falsе ridet. Hui, inquit *uniuersum triduum?* uide quid agas.

V. Amor occultari nescit, sed, uel nobis inuitis, foras erumpit, proditurque uel suspiriis frequentioribus, uel oculis micantibus, uel aliis gestibus partim ridiculis, partim indecoris.

Huc spectant illa OVIDII, Ep. 12.

- - *Quis enim bene celat amorem?*
Eminet indicio prodita flamma suo.

Seruus ergo, apud TERENTIVM, herum suum, si, cum amica, praesente patre, una sit, monet, ne amorem prodat.

Inuersa uerba, euersas ceruices tuas
Gemitus, screatus, tusses, risus abstine. Heaut. II, 3, 130.

VI. Denique in amore insunt *suspicio, lacrimae, bellum, pax rursum.*

De suspicione amantium praeclare TERENTIVS Heaut. 3, 3 v. 9.

Noui ego amantium animum: grauiter aduertunt, quae non censeas.

Idem alio loco ita:

In amore haec omnia insunt uitia: iniuriae,
SVSPICIONES, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rursum.
Eunuch. I, 1, 14.

§ 242.

Ex amore nascitur *commiseratio*, quae est nihil aliud, quam taedium ob alterius infelicitatem.

CICERO ita: *Misericordia est aegritudo ex miseria alterius, iniuria laborantis.* Tusc. Quaest. L. IV, c. 8. Vides e. gr. CAIVM amicum tuum, fame laborantem, multisque aerumnis deformatum. Tum, si CAIVM amas, animo commoueris ob ipsius, quam uides miseriam, quo commiseratio continetur.

§ 243.

Commiserationi aduersatur *inuidia*, quam definimus per taedium, ex eo ortum, cum alium, quem odimus, felicem esse opinamur. Breuius: *Inuidia* est taedium ob felicitatem alterius.

CICERO ita: *INVIDENTIA est aegritudo, suscepta propter alterius res secundas, quae nihil noceant inuidenti, et si quis, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum, doleat, bis frui, is inuidet profecto.* Tusc. quaest. IV, 8. Quod HORATIVS eleganter ita reddit:

Inuidus alterius rebus MACRESCIT opimis. I Ep. 2.

et rursus:

Quodque aliena capella gerat distentius uber
TABESCIT. Serm. I, 1 v. 110.

Inuidiae exemplum habebis in Iustiniano: Belisarius cum subactis Vandalis, actoque de Persis triumpho, Iustiniano Imperat. suspectus redderetur, oculis, eius iussu, orbatus est. At is tugurium ad uiam regiam construendum curauit, ubi stipem a praetereuntibus sibi erogari, hac uerborum formula postulabat: Viator da obolum Belisario; quem uirtus extulit, coecauit inuidia. PROCOP. et CRINIT. L. IX c. 6.

§ 244.

Commiserationis et inuidiae diuersa sunt effecta.

I. Illa

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0310
DFG

I. Illa lacrimas plerumque habet comites. At inuidia inuidenti pallorem, maciemque conciliat.

Pereleganter inuidiae deformitatem et effecta expressit OVIDIVS:

Videt intus edentem
Vipereas carnes, uitiorum alimenta suorum,
INVIDIAM, etc.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes;
Pectora felle uirent; lingua est suffusa ueneno;
Risus abest, nisi quem uisi mouere dolores;
Nec fruitur somno, uigilantibus excita curis:
Sed uidet ingratos, intabescitque uidendo
Successus hominum; carpitque et carpitur una
Suppliciumque suum est. Metamorph. l. 2 v. 762.

II. Inuidia semper coniuncta est cum maledicentia et obtrectatione.

Quod testatur exemplum Alexandri Magni, qui Antipatro gloriam victoriae inuidebat. Ita CVRTIVS: *Alexander hostes uinci uoluerat; Antipatrum uicisse ne tacitus quidem indignabatur: suae demtum gloriae existimans, quicquid cessisset alienae.* VI c. I, 18.

Quare hanc pugnam Antipatri per contemtum μυομαχίαν, *murium pugnam* appellabat. Conf. ea, quae ad hunc locum erudite adferuntur in editione SNACKENBVRGIANA p. m. 392. Audi Thrasonem apud TERENTIVM:

- - Inuidere omnes mihi:
MORDERE CLANCVLVM: ego non flocci pendere,
Illi inuidere misere. Eunuch. Act. III Sc. 2 v. 20.

III. Inuidia inuidentis animum misere cruciat et torquet.

Seite

Scite hanc in rem HORATIVS:

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni
Maius tormentum. I ep. 2 v. 58.

Quod Alexander apud CVRTIVM his confirmat: *Inuidi homines nihil aliud, quam ipsorum sunt tormenta.* L. VIII c. 12.

§ 245.

Periucundus, et ad animum exsuscitandum accommodatus affectus est *acquiescentia in se ipso*, quae efficitur gaudio, quod percipimus, cum, boni quid nos commisisse, putamus.

E. gr. Cum quis, sua uirtute et eruditione se ad dignitatis fastigium euectum, uidet, aut optimorum animos se sibi deuinxisse sentit, tum non potest non his bonis gaudere.

§ 246.

Huic affectui contrarius est affectus *poenitentiae*, quae est taedium ex malo, quod patrauimus.

Clitum Alexander ebrius interfecerat, et detestabile carnificis ministerium occupauerat. At, postquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit. CVRTIVS aegritudinem regis, ex caede patrata conceptam, his uerbis describit: *Hastam ex corpore iacentis euulsam retorsit in semet, iamque admouerat pectori: quum aduolant uigiles, et repugnanti e manibus extorquent, adleuatumque in tabernaculum adferunt. Ille humi prostrauerat corpus, gemitu eiulatuque miserabili tota personante regia. Laniare deinde os unguibus et circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur.* L. VIII c. 2. Vide, quo animum cogat poenitentia.

§ 247.

Cum, alios de nobis nostrisque uirtutibus honorifice existimare, sentimus, tum mirifica quadam uoluptate

uoluptate perfundimur. Idque ipſum gaudium, quod ex aliorum iudiciis benignis, quae de nobis ferunt, percipimus, dicitur *gloria*.

Hunc affectum uiuis coloribus depictum uidebis in epiſtola PLINIANA uicesima tertia libri IX. Vbi PLINIVS uerbis uix exprimere poteſt, quam ſit ſibi iucundum, quod de ſe ſtudiisque ſuis tam honorifice exiſtimari, audiat.

§ 248.

Pudor opponitur gloriae. Eſt autem *pudor* nihil aliud, quam taedium ex eiusmodi malo ortum, quod opinamur exiſtimationem noſtram laedere famamque imminuere.

Pudoris characterem eleganter expreſſit TERENTIVS exemplo Clitiphonis, cui cum ſcelerum, quae patraſſet, infamiam his uerbis obiectaſſet pater:

- - *Gerro* (es) *iners, fraus, heluo,*
Ganeo, damnoſus,

ita, cognita factorum turpitudine, reſpondet:

Eheu, quam ego nunc totus diſpliceo mihi!
Quam pudet! neque, quod principium inueniam ad placandum, ſcio. Heautont. V, 4 v. 20.

§ 249.

Cum pudor ex eo oriatur, cum quidpiam famam noſtram imminuere opinamur, (§ 248) conſequens eſt,

I. Vt, quo quisque acrius gloriae ſtimulis concitatur, hoc facilius citiusque pudore ſuffundatur.

Colligimus inde recte, eos, a quibus omnis pudor abeſt, famam infamiamque iuxta aeſtumare, et inter perditiſſimos homines eſſe referendos, ſecundum illud PLAVTI:

Ego

Ego illum periisse duco, cui quidem periit pudor. Bacchid. 3, 3, 3.

II. Cum non omnibus idem sit honestum et turpe, sed alii aliam honoris infamiaeque notionem animo informent, id, quod et experientia, et elegantissima praefatio CORNELIANA testatur, intelligitur, cur nonnullos earum rerum pudeat, quas alii laudi honorique sibi ducunt, et contra iis factis glorientur, quae alii sine rubore ne nominare quidem possunt.

Pertinent huc TERENTIANA illa:

Si roges, nihil pudet. Hic, ubi opus est,
Non uerentur: illic, ubi nihil opus est, ibi uerentur. Andr. IV, 1, 13.

PLAVTVS, hanc in rem, ita:

Plerique homines, quos, cum nihil refert, pudet: ubi pudendum est,
Ibi eos deserit pudor, quum usus est, ut pudeat. Epid. II, 1, 1.

III. Peruersum ergo de honore conceptum indicat ille pudor, quo suffunduntur nonnulli α) ob *paupertatem.* Talis est pudor Clitiphonis apud TERENTIVM, qui paupertatem fateri erubescebat:

Nihil, inquit, *esse mihi religio est dicere.* Heaut. II, 2.

β) ob *deformitatem corporis, caluitiem, crines rufos, pusillam staturam, cetera.* Alcibiadem tibias, a se inflatas, oris deformitate pudefactum abiecisse et infregisse, narrat GELLIVS noct. Att. L. XV c. 17. Iulium item Caesarem, caluitii deformitatem iniquissime tulisse, testatur

SVETO-

SVETONIVS. Et *deficientem*, inquit, *capillum reuocare a uertice assueuerat, et ex omnibus decretis sibi a Senatu populoque honoribus non aliud aut recepit aut usurpauit libentius, quam ius laureae perpetuo gestandae.* In Caesare c. 45.

§ 250.

Variis indiciis se prodit pudor. Comitantur enim eum plerumque

I. *Rubor in facie suffusus.* Quod CICERO confirmat. *Pudorem*, inquit, *rubor consequitur.* Tusc. IV, 8. Hinc uides, cur Diogenes ruborem uocauerit *colorem uirtutis.* Vid. SENECA ep. 11.

II. Qui erubescunt, *in terram, deiecto aut uelato uultu, figunt oculos ac deprimunt.* Pudorem feminae cuiusdam, regia stirpe genitae, et cum ceteris captiuis in conspectum Alexandri M. productae, eleganter describit CVRTIVS: *Captiuae*, inquit, *feminarum iubebantur suo ritu canere inconditum et abhorrens peregrinis auribus carmen. Inter quas unam rex ipse conspexit moestiorem, quam ceteras, et producentibus eam uerecunde reluctantem. Excellens erat forma, et formam PVDOR honestabat. DEIECTIS IN TERRAM OCVLIS, et, quantum licebat, ORE VELATO, suspicionem praebuit regi, nobiliorem esse, quam ut inter conuiuales ludos deberet ostendi.* L. VI c. 2. Conf. TERENTIVS Eunuch. III, 5 v. 31, et CICERO orat. Catil. III, 5.

III. Efficit nonnunquam pudor, ut mens, stupore attonita, linguam, quasi compede,

uinciat, omnemque sermonem inhibeat. Audi TERENTIVM:

- - *Postquam ad iudices*
Ventum est, non potuit cogitata proloqui,
Ita eum timidum OBSTVPEFECIT PVDOR. Phorm. II, 1, 51.

§ 251.

Sequitur, ut affectum *spei* explicemus. Est autem *spes* nihil aliud, quam gaudium ob futurum bonum, quod obtenturos nos opinamur. E. gr. Cum quis, qui febri aestuque adhuc iactatus est omnia, quae adsolent, quaeque oportet signa esse ad salutem, sibi esse, audit ex medico, tum uoluptate quadam insigni perfunditur, propterea, quod, se ex morbo propediem recreatum iri, opinatur, quo ipso spes continetur.

Elegantem spei imaginem subiicit animo OVIDIVS L. I de Ponto 7, it. TIBVLL. eleg. ult. l. 2.

§ 252.

Eminentior gradus spei dicitur *fiducia*. Gradus autem et magnitudo *spei* ex eo aestumatur, si quis multa bona sibi repraesentat, et si certo aut probabilius, ista bona obtentum iri, cognoscit.

Veteres scriptores spem itidem distinguunt a *fiducia*, qua uoce quoties utuntur, toties maiorem certioremque spem indicant. Ita SENECA: *Iam de te spem habeo, nondum FIDVCIAM.* ep. 16. Quo pertinet locus CORNELIANVS: *Ea erat aetate, ut non iam solum de eo bene SPERARE, sed etiam CONFIDERE ciues possent.* Milt. c. I.

Fit nonnunquam, ut sperent multi ea, quae, ne ueri quidem simile est, obtentum unquam iri. At haec spes

ſpes eſt inanis, ridicula, et irrita. Qualis ſpes eſt plerorumque adoleſcentulorum. Scite CICERO: *At ſperat* (uerba haec continent obiectionem) *adoleſcens diu ſe uicturum: quod ſperare idem ſenex non poteſt. INSIPIENTER ſperat. Quid enim ſtultius, quam incerta pro certis habere, falſa pro ueris.* Cato maī. c. 19.

§ 253.

Spei opponitur *metus*, qui eſt taedium, ex malo futuro ſeu imminenti ortum.

E. gr. Miles, in acie conſtitutus mortem imminentem, quam, tanquam malum quid, ſibi repraeſentat, timet, taedio enim adficitur, quod ex eo oritur, cum ſibi pereundum eſſe opinatur.

§ 254.

Augetur intenditurque metus, α) quo *plura*, quae extimeſcimus, mala inſtant, β) quo *probabilius certiusque* nouimus, ea mala ceruicibus noſtris impendere.

Si metuit quis ea, quae nullo modo fieri poſſunt, aut ea, quae fieri quidem poſſunt, ſed, euentura eſſe, minus probabile eſt, tum metus ille ridiculus eſt, inanis, et praepoſterus. Ridet eiusmodi metum ſeruus TERENTIANVS, qui herum ſuum increpat, quod *poſſibilia* metuat.

Cl. *Quid tum quaeſo, ſi hoc pater reſciuerit?*

Sy. *Quid ſi redeo ad illos, qui aiunt: QVID SI NVNC COELVM RVAT?* Heaut. IV, 3, 40.

§ 255.

Metus efficit in corpore pallorem, tremoremque, fugam item, ſuſpicionem, alia ex aliis cogitantem, et ea omnia in peiorem partem, ita, ut, quae poſſunt fieri, iam facta putet.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0317
DFG

De metus natura effectisque praeclare PLINIVS: *Vereor omnia, imaginor omnia, quaeque natura metuentium est, ea maxime mihi, quae maxime abominor, fingo.* L. VI ep. 4. Cum quo egregie consentiunt ea, quae adfert CLAVDIANVS de B. Get. v. 227.

Vtque est ingenio loquax et plurima fingi
Permittens credique timor; tum somnia uulgo
Narrari, tum monstra DEVM monitusque sinistri etc.

Vid. CORTIVS ad SALLVSTIVM Bello Cat. c. 30 p. m. 183.

§ 256.

Extremus gradus timoris dicitur *desperatio*, quae est taedium intolerabile ob malum imminens, nullo modo deuitandum.

CICERO ita: *Desperatio est aegritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum.* Tusc. Quaest. IV c. 8. E. gr. Si quis, cum nauis ad uada scopulosque delata est et concussa, fluctibus maris committitur, ubi nec littus uidet, nec tabulam, qua naufragus deportetur ad oram, tum in extremo uitam sitam esse uidet, salutemque, ipsis iam mortis faucibus absorptus, desperat, re cum consilio amissa.

Desperantis characterem eleganter expressit Catilina apud SALLVSTIVM: *Nobis domi* (est) *inopia foris aes alienum mala res, spes multo asperior, denique quid reliqui habemus, praeter miseram animam.* Cap. 20 Bell. Cat. Quod apud TERENTIVM Geta, auxilii consiliique expers, profert, eo uero, nescio, an quid ad desperantis miseriam perspiciendam possit esse accommodatius.

Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant,
Atque huic modo salutem quaerant, auxilii nihil adferant,
Quod mihique, heraeque, filiaeque herili est. Vae misero mihi!

Tot

Tot res repente circumuallant, unde emergi non poteſt;
Vis, egeſtas, iniuſtitia, ſolitudo, infamia. Adelph. III, 2, 1, et Act. IV, 7, 43.
- - *Ipſa, ſi cupiat, ſalus*
Seruare prorſus non poteſt hanc familiam.

§ 257.

Inter ea, quae deſperationem conſequuntur, conſpicias plerumque in facie colorem uarium, et oculos truces furorisque plenos, quin etiam, αὐτοχειρίαν haud raro deſperationis comitem eſſe, deprehendimus.

SALLVSTIVS de Catilina: *Animus impurus, Dis hominibusque infeſtus, neque uigiliis, neque quietibus ſedari poterat: ita conſcientia mentem excitam uaſtabat. Igitur color exſanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus ingreſſus: prorſus in facie uultuque uecordia* (i. e. furor et amentia) *inerat.* Bell. Catil. c. 15. De Iul. Caeſare ita SVETONIVS: *Iterum in Hiſpania ultimo praelio, cum, DESPERATIS rebus, etiam de conſciſcenda nece cogitauit.* In Caeſ. c. 36.

§ 258.

Terror eſt uehementius taedium, ex malo improuiſo ortum. Et inſignior gradus terroris dicitur *pauor* (Beſtürzung).

CICERO *terrorem* dicit *metum concutientem*, et *pauorem* uocat *metum, mentem loco mouentem*, ſiue, ſtilo ENNIANO, metum, qui omnem ſapientiam ex animo expectorat. Tuſc. Quaeſt. IV, 8.

Exemplum terroris ſuppeditat Auguſtus, apud SVETONIVM, quem, clade Variana nunciata, adeo conſternatum ferunt, ut per continuos menſes barba capilloque ſummiſſo, caput interdum foribus illideret, uociferans: *Quinctili Vare, legiones redde.* In Aug. c. 23.

Pauoris naturam si penitius perspicere uis, lege LIVIVM cap. XXIX libr. I: *Legiones deinde ductae*, inquit, *ad diruendam urbem, quae ubi intrauere portas, non quidem fuit tumultus ille, nec pauor, qualis captarum esse solet urbium, quum, effractis portis, stratisue ariete muris, aut arce ui capta, clamor hostilis et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet: sed silentium triste ac tacita moestitia ita defixit omnium animos, ut prae metu obliti, quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum illas uisuri, peruagarentur.*

§ 259.

Terrorem consequuntur, teste CICERONE, pallor et tremor, et dentium crepitus, pauorem exanimatio, et stupor quidam insolitus.

Pertinet huc locus TERENTII:

Discrucior animi. Hoccine de IMPROVISO mali
mihi obiici
Tantum, ut neque quid de me faciam, neque quid
agam, certum si et?
Membra metu debilia sunt, animus timore obstupuit
Pectore consistere nihil consilii quicquam potest. Vah!
quo modo
Me ex hac turba expediam? Adelph. IV, 4, 1.

Cum omnes affectus sint eiusmodi, ut iis, rationis adminiculo, occurri possit, quo minus impetu uique sua mentem de sede sua prorsus turbent: Solus terror, ex malo improuiso nec opinato oriundus, hoc habet proprium, ut nullo modo euitari possit declinarique. Id unum ad eum quodam modo minuendum ualere uidetur, si, quae nobis accidere possunt, mala multo ante, quam accidunt, nobis repraesentamus, et, tanquam ex specula, prospicimus. Quod egregie monet TERENTIVS:

Omnes,

- - *Omnes, quum secundae res sunt maxime, tum maxime*
Meditari secum oportet, quo pacto aduersam aerumnam ferant:
Pericla, damna, exilia. Peregre rediens semper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae.
Communia esse haec, fieri posse, ut ne quid animo sit nouum.
Quicquid praeter spem eueniat, omne id deputare esse in lucro. Phorm. I, 5 v. 11.

§ 260.

Cum animus, spe metuque suspensus, huc illuc impellitur, ita ut spem metus, metum spes excipiat, tum dicitur illa spei metusque uicissitudo *animi uacillatio*, quam OVIDIVS pereleganter ita exprimit:

Speque timor dubia, spesque timore cadit. Heroid. IX, 42.

Conf. SALLVST. Bell. Iug. c. 108, et TERENT. Andr. Act. II, 1 v. 2.

- - - - *Vae misero mihi!*
Vt animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit,
Ita, postquam ademta spes est, lassus, cura confectus, stupet.

§ 261.

Zelotypiam siue aemulationem uocamus eum uehementiorem appetitum, quo ferimur in aliquod bonum percipiendum prae altero quodam, idem appetente.

CICERO aemulationem et zelotypiam, ex mente Stoicorum ita distinguit a se inuicem. *Aemulatio*, inquit, *dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in uitio nomen hoc sit. Nam et imitatio uirtutis aemulatio dicitur: sed ea nihil hoc loco utimur: est enim laudis, et est aemulatio aegritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. Obtrectatio autem est ea, quam intelligi zelotypiam uolo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiuerit.* Tusc. Quaest. IV, 8.

§ 262.

Illud taedium uehementius, quod ortum est ex iniuria uel nobis, uel aliis, quos amamus, illata, et quod coniunctum est cum odio eius, qui iniuriam intulit, dicitur *ira*.

Quamuis alii alio modo definire soleant iram, experientia tamen nostram definitionem egregie firmat, quippe quae testatur, solam et unicam caussam irae esse iniuriam, uel nobis, uel aliis illatam. Lege, hanc in rem, TERENTIVM, qui Demiphonem ita loquentem facit:

DE: En unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam iniuriam, quam haec est mihi?

Quid ad haec seruus? *iratus est*, inquit. Phorm. II, 2, 1.

Considera apud CICERONEM Titum Manlium, qui postea Torquatus est appellatus. Hunc TVLLIVS narrat, *iratum accurrisse Romam, et cum prima luce Pomponii, Tribuni plebis, domum uenisse.* Cur *iram* Tito tribuit CICERO? 1) Quia taedio insigniori et aegritudine adficiebatur, ad iniuriam, patri a Pomponio illatam. Audiuerat enim, patri negotium exhiberi. En fontem irae! 2) Quia hoc taedium coniunctum erat cum odio Pomponii. Vbi enim ingressus est domum, confestim destrinxit gladium, iurauitque, se illum statim interfecturum. De Off. L. III c. 31.

§ 263.

§ 263.

Inter alia plurima mala ira comitem habet *vindictae cupiditatem*, quam dicimus ſtudium malo malum compenſandi.

Teſtatur id TERENTIVS exemplo Getae:

Vix ſum, inquit, *compos animi; ita ardeo iracundia:*

Nihil eſt, quod malim, quam illam totam familiam mihi dari obuiam,

Vt ego iram hanc in eos euomam omnem, dum aegritudo haec eſt recens,

Satius mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modo. Adelph. III, 2, 12.

§ 264.

Quantas turbas *ira* excitet in corpore, indicat horridus habitus, oculi ſcintillantes, truculenta ſpecies, uiolenti ſpiritus, uox terribilis, cetera, quae OVIDIVS paucis his complectitur:

Ora tument ira: nigreſcunt ſanguine uenae:

Lumina Gorgoneo ſaeuius angue micant.

L. 3 de Arte amandi.

Luculentius multo copioſiusque iratorum habitum et geſtus ante oculos exponit SENECA: *Flagrant*, inquit, *et micant oculi, multus ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine. Labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſum intorquentium. Sonus, gemitus mugitusque, et parum explanatis uocibus ſermo praeruptus, et complosae ſaepius manus, et pulſata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens. Foeda uiſu et horrida facies, deprauantium ſe atque intumeſcentium. Neſcias, utrum magis deteſtabile uitium ſit, an deforme.* De Ira L. I c. 1.

§ 265.

Cum quis ad appetendum auersandumque tantummodo confusis sensuum imaginationisque repraesentationibus, impetuque affectuum commouetur, tum in *Statu seruitutis moralis* uersari dicitur.

Statum seruitutis moralis uiuis depinxit coloribus CICERO his, inter alia, usus uerbis: *Non enim ita* (Stoici) *dicunt, eos esse seruos, ut mancipia, quae sunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili, sed, si SERVITVS sit, sicut est, obedientia fracti animi et abiecti, et arbitrio carentis suo, quis neget, omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos.* Paradox. V c. seqq. Seruos morales HORATIVS falsius perstringit, cum pluribus in locis, tum Satyr. 7 L. II.

Tu, inquit, *mihi qui imperitas, aliis seruis miser, atque*
Duceris, ut neruis alienis mobile lignum.

De statu seruitutis moralis, ex instituto, copiosius quondam commentati sumus in quibusdam dissertationibus, Virembergae habitis.

CAP. XI.

De Appetitu rationali, siue uoluntate eiusdemque libertate.

§ 266.

Hactenus de appetitu sensitiuo. *Rationalis appetitus* siue *uoluntas* est inclinatio ad bonum, quae oritur ex distinctis rationis intellectusque repraesentationibus.

§ 267.

Ex hac definitione sequentes positiones intelligi possunt.

I. Quo

I. Quo maius bonum nobis intellectus sistit, eo fortius motiuum adest, quod appetitum rationalem cieat.

II. Non ergo mirum, nos ex bonis, distincte perspectis, maius bonum praeferre minori.

III. Vsu persaepe uenit, ut id, quod ratio et intellectus, tanquam bonum, nobis repraesentat, sensus et imaginatio, tanquam malum, sistant.

IV. Ex quo existit pugna *appetitus sensitiui* et *rationalis*, quae pugna eo continetur, cum appetitus sensitiuus est rationali contrarius.

Hanc pugnam, nescio, an rectius aptiusque expresseris, quam uerbis TERENTIANIS:

Nolo, uolo: uolo, nolo rursum: - -
Quod dictum, indictum est; quod modo erat ratum, irritum est. Phorm. V, 7, 56.

Exemplum luculentum pugnae appetitus rationalis et sensitiui tibi exhibet Phaedria TERENTIANVS, qui, cum amore conflictatus, nunc, ratione in consilium adhibita, damnat illum, se ultro accusat, et mollitiem animi eiiciendam putat, nunc, uoluptatum et sensuum illecebris irretitus, Thaida suam rursus deperit, et uim amoris uix sustinet:

- - O indignum, inquit, *facinus: nunc ego et*
Illam scelestam esse, et me miserum, sentio:
Et taedet: et amore ardeo: et prudens, sciens,
Viuus, uidensque pereo: nec, quid agam, scio. Eunuch. I, 1, 25.

Quod Phaedria, idem de se Medea apud OVIDIVM Metam. VII, 19 dicit:

Sed

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0325
DFG

Sed trahit inuitam noua uis: aliudque CVPIDO
(appetitus sensitiuus)
MENS (appetitus rationalis) *aliud suadet. Video meliora proboque* (secundum rationem)
Deteriora sequor (ex appetitu sensitiuo).

Hanc sententiam alio loco ita expressit:

Odi, nec possum cupiens non esse, quod odi:
Heu quam, quod studeas ponere, ferre graue est.

Et:

Quod sequitur, fugio, quod fugit, ipse sequor. Vid. BVRMANNVS ad h. l. p. m. 447.

Addi merentur, quae SENECA, hanc in rem, eleganter affert:

Quae memorat, scio,
Vera esse, nutrix.
- - Sed furor cogit sequi
Peiora. Vadit animus in praeceps sciens
Remeatque frustra, sana consilia appetens. in Hippol. Act. I p. 237 edit. SCHROEDERI 4to mai.

V. Appetitus, qui rationem sequitur, quamuis distinctis repraesentationibus, tanquam motiuis, nitatur, non tamen mens humana uel externa, uel interna ui ad appetendum cogi potest.

Fac enim, uoluntatem posse ad appetendum cogi, tum ui externa poterit effici, ut uoluntas id appetat, quod intellectus, tanquam malum, sistit, quod contrarium iis est, quae supra de natura appetitus disputauimus. Quotusquisque, e. gr. tormentis licet omnibus adhibitis, te coget, ut uenenum, quod auersaris, appetas? Hoc equidem uis externa efficiet, ut poculum, ueneno impletum, ori admoueas, illudque exhaurias, at, ut appetas, non efficiet.

VI. Quandoquidem ergo mens humana ad appetendum auersandumque nulla ui cogi potest,

poteſt, intelligitur, eam cum in appetendo, tum in auerſando *ſponte* agere.

Eſt enim *ſpontaneitas* facultas animae ſemetipſam determinandi. *Sponte*, e. gr. agit is, qui diſſolutius uiuit, et ſodalitates flagitioſorum in deliciis habet. Neque enim a quoquam trahitur aut cogitur ad ſodalitates impiorum obeundos.

VII. Ita uia munitur ad notionem *libertatis* recte intelligendam. Voluntas ſcilicet appetit *libere*, ſi ex pluribus rebus, ſibi obiectis, id ſponte eligit, quod optimum intellectus iudicat.

VIII. *Libertas* ergo, tanquam praecipua uoluntatis affectio, eſt nihil aliud, quam facultas entis intelligentis ex pluribus, quae appeti poterant, ſponte eligendi id, quod optimum iudicat.

Quae libertatis definitio male audit apud nonnullos, qui, monſtri quid alere eam, exiſtimant: At, ſi experientiam in conſilium adhibueris, deprehendes, nunquam libertatem ſine his tribus requiſitis α) *intelligentia*, β) actionis ſuſcipiendae *contingentia*, γ) *ſpontaneitate* locum habere. Quod ut pateat euidentius, exemplum ſubiungam. Theoxena apud LIVIVM *libere* ſeſe in mare deiiciebat. Vides in hac feroci femina, mortem ſubeunte, omnia libertatis requiſita. (α) Perpendebat, ſe et liberos ludibrio futuros non regis Philippi modo, ſed cuſtodum etiam libidini, atque adeo facinus, quod ſuſcipiebat, LIVIVS uocat multo ante *praecogitatum* (*en intelligentiam*)! (β) Potuiſſet ſe poteſtati regis tradere, penes ipſam erat, poſito in conſpectu poculo, ſtrictisque gladiis, uel ferrum capere, uel haurire poculum, quo mortis genere liberos abſumtos legimus (*en contingentiam*)! (γ) Sed ſponte, nullaque ui coacta, ſe determinabat, ad illud mortis genus eligendum, quod ipſi maxime place-

placebat. *Ipsa*, inquit LIVIVS, *uirum, comitem mortis, complexa, in mare sese deiecit* (*en spontaneitatem*)! Vid. LIVIVS Lib. XL c. 4.

§ 268.

Ex hac libertatis definitione perspicitur:

I. Motiua, mentem ad appetendum eligendumque incitantia, non tollere libertatem, quippe quae nulla est, nisi intelligentia consilioque fuerit constituta.

Ecquis te libertate orbatum dicet, si cum ratione ex pluribus libris eum, quem tibi utilissimum iudicas, elegeris.

II. Intelligitur ex his, *indifferentiam*, quam uocant, *perfecti aequilibrii* inter anilium rerum deliramenta esse referendam.

Indifferentiam uero *perfecti aequilibrii* uocabant ueteres, cum mens humana, positis omnibus ad uolendum requisitis, tamen contrarium, idque sine motiuo, sine omni ratione sufficienti, eligere posset. In omni electione, adeoque libertate, 1) calculi quasi in utraque parte ponuntur, 2) id praefertur alteri, in quo uicerit ratio. Vid. Epist. PLINII 19 L. II. Plura de libertate disputauit S. R. WAGNERVS, in scripto pererudito, quod, ante plures annos, patria lingua, foras dedit.

CAP. XII.

De Commercio animae et corporis.

§ 269.

Habent anima corpusque commune quoddam uinculum, quo continentur, et tam arcte inter se

ſe colligantur, ut in motibus ſenſionibusque mutuas ſibi praeſtent operas, et utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio indigeat.

§ 270.

Experientia quemque condocet,

I. Cum a rebus externis in corpore noſtro ſentiendi inſtrumenta, ut oculus, auris, cetera, pulſantur mouenturque, tum in anima oriri ideam ſiue perceptionem.

E. gr. Cum tonitru auditur, tum tremulus aeris motus ad aures defertur, easdemque percellit. Qua mutatione in auribus facta, ſtatim excitatur perceptio in anima.

II. Experientia magiſtra, nouimus, quod tum membra corporis moueantur, cum anima eadem uult moueri.

E. gr. Volo, ut lingua, ut pedes manusque moueantur. Tum ad decretum animae conſequitur motus.

III. Ex his intelligas, licet, per experientiam conſtare, quod animae competat *regimen* in corpus, quod eſt facultas animae, motus corporis pro lubitu ita determinandi, ut ſequatur hic, nec alius motus.

Scite SALLVSTIVS Iugurth. c. 1: *Dux et imperator uitae mortalium animus eſt.* Cum quo conſentit LACTANTIVS de ira D. c. X: *Animus rector eſt corporis, cui membra obſequuntur, tanquam regi et imperatori.* Conf. SENECA epiſt. CXIV, et CORTIVS ad SALLVSTIVM p. 4.

§ 271.

Quas quidem poſitiones, hactenus ex experientia adſtructas, non facile quisquam eſt, qui in dubium

bium uocet, nisi, qui, aut mentem hospitari in corpore, aut corpus reuera adesse, negauerit. At si quaeras, *quomodo* regat animus corpus, et qui fiat, ut, mutatione in corporis membris facta, oriatur perceptio siue sensio in anima, tum necti, comperies, difficultatis nodos, quos nemo dum expediuit, nec, si quid uideo, in posterum quisquam expediet.

§ 272.

In contrarias discinduntur sententias eruditi, de commercii modo inter animum et corpus interrogati. Alii existimant, animam ita agere in corpus, et corpus ita agere in animam, ut α) quando anima uelit, corporis membra moueri, tum anima alium aliumque neruum impellat, atque ita efficiat, ut motus hic, nec alius in corpore sequatur. β) Item, quando in organis sentiendi mutatio a rebus extra nos positis, producatur, tum, motu per neruos in cerebrum usque propagato, animae imprimatur idea. *Alii*, ipsum, putant, Deum toties perceptionem conuenientem in anima producere, quoties mutatio in organis sensoriis contingat, et, coorta in anima uoluntate, motum conuenientem a Deo in corpore effici. *Alii* denique, secessione ab his, quas recensui, opinionibus facta, modum, quo cum corpore mens humana est copulata, ita exponunt.

I. Existimant, quoties in organis sensoriis et corporis membris contingat mutatio, toties animam ui, sibi congenita, sine corporis adminiculo, perceptionem producere, idque ita, ut, quae producitur perceptio, ex

ex aliis antecedentibus perceptionibus, ſerie nexuque continuato, reſultet.

II. Opinantur, motus corporis nec ab anima, nec a Deo produci, ſed oriri illos ex ſtructura et ui motrici corporis et motibus praecedentibus.

III. Quod autem, cum in motibus, tum in ſenſionibus, tam amicus arctusque animam inter et corpus conſenſus adſit, id uero a quadam Dei praeordinatione ſapientique praeſtabilitione deriuandum putant.

Prima hypotheſis, qua putant nonnulli, animam, tanquam cauſſam efficientem, ui ſua producere motus in corporis membris, et, mutatione in organis ſenſoriis facta, per motum fluidi neruei animae imprimi ideam ſiue perceptionem, dicitur *ſyſtema influxus phyſici.*

Altera opinio, qua ſtatuitur, Deum, ad decretum animae, motus in corpore efficere, et ſenſiones in anima producere, quoties mutatio in organis ſenſoriis contingit, uocatur *ſyſtema cauſſarum occaſionalium, ſiue adſiſtentiae.*

Tertia denique ſententia, qua opinantur nonnulli, neque ab anima motus in corpore, neque a corpore et fluido nerueo ſenſiones in anima produci, ſed utramque ſubſtantiam ſeorſum agere, et ui propria motus perceptionesue efficere, ita tamen, ut legibus, diuinitus praeſtitutis, conuenienter, in ſumma conſenſione mutationes producant, appellari conſueuit *ſyſtema harmoniae praeſtabilitae.*

Influxum phyſicum defenderunt quondam Ariſtotelici, ſyſtema cauſſarum occaſionalium Carteſiani, harmoniam praeſtabilitam Leibnitiani.

Ad tres has opiniones illuſtrandas unicum ſubiungam exemplum. Fac, te uelle epiſtolam ſcribere. Statim moues manum, arripis calamum, et litteras pingis. *Tò uelle ſcribere* pertinet ad animam. *Tò mouere*

uere manus, et ſcribere ad corpus ſpectat. Qui ſit ergo, ut, dum anima uult ſcribere epiſtolam, manus obſequatur et moueatur? Ariſtotelici reſpondent. Hoc ſit per influxum phyſicum, i. e. dum anima uult ſcribere, ea quoque, tanquam cauſſa efficiens, ui ſua neruos impellendo manum mouet, fere ut alieni nerui, HORATIO teſte, mobile lignum ducunt. Carteſiani quaeſtionem hanc ita ſoluunt. Dum anima uult ſcribere, Deus, quaſi ex machina aduocatus, membra corporis mouet. At Leibnitiani ſe rem acu tetigiſſe, opinantur, ſi affirmant, eo ipſo temporis momento, quo anima uult ſcribere, corpus ui propria ſine adminiculo animae, moueri, idque legibus, diuinitus praeſtitutis conuenienter, fere ut duo horologia conſentiant, quorum neutrum in alterum agat, ſed unumquodque, quod ſuum eſt, ſine adminiculo alterius, perficiat, idque ſtructurae legibusque conuenienter, quas artifex, in exſtruendis horologiis, ad conſenſum obtinendum, fixerit. Quae harum opinionum ad ueri ſimilitudinem propius accedat, nec ſcio ſatis, nec, ſi ſciam, definire auſim. Tuo ipſe, lector, utere iudicio, nihil impedio. Noſtra intererat, recenſere quid ſenſerint philoſophi, non quid ſentire debuerint. Plura de his tribus opinionibus adtulimus in Inſtitutionibus Metaphyſ.

CAP. XIII.

De Immortalitate Animae.

§ 273.

Animae immortalitatem expoſituri, permultum noſtra intereſſe putamus, ut antea diſtinctius euoluatur, quid ſit *immortalitas*. Immortalitatis notionem animo non facile informabis, niſi ante, quid ſit *mori*, diſtinctius intellexeris.

Veterum

Veterum philosophorum complures, cum in quaestionem, num animus humanus, extincto corpore, uiuat uigeatque? incidunt, fluctuant animo, et dubitanter nimis sententiam suam exponunt. Optant certe, si nihil aliud coniectando assequi possunt, ut animus, post mortem, sensu aliquo gaudeat. CICERO, ubi multa de animae immortalitate in utramque partem disputauit, tandem haec addit: *Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector, dum uiuo extorqueri uolo. Sin mortuus, (ut quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam: non uereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri: tamen extingui homini suo tempore, optabile est.* De senectute c. XXIII. Idem CICERO, uel potius Atticus apud CICERONEM, ita de PLATONIS libro de animarum immortalitate iudicat: *Nescio, quomodo, dum lego, assentior: cum posui librum, et mecum ipse de immortalitate animarum cogitare coepi, assensio omnis illa elabitur.* Quaest. Tuscul. L. I. Vid. GROTIVS de ueritat. relig. Christianae L. I § 22.

Animae immortalitatem, ex mente Epicureorum, copiosius impugnat LVCRETIVS de rerum natura L. III v. 418 seqq. Sunt autem argumenta, quibus utitur, admodum infirma et leuia, quibus FIRMIANVS respondet L. VII c. 12. Rectius de immortalitate animae iudicat SALLVSTIVS, qui, *corporis et fortunae, inquit, bonorum ut initium, finis est: quoniam orta occidunt, et aucta senescunt: animus incorruptus, AETERNVS, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur.* Bell. Iug. c. 2. Egregia sunt, quae ad hunc locum adfert CORTIVS p. m. 415.

§ 274.

Mori dicitur corpus nostrum, cum omnia eius membra et organa a functionibus suis cessant. Anima ergo humana tum demum mori dicenda

est, cum omnes eius perceptiones et appetitiones, ipsaque animae uis cessat.

§ 275.

Anima ergo *immortalis* tum uocanda est, si, post mortem corporis, perceptiones et appetitiones continuat.

§ 276.

Tria ergo ad mentis humanae immortalitatem constituendam requiruntur.

I. Vt ipsa, corpore extincto, supersit.

Quod anima, post mortem corporis, non intereat, sed existat, id ex eo patet, quod ea entia, quae a materiae concretione remota sunt et simplicia uocantur, destrui nequeant. Id quod supra, ubi de ente simplici commentabamur, demonstrauimus. Atqui uero animam humanam esse inter entia simplicia referendam, id uero ipsius probant cogitationes operationesque ceterae, quae in ens compositum, et ex materia moleque concretum, cadere non possunt. Quascunque enim in ente composito cogitaueris mutationes, eas eiusmodi esse deprehendes, ut non, nisi motu contineantur, id quod supra ostendimus. Vid. CANTZIVS Tom. I de usu philos. in Theologia p. 226 seqq.

De mentis humanae simplicitate ita CICERO: *In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.* L. II de natur. Deorum.

Argumenti, quod ad mentis humanae durationem post mortem probandam ab eiusdem simplicitate desumitur, uim momentumque CICERO his proposuit uerbis: *Sic mihi*, inquit, *persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tot scientiae, tot inuenta,*

uenta, non posse eam naturam, quae res contineat, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moueat, nec finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus, et, cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admistum, dispar sui, atque dissimile, non posse eum diuidi: quod si non possit, non posse interire. De Senectute c. XXI.

II. Ad immortalitatem animae requiritur, ut, post mortem corporis, perceptiones suas continuet.

Quod ex eo intelligi potest, quod, si anima post mortem existere perseuerat, non possit quoque non in ea uis repraesentandi perdurare. Est enim uis repraesentandi id ipsum, quod efficit, ut anima sit anima, atque adeo animae naturam constituit. Vi autem repraesentandi perdurante, ipsae perceptiones durant.

Omnis enim uis in actum transit, ubi nullum adfuerit impedimentum. Nullum autem impedimentum ne fingi quidem potest, quod fontem perceptionum in anima, scilicet uim cogitandi, post mortem, obstruat.

III. Vt anima immortalis sit, requiritur, ut machina corporis soluta, ipsa in statu perceptionum distinctarum uersetur.

Quod facile potest perspici, si intellexeris, omnem, quae in animae perceptionibus inest, confusionem, non, nisi ex corporis, quo, tanquam ueste, induta est, limitatione cooriri. Compagibus ergo corporis exsoluta mens, dubitari non potest, quin, ex diuturna quadam quasi caligine in lucem prouecta, multo clariores distinctioresque perceptiones sit formatura.

IV. Tandem, ut anima sit immortalis, postulatur illud, ut sui sibi sit conscia, eandemque se agnoscat, quae fuerat ante corporis mortem.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0335
DFG

Si enim in idearum distinctarum statu uersatur, consequens est, 1) ut sui sibi conscia sit, i. e. ut se ab aliis rebus internoscat, 2) ut se eandem esse agnoscat, quae olim fuerat, 3) ut memoriam status praeteriti conseruet. Haec enim omnia si tollis, tollis idearum distinctarum statum.

Non attinet, philosophorum argumenta, quae, animae immortalitatem stabilituri, proferunt, cumulare. Plurima eorum adduxi in Institut. Metaphys. p. 512.

CAP. XIV.

De Animabus Brutorum.

§ 277.

Quoties bruta animantia contemplor, toties non modo miror artificiosam corporum membrorumque, ex quibus coagmentata sunt, structuram, sed in ipsorum quoque corporibus hospitari animas, ex his colligo.

I. In Brutis deprehendimus organa sensoria, cerebrum item, ut in homine. Iam uero, cum in homine hunc organorum sensoriorum cerebrique usum finemque adeo diuinum esse, constet, ut, ope organorum sensoriorum, perceptiones formemus, patet, eundem esse horum organorum cerebrique in brutis finem. Vt ita ex his manifestum fiat, brutis non minus, quam hominibus, tribuendas esse animas.

Quo argumento, ab *analogia* desumto, utuntur complures in asserendis brutorum animabus. Neque id, si recte iudico, male. Vid. Ribouius de hoc argumento in dissert. historico-philosophica de anima brutorum, RORARII Libro de ratione brutorum annexa p. m. 303.

II. Per

II. Per experientiam deprehendimus, bruta esse sibi sui rerumque extra se positarum conscia.

Possunt enim se ab aliis rebus, et res, extra se positas, a se inuicem distinguere. Ita Delphinus apud PLINIVM, puerum, qui primus ipsi adnatarat, ipsiusque tergo insidens ferebatur referebaturque, a ceteris pueris probe distinguere poterat. L. IX c. 33.

III. Bruta ergo cogitare, dubitari non potest.

Quid enim est *cogitare* aliud, quam sui sibi rerumque extra se positarum esse conscium?

IV. Non modo sentiunt bruta, dum res, quae ante pedes sunt, sibi repraesentant, sed imaginatione quoque et memoria gaudent.

De facultate sentiendi, quam tribuimus brutis, non potest quisquam dubitare, nisi qui, sol sit, nec ne, dubitare uelit. Quin plures beluae sensibus, a natura datis, praestant hominibus. Aquilae acutius cernunt. Talpae, obrutae licet terra, facilius liquidiusque audiunt. Vultures sagacius odorantur, quod non modo PLINIVS Hist. Natural. L. X c. 6, sed LVCRETIVS quoque his uerbis testatur:

Verum aliis alius magis est animantibus aptus (scil. odor)
Dissimiles propter formas, ideoque per auras
Mellis apes quamuis longe ducuntur odore:
Volturiique cadaueribus: tum fissa ferarum
Vngula quo tulerit gressum, permissa (alii: promissa) *canum uis*
Ducit: et humanum longe praesentit odorem
Romulidarum arcis seruator, candidus anser. L. IV v. 680.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0337
DFG

Imaginationis brutorum plurima exſtant documenta. Ita uideas, in cane, cum dominum obſeruat baculum, quo ſemel iterumque fuit percuſſus, eleuare, oppido ideam uerberum, ope legis imaginationis, excitari.

De Memoria brutorum certiores nos facit experientia, qua magiſtra, ſcimus, canem herum ſuum, uel ſi quatuor pluresue hebdomades abfuerit, agnoſcere. Quod idem miramur in hirundine, quae, terrarum tam immenſa marisque ſpatia, ſingulis annis transuolans (utor uerbis RORARII) reddita anni uice, in adſuetam reuertitur quid regionem? imo in eandem domum, domusque partem, in qua prius nidum contexuit et parieti affixit. Vid. l. c. p. 181.

V. Appetitum praeterea ſenſitiuum et auerſationem in brutis deprehendimus.

Quod uel ſolo edendi appetitu commonſtratur. CICERO, *dedit*, inquit, *eadem natura beluis et ſenſum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales paſtus capeſſendos, altero ſecernerent peſtifera a ſalutaribus.* L. II de Natur. Deor.

Et quem fugit, affectibus bruta identidem uehementius commoueri? De ceteris, e. gr. timore, terrore, ira, nunc nihil adferam. Triſtitiam tantum commemorabo, qua philomelam, pullis orbatam, turbari uides apud VIRGILIVM, cuius elegans locus hic eſt:

- - Populea moerens philomela ſub umbra
Amiſſos queritur foetus, quos durus arator
Obſeruans nido implumes detraxit; at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat et moeſtis late loca queſtibus implet. Georg. L. IV v. 511.

Locum hunc VIRGILIANVM a cenſura HVETIANA egregie uindicauit IOANN. HENR. KROMAYERVS, in peculiari diſſertat. Ienae habita.

§ 278.

§ 278.

Haec omnia, in unum collecta, quid aliud indicant, quam hoc, bruta non esse meras machinas, sed animabus gaudere, quae sunt ab ipsorum corporibus diuersae, nec ex materia concretae.

Cartesiani bruta machinas esse statuerunt, de quorum sententia uid. RIBOVIVS diss. de anima brutorum p. 743.

§ 279.

Quod uero animae brutorum sint mentibus humanis multo inferiores ignobilioresque, id ex his positionibus intelliges.

I. Bruta carent ideis rerum distinctis, atque adeo intellectu.

Bruta destituuntur facultate sermocinandi et uoces articulatas formandi. Atque adeo bruta notas, quibus unaquaeque res ab altera internoscitur, sigillatim sibi repraesentare et dignoscere nequeunt, quod ipsum requiritur ad ideas distinctas formandas (Log. § 33). Si gaudent ideis distinctis, notiones quoque uniuersales formare possunt, e. gr. distincte intelliget canis, quid sit *lex*, quid *conscientia*, quid *uirtus*, quid *uitium*, cetera. Cum uero harum notionum uniuersalium nullum indicium in brutis appareat, quo pacto ipsis tribuentur ideae distinctae?

Cum *intellectus* sit facultas, res distincte sibi repraesentandi (per def.) consequens est, ut in bruta non cadat intellectus.

II. Bruta carent ratione.

Rationis enim est, ueritatum uniuersalium nexum distincte perspicere (per def.). Ecquis uero hanc facultatem deprehendit in brutis? Putasne, canem consequentias huius propositionis: *Virtus nos felices reddit*, perspicere posse? *Tantum, quantum sensu mouentur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se*

accommodant bruta, nec ſentiunt praeteritum aut futurum. CIC. de Off. L. I c. 4.

Quae de brutorum ratione diſputantur, ad logomachias pertinent. Mirabilia ſunt, fateor, et attentione digniſſima, quae a nonnullis beſtiis ſuſcipi uidemus. At, quas edunt operationes, aut proueniunt ab inſtinctu quodam naturali, qui omnem praeuiam deliberationem, meditationem, conſiliumque in brutis excludit, aut lege imaginationis determinantur. Ita miramur rempublicam apum

Qualis apes aeſtate noua per florea rura
Exercet ſub ſole labor, cum gentis adultos
Educunt foetus, aut cum liquentia mella
Stipant, et dulci diſtendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt uenientum, aut, agmine facto,
Ignauum fucos pecus a praeſepibus arcent,
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
VIRG. Aeneid. L. I v. 434.

Putasne, hanc apum in laborando ſollertiam, hunc in conſtruendis fauis mirificum ordinem ab ipſarum inuentione, meditatione et praeuia deliberatione prouenire? Minime. Eadem ratio eſt loquelae nonnullarum auium, quas, ſcimus, hominum ſermones imitando nonnunquam poſſe effingere. At nihil hic deprehendo, quod rationem indicet. Neque enim intelligunt ſonos, quos edunt, neque plures uoces pro lubitu ita coniungere aut immutare poſſunt, ut, iis opitulantibus, ſenſa animi expromere queant. Causſam docilitatis promotae in imitanda uoce humana perſcienter reddit PERSIVS in prologo Satyrarum:

Quis expediuit Pſittaco ſuum χαῖρε?
Coruos quis olim concauum ſalutare?
Picasque docuit noſtra uerba conari?
Magiſter artis, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex ſequi uoces.

III. Ana-

III. Analogum rationis, siue exspectationem casuum similium deprehendimus in brutis.

Ita canis, eleuato baculo, timet cuti suae, sensit enim olim uerbera, cum herus baculum eleuaret. Vbi ergo baculum rursus eleuari uidet a domino, exspectat casus similes. Syllogismus, quem hic canis uidetur formare, non ratione, sed sensatione et imaginatione nititur. Exemplum casuum similium exspectationis, in brutis obuiae, suppeditat elegans fabula PHAEDRI de catello et asino, blandientibus domino. Videantur hic ea, quae supra de analogo rationis diximus.

IV. Libertas non cadit in bruta, quamuis spontaneitas iisdem tribui potest.

Libertatis enim praecipuum attributum est *intelligentia* (§ 267), qua cum bruta destituantur (§ 279 pos. II), libertatem ipsis tribui non posse, uides. At quia bruta ad agendum se ipsa determinant, *sponte* agere recte dicuntur.

FINIS PSYCHOLOGIAE.

META-

METAPHYSICES PARS IV Theologia Naturalis.

CAP. I. De Dei exiſtentia.

§ 280.

Quaecunque de DEO eiusque proprietatibus, duce et magiſtra ratione, nouimus, ea a philoſophis apto digeſta ordine, et peculiari diſciplina ſunt pertractata, quam uocamus *theologiam naturalem*, quae eſt ſcientia de Deo, eiusque attributis et operibus.

Haec diſciplina ideo dicitur theologia *naturalis*, quia, quae in ea de Deo diſſeruntur, ex ſolo lumine *naturae*, ſiue ex ratione, nobis innoteſcunt. Ita haec ſcientia a theologia *reuelata* diſtinguitur, quae ſcripturae ſacrae effatis nixa, ea explanat, quorum ὕψος et excellentiam ratio, ſibi relicta, non capit.

§ 281.

Primum ergo, quod in theologia naturali demonſtrari debet, illud eſt, *Deum exiſtere*. Quod ut intelligatur diſtinctius, paucis, quae uoci DEVS uis ac poteſtas ſit ſubiecta, exponemus.

§ 282.

Per *Deum* nihil aliud intelligimus, quam ens perfectiſſimum, quod ui propria et per eſſentiam ſuam neceſſario exiſtit, et a quo hic mundus, omnia-

omniaque, quae in eo continentur, tanquam a cauſſa efficiente, dependent.

Quos hic recenſuimus, characteres eiusmodi ſunt, ut α) luculenter indicent, quid, audita DEI uoce, cogitare debeas, β) ut Deum ab omnibus aliis rebus internoſcant. Nominalem ergo hic Dei definitionem ſuppeditari tibi, uides, quam ita quoque concinnare poteras: *Deus eſt ſpiritus perfectiſſimus.* Item: *Deus eſt ens independens*, aut, *Deus eſt ens infinitum.* Omnes enim hae notae ſoli Deo tribui poſſunt, atque adeo ſufficiunt ad Deum ab omnibus aliis rebus diſcernendum.

§ 283.

Varia ſunt argumenta, quibus demonſtratur, exiſtere Deum, ſiue eiusmodi ens perfectiſſimum, quod neceſſario exiſtat, et quod hunc mundum produxerit. Quorum uero cum alia aliis fortiora ſint, et ad conuincendum animum aptiora, praecipua tantum hic adducemus.

I. Dei exiſtentia a nonnullis probatur ex eo, quod ueritas haec: *datur Deus*, in omnium animis, inde usque a prima infantia, ſit altiſſime impreſſa, ita, ut, quae de Deo cognoſcimus, non didicerimus, acceperimus, legerimus, uerum ex natura ipſa arripuiſſe, hauſiſſe, expreſſiſſe uideamur.

Huic argumento, quod a notitia Dei, nobis connata, deſumitur, pluſculum nonnunquam, quam par erat, ponderis tribuitur. CICERO, *omnibus*, inquit, *innatum eſt, et in animo quaſi inſculptum, eſſe Deos.* De Nat. Deor. L. II c. 4. Quae uerba ſi hanc habent uim, quod Dei notio in hominum animis informata ſit, et quod unusquisque, ſola notitia, ſibi congenita, cognoſcat Deum, quamuis nullus acceſſerit rationis uſus

usus conformatioque doctrinae, tum multae incident difficultates, quae uix expediri posse uidentur.

II. Esse Deum, ex admirabili structura et pulchritudine huius uniuersi, corporumque caelestium ordine perpetuo, sapientissimisque legibus fixo, demonstrant complures.

Ex multis locis, in quibus de Deo, ex mundi pulchritudine et omnium partium conuenientia cognoscendo, CICERO differit, alterum alterumue adducemus. *Cum uidemus*, inquit, *speciem primum candoremque caeli, deinde conuersionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus: tum uicissitudines dierum atque noctium, commutationes temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem, solem, lunamque accretione et diminutione luminis quasi fastorum notantem et significantem dies, tum in eodem orbe in duodecim partes distributo, quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime seruantes, disparibus inter se motibus, nocturnamque caeli formam, undique sideribus ornatam - - - Hoc, et alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare, quin his praesit aliquis, uel effector, si haec nata sunt, ut Platoni uidetur, uel si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris.* Quaest. Tusc. L. II c. 28. Huc spectant quoque sequentia TVLLII uerba: *Qui igitur conuenit, signum aut tabulam pictam cum adspexeris, scire, adhibitam esse artem, cumque procul cursum nauigii uideris, non dubitare, quin id ratione atque arte moueatur: aut cum solarium uel descriptum aut ex aqua contempleris, intelligere, declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui et has ipsas artes et earum artifices et cuncta complectatur, consilii et rationis esse expertem putare. Quod si in Scythiam aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulae conuersiones idem efficiant in sole, et in luna, et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus et noctibus: quis in*

illa

illa barbarie dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo et oriuntur et fiunt omnia, casune ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione ac mente diuina. Haec Balbinus, quem CICERO loquentem facit de Natura Deorum Lib. II. Idem haec addit: *Philosophi cum uidissent motus mundi finitos et aequabiles omniaque ratis ordinibus moderata immutabilique constantia, debuerunt intelligere, inesse aliquem non solum habitatorem in hac caelesti ac diuina domo, sed etiam rectorem et moderatorem, et tanquam architectum tanti operis tantique muneris.*

III. Sunt nonnulli, qui argumento illi plurimum tribuunt, quod a gentium consensu desumitur. Quia scilicet nulla gens, barbara licet sit et immanitate efferata, in hoc terrarum orbe inueniatur, quae non, existere Deum affirmet.

Ita CICERO: *Firmissimum hoc adferri uidetur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de iis praua sentiunt, id enim uitioso more effici solet: omnes tamen, esse uim et naturam diuinam arbitrantur. Nec uero id collocutio hominum aut consensus efficit; non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est.* Lib. I Tuscul. Quaest. oper. Tom. IV ex edit. Gothofredi p. 171. His assentitur SENECA: *Multum*, inquit, *dare solemus praesumtioni omnium hominum. Apud nos argumentum ueritatis est, aliquid omnibus uideri: tanquam deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est, nec ulla gens usquam adeo est extra leges moresque proiecta, ut non aliquos Deos credat.* Epist. 117.

IV. Argumentum, quod ab usu finibusque rerum petitur, nonnullis ita placet, ut ad existen-

existentiam Dei probandam nihil eo ualidius esse arbitrentur.

Sive enim totum huius mundi contextum admirabilemque structuram, siue humani corporis elegantissimam coagmentationem, siue animantium plantarumque et herbarum uarietatem et usum mente cogitationibusque percurras, omnia ita ad certum finem collocata et disposita inuenies, ut, nihil frustra adesse, lucidissime appareat. Praeclare hanc in rem GROTIVS: *Si humani*, inquit, *corporis admirabilem constructionem intus extraque conspicimus, et ut omnia ibi, etiam minima, suos usus habeant, nullo studio, nulla industria parentum, arte uero tanta, ut philosophorum ac medicorum praestantissimi nunquam ea satis possint admirari, ostendit hoc, opificem naturae esse mentem excellentissimam. - - Caelestia quoque sidera, et, quae in iis maxime eminent, sol et luna, cursus agunt ita attemperatos ad terrarum foecunditatem, et animantium ualetudinem, ut ne excogitari quidem aptius quicquam possit.* De ueritat. relig. Christianae p. m. 11 et 13, edit. Clerici.

V. Qui denique, in demonstranda DEI existentia, a mundi *contingentia* et *mutabilitate* ad ens aliquod absolute necessarium ratiocinando assurgunt, ii uero plerumque optimam simplicissimamque demonstrandi rationem iniisse iudicantur.

Argumenti uero, a mundi contingentia desumti, neruus his fere continetur enunciatis: Hic mundus est contingens, et potest esse aliter. Si itaque mundus hic potest etiam non existere, aut alio modo existere, consequens est, ut debeat adesse ratio sufficiens, cur existat (§ 15), cur hoc modo existat et non alio modo. Haec ratio sufficiens aut est in ipso mundo, aut est extra eum (§ 15 pos. III). Non potest esse in ipso mundo, alius enim mundus esset ens absolute necessarium, quod est contra (§ 152 pos. III). E. debet ratio esse extra mundum. E. debet ens existere, quod a mundo

mundo est diuersum, et in quo ratio continetur sufficiens, cur hic praecise, nec alius mundus adsit. Illud ens, a mundo diuersum, non potest esse contingens, alias pertineret ad ipsum mundum, et non esset a mundo diuersum. Ergo debet esse ens necessarium. Ergo existit ens necessarium, quod non potest non existere, quod a mundo est diuersum, et in quo continetur ratio sufficiens, cur hic mundus existat.

§ 284.

Quamuis igitur tam apertum, tamque perspicuum sit, esse aliquod numen, a quo hic mundus et effectus sit, et admirabiliter regatur, ut, id qui dubitet, haud sane intelligam, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit: fuere tamen omni tempore, et sunt etiam nunc, qui eo impudentiae procedunt, ut negent, existere Deum. Hos uocamus *Atheos*, et pestilentissimus ille error, quo nullus agnoscitur Deus, dicitur *Atheismus*.

Sunt, qui scrupulosius disquirunt, num unquam fuerint Athei? Quibus quidem, nescio, an rectius responderi possit, quam si uaria Atheorum genera curatius perspexeris. Dispesci solent Athei in *theoreticos* et *practicos*. Hi uocantur, qui, in omne uitiorum libidinumque genus effusi, ita uiuunt, ut luculenter demonstrare uideantur, se nullum Numen credere. Quales num dentur, nemo dubitat. Theoretici sunt, qui uel docent, uel sibi persuadent, non esse Deum. Qui docent in scriptis, foras datis, non existere Deum, uocantur *Systematici*, ad quos recte referas SPINOZAM, TOLANDVM, alios. At qui mente sibi persuadent, non esse Deum, *personales* a nonnullis appellantur. De quibus si iudicium ferre uelis, opus est, ut intimos

mentis receſſus latebrasque perſcruteris, quod, praeter Deum, cadit in neminem. Duos inſigniores Atheos, Diagoram ſcilicet et Theodorum, ex ueterum memoria, nobis commemorat CICERO, *nullos*, inquit, *eſſe omnino Deos*, *Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaeus putant.* Atque apud eundem Cotta, argumentum illud, quod a gentium conſenſu petitur, confutaturus *quid*, quaerit, *Diagoras*, ἄθεος *qui dictus eſt, poſteaque Theodorus: nonne aperte Deorum naturam ſuſtulerunt.* CIC. de nat. Deor. Lib. I c. 1.

Quem ad modum Athei exiſtentiam Dei negant, ita ſuperſtitio rebus humanis uim diuinam attribuit, et in multiplicandis Diis peccat. Idolorum cultores, ſuperſtitione inducti, quondam auium uolatui aut extis, regimen tribuebant fatorum, quod non, niſi Deo, competit. Rex Pruſias, cum Annibali, apud eum exulanti, pugnare placeret, negabat ſe audere, quod exta prohiberent: An tu, inquit Annibal, carunculae uitulinae mauis, quam imperatori ueteri credere? CIC. L. II de Diu. cf. de Natur. Deor. L. IV c. 28.

CAP. II.

De Eſſentia et attributis Dei in genere.

§ 285.

Si de eſſentia diuina hic commentamur, id agimus, ut exquiramus, quisnam ſit conceptus primus, ex quo, tanquam fonte, cetera, quae Deo tribuuntur, praedicata deduci, legitimeque demonſtrari debent. *Eſſentia* itaque Dei erit, qua eius exiſtentia eſt abſolute neceſſaria.

Ex

Ex hac absolute necessaria existentia proprietates diuinae demonstrantur.

§ 286.

Per *attributa* Dei intelligimus quaelibet Dei praedicata, quae de ipso possunt enunciari.

E. gr. *Quod Deus sit infinitus, omnipotens, sapientissimus*, reliqua.

§ 287.

Haec attributa Dei ex eo, quod Deus ABSOLVTE NECESSARIO EXISTAT, commode, aptoque nexu, posse deduci, sequentes propositiones testatum facient.

I. Vt Deus existat, non opus habet ui entis alterius extra se.

Quia enim Deus est ens absolute necessarium (§ 282), atque adeo rationem sufficientem, cur existat, in essentia sua habet (per def. *entis absolute necessarii*) sequitur, ut Deus in existendo non indigeat ui alterius entis extra se.

II. Deus ergo ui propria existit.

III. Ex quo lucide apparet, Deum recte dici *ens a se*.

Id enim uocatur *ens a se*, quod ui propria existit.

IV. Intelligitur hinc porro, Deum esse independentem, immutabilem, et aeternum.

Quandoquidem enim Deus rationem sufficientem, cur existat, in essentia sua continet, et ui propria existit (pos. 2.) consequens est, ut Deus sit independens. Illud enim ens dicitur *independens*, quod in

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0349
DFG

nullo alio extra se habet rationem sufficientem, cur existat.

Deum nec esse, nec esse posse mutationi obnoxium, ex eo constat, quia est ens absolute necessarium, quod mutari nequit. (Ens enim absolute necessarium aliter esse non potest, per def.).

Quod ad Dei aeternitatem attinet, eam, quamuis sciam, multis modis probari posse; haec tamen demonstrandi aeternitatem diuinam ratio, quae ab eius absolute necessaria existentia petitur, mihi uidetur ceteris anteferenda. Propositiones, in hac demonstratione, ita connectuntur.

α) Deus est ens absolute necessarium (per defin.).

β) Ens absolute necessarium non potest non existere (per def.).

γ) Atque adeo ens absolute necessarium non potest habere existendi initium (alias enim aliquando non exstitisset, quod repugnat naturae eius (§ 109), neque existendi finem (ita enim aliquando non exstiturum esset, quod itidem eius naturae aduersatur).

δ) Ens ergo absolute necessarium est aeternum.

ε) Ergo Deus est *aeternus*, i. e. nec initium, nec finem habet existendi.

V. Deus non potest esse ens compositum, sed sit ens simplex, necesse est.

Nec oriri potest Deus, nec interire (per posit. anteced.) Ens autem compositum potest oriri, si partes iungas, et interire, si easdem soluas (§ 99). Ergo Deus non potest esse ens compositum. Relinquitur ita nihil aliud, quam, ut, ipsum ens simplex esse, affirmemus.

VI. Deus est ens infinitum.

Finge, Deum non esse ens infinitum, sed finitum, tunc habebit limites (§ 121). Quod est limitibus circumscriptum, id successiue alios atque alios status potest habere (§ 120 pos. III), atque adeo est mutabile.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0350
DFG

bile. Cum uero Deus sit ens immutabile (pos. IV), intelligitur, Deum non esse ens finitum, sed infinitum.

VII. Deus ergo omnes perfectiones realitatesque, quae tantum in eo sunt possibiles, possidet actu, et quidem absolute et sine ullo gradu.

Id enim praecipuum entis infiniti attributum est, quod demonstratum dedimus § 122 pos. III & IV.

VIII. Deo nihil concipi potest maius, et est immensus.

Ente enim infinito nihil concipi potest maius (§ 122), atque adeo manifestum est, ipsi Deo certam quandam et determinatam magnitudinem perfectionum attribui non posse. Quo ipso patet, Deum esse *immensum*.

IX. Quia plura entia infinita esse non possunt (§ 122 pos. IV), sequitur, ut tantum sit unicus Deus, nec possunt plures Dii esse, quam unus.

Inter alia ueterum testimonia, quae de uno Deo perhibuerunt, illud uel in primis memorabile est, quod GROTIVS ex SOPHOCLE adfert:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐφ' Θεός,
Ὃς οὐρανὸν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν
Πόντου τε χαραπὸν εἰδματ' ἀνέμων βίας

X. Quae Deo insunt, ipsi insunt sine temporis successione.

Quod luculentius ex entis infiniti natura demonstratur (§ 122 pos. V).

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0351
DFG

CAP. III.

De Intellectu diuino.

§ 288.

Ex iis, quae capite antecedenti demonstrata sunt, facile nunc intelliges ea, quae ad diuini intellectus infinitam perfectionem & magnitudinem distinctius perspiciendam pertinent. Quaeque his propositionibus distributius explicanda putabimus.

I. Est in Deo intellectus isque absolute perfectissimus.

Sunt enim in Deo omnes realitates perfectionesque actu, quae ipsi inesse possunt (§ 287 pos. VII), atque adeo quoque intellectus, quem in condendo mundo ita quasi praesentem uideas, ut in uilissimo quoque corpusculo, tanquam in speculo, reluceat eius excellentia et maiestas. Quod autem intellectus Dei sit absolute perfectissimus, ita, ut eo non maior intellectus concipi queat, id uero ex eo demonstratur, quia, quicquid Deus possidet, id, ob infinitatem, possidet in gradu absolute summo, uel potius sine gradu (§ 287 pos. VII).

II. Deus non ea modo omnia, quae existunt, sed quae existere quoque possunt, quamuis nunquam exstitura sint, unico actu distinctissime cognoscit intimeque perspicit.

Cum enim Deus gaudeat intellectu perfectissimo, (pos. I), intellectus autem perfectissimus habendus sit is, qui α) omnia possibilia, β) distinctissime, γ) unico actu & simul repraesentat (§ 205), patet, Deum non has modo res, quae adsunt aut exstiterunt,

runt, distinctissime sibi repraesentare, sed ea quoque cognita habere pleneque perspecta, quae nec exstiterunt, nec sunt, nec fortasse erunt, fieri tamen possunt, si alia esset caussarum series, aliusque effectorum, ex his caussis, tanquam seminibus, nascentium ordo. Quin etiam haec omnia Deus cognoscit non diuiso, quod fit in hominibus, intelligendi actu, non per partes, non per interuallum suspenso, sed uno momento uniuersa contuetur, et uno in conspectu cernit omnia, quia in ente infinito non locum habet temporis successio (§ 287 pos. X).

III. Intellectus Dei est purissimus, atque adeo nec sensio, nec imaginatio in summo Numine locum habere potest.

Sunt enim repraesentationes intellectus diuini distinctissimae, et ab omni confusione et obscuritate liberae. Repetantur hic ea, quae supra de intellectu puro diximus § 206.

§ 289.

Quicunque omnia ea, quae existunt, quaeque fieri possunt, penitus distinctissimeque perspicit, eum, patet, nihil posse nescire. Deum ergo esse omniscium, ex his, quae de eius intellectu disputauimus, luculenter cumulateque intelligitur.

De omniscientia diuina praeclare Poeta:

- - - Vide, qui cuncta suorum
Nouit, et inspectis ambit latus omne ministris
Nec mirum: videt ille ortus obitusque: quid Arctos
Quid Boreas hibernus agat; ferrique togaeque
Consilia, atque ipsam mentem probat.

Stat. 5 Sil. 1.

CAP. IV.
De Voluntate Dei.

§ 290.

Quandoquidem Deus, quae est infinita eius intelligendi uis, omnia, quae sunt, aut esse possunt, distinctissime cognoscit; manifestum est, ipsum quoque omnia, quae bona sunt, distinctissime perspecta habere. Neque adeo fieri potest, quin his bonis, distinctissime cognitis, delectetur, eademque appetat, id quod ex natura indoleue boni cogniti supra demonstrauimus, § 229 seqq.

§ 291.

Hic actus, quo Deus appetit bonum, dicitur *uoluntas Dei*, de qua has positiones tecum communicabo.

I. Voluntas Dei est perfectissima.

Cum enim, quae sunt in Deo, omnes excludant gradus, infinitasque eius requirat, ut nulli perfectionibus eius constituantur limites (§ 287 pos. VI), euidens est, uoluntatem, nisi perfectissimam, esse in Deo non posse.

II. Deus uult omnia quae bona sunt.

Postulat enim id uoluntas perfectissima, cuius praecipuum attributum est, tendere et ferri in OMNIA bona.

III. Deus uult omne bonum pro exacta bonitatis mensura, i. e. bonum maius praefert minori, atque adeo ex pluribus rebus, quae magis minusue bonae sunt, eligit id,

id, quod perfectius est finibusque suis conuenientius.

Fac, Deum non appetere, pro bonitatis mensura, tum minus bonum praeferret maiori, nec adesset consensus inter actum uolendi, et inter magnitudinem boni, in re, quae appetitur, obuii. Cum uero, ubi deest consensus, ibi desit aliqua perfectio (§ 64), intelligitur, Deum ita non esse perfectissimum, quod est absurdum, scelestumque dictu.

IV. Ex his conficitur, Deum non nisi id appetere, quod est optimum, i. e. finibus suis conuenientissimum.

V. Illud autem optimum, in quod Dei uoluntas fertur, non ex hominum iudicio, saepius fallaci, aestumari debet, sed id hic *optimum* recte dixeris, quod Deus finibus suis conuenientissimum iudicat.

Voluntas enim diuina perfectissima Dei intellectu nititur, qui, ut docuimus iam iam, distinctissime perspicit, quae res sit bona, quae melior, quae optima. Positionibus his superstruitur doctrina, recentius controuersa, de MVNDO OPTIMO, cuius propugnationem suscipiunt alii, alii eum impugnant, et subuertere allaborant. Qui mundum optimum defendunt, ita positiones suas connectere solent.

α) Hic mundus est ens contingens et esse potest aliter.

β) Sequitur ergo, ut, praeter hunc mundum, plures alii sint possibiles.

γ) Ex his pluribus possibilibus mundis, quos Deus ab aeterno sibi distinctisime repraesentauit, Deus elegit praecise hunc mundum, nec alium.

δ) Deus autem, quae est uoluntas eius perfectissima, eligit non nisi id, quod est finibus suis conuenientissimum.

ε) Ergo hic mundus finibus suis est conuenientissimus.

ζ) Mundus, qui finibus Dei est conuenientissimus, dicitur *optimus*, *siue perfectissimus*.

η) Ergo hic mundus est OPTIMVS siue PERFECTISSIMVS.

Vt autem intelligas, a quibus primordiis ducta sit controuersia de MVNDO OPTIMO, quam possumus breuissime rem, ut gesta est, narrabimus. LEIBNITIVS, impeditam illam, multisque intercluſam difficultatibus, quaestionem, de ORIGINE MALI, enodatius expositurus, BAILIVMque, qui contortulis quibusdam et minutis concluſiunculis effici uolebat, originem mali ad Deum quendam malum esse referendam, confutaturus, suam de MVNDO OPTIMO opinionem in lucem conſpectumque proferebat, malumque propterea, quod hic mundus, in quo insit malum, sit optimus, ab eo, negabat, seiungi posse. Vt adeo uideas, quaestionis de mundo optimo stirpem et incunabula quaeri debere in altera illa, tot implicata controuersiis, quaestione de origine mali. PETRVS BAILIVS, in explicanda *mali* origine, tot tantosque difficultatis nodos occurrere arbitrabatur, ut uix expediri eos posse, crederet. Rationem, doctrinamque, diuinitus humano generi patefactam, aduersis velut frontibus, putabat, inter se pugnare, atque, ob inteſtinam quandam discordiam, quae eas in unum coire non facile pateretur, adfirmare alteram, opinabatur, quod negaret altera. Quod uel ex eo lucide apparere aiebat, quod ratio eas adferat dubitationes contra illa, quae de funesta exitialique humani generis parentum prolapsione, in sanctioribus litteris praecipiantur, ut ex iis se expediendi nulla detur via, nihilque prorsus sit, quod minus possit explicari. Rationem, negabat, perspicere, qui fieri possit, ut Deus sit bonus, sapiens, sine macula, si condat hominem, mox, conſcele-

sceleratissima mente, in flagitia omnia prolapsurum, si malorum plenus sit mundus, ubi nec diuinum quicquam, nec humanum sit sanctum.

LEIBNITIVS in eo omnes ingenii neruos contendebat, ut BAILIVM, de suis deiectum praesidiis, prosterneret, atque adeo ipsius nodos dissolueret. Borussorum regina, Sophia Carolina LEIBNITIVM identidem rogarat, ut scrupulos, quos ex Bailianarum scriptionum lectione sibi sentiebat iniectos, eximeret, BAILIVMque confutaret. LEIBNITIVS ergo, reginae obsecuturus precibus, in lucem proferebat, idque gallico sermone, meditationes illas, quae Theodicaeae nomine circumferuntur. In hoc libro LEIBNITIVS nouam Bailianas soluendi difficultates rationem init, qua bonitatem Dei a maleuolorum criminationibus uindicari optime, malique originem planissime posse explicari, vir eruditissimus est arbitratus. De Theodicaeae Leibnitianae argumento sic habeto: *Deus*, inquit, *est intelligentissimus, sapientissimus, sanctissimus. Atque adeo non potuit non eligere id, quod est OPTIMVM*, siue quod est MELIVS. *Cum ergo Deus hunc potissimum mundum prae pluribus aliis elegerit, omnesque omnino, qui existere poterant, mundos ex omni aeternitate, distinctissime perspexerit, consequens est, ut hic mundus, quem Deus ceteris praeferendum putauit, et in quo malum futurum accuratissime praeuidit, sit optimus.* Plura uide in dissertatione nostra de mundo optimo § 6 seqq. De mundi perfectione haec legis apud CICERONEM: *Mundus, quoniam omnia complexus est nec est quidquam, quod non insit in eo, perfectus undique est. Quid igitur potest ei deesse, quod est optimum?* Item: *Cum constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nil admiscere quoad natura pateretur. Fas autem nec est, nec unquam fuit, quicquam, nisi pulcherrimum, facere eum, qui esset optimus.* De Natura Deorum L. II c. 14. conf. SENECA L. VII de Benef. c. 7.

VI. Vo-

VI. Voluntas Dei est immutabilis.

Quandoquidem intellectus diuinus est perfectissimus, atque adeo id, quod bonum est, distinctissime cognoscit (§ 88 pos. I), fieri non potest, ut, quod, tanquam bonum, sibi repraesentauit, post aliquod tempus sibi repraesentet, tanquam malum. Voluntas ergo semper manebit eadem, nec mutari potest.

VII. Voluntas Dei est liberrima.

Est enim α) in Deo perfectissima boni maliue intelligentia, β) non dependet a quoquam Deus, atque adeo ipse se ad appetendum determinat, γ) ob uoluntatem perfectissimam semper eligit optimum (§ 291 pos. IV). Haec tria ueram constituere libertatem, supra diximus (§ 267 pos. VIII).

VIII. Voluntas denique est principium omnium rerum contingentium existentium, nec quicquam potest ad existentiam peruenire, nisi quod Deus uult.

Totus enim mundus rationem sufficientem, cur existat, habet in Deo (§ 282). Num fortasse in eius essentia? Minime uero. Ita enim mundus non esset contingens, sed absolute necessarius. Ergo in eius actu uolendi.

§ 292.

Ita tibi munitur uia ad cognoscendam voluntatem diuinam.

I. Quicquid est, uel fit, id etiam uult Deus.

Haec cognitio uoluntatis diuinae est cognitio a *posteriori*.

II. Si a priori uis cognoscere uoluntatem Dei, inquirendum tibi est, num aliquid sit diuinis perfectionibus conueniens.

III. Si

III. Si Deus homini IMMEDIATE uoluntatem suam significat, tum hoc dicimus REVELATIONEM.

Non disputabimus nunc, num Deus aut reuelauerit unquam hominibus voluntatem suam, aut reuelare debuerit. Id nunc agemus, ut quasdam notas et characteres recensemus, quibus reuelatio ab omnibus aliis rebus internoscatur.

§ 293.

Notae autem et criteria uerae reuelationis his fere continentur positionibus.

I. In reuelatione debent tradi ueritates, quae sunt supra rationem, siue, quarum ὕψος et praestantiam ratio capere nequit.

Si enim Deus reuelaret ueritates, quae iam cognitae sint ex ratione, aut ex eadem cognosci possint, tum Deus reuelaret eas sine ratione sufficienti. Reuelare enim ea, quae capiat ratio, sibi relicta, est actum agere.

II. Atque adeo reuelatio continere debet mysteria.

Sunt enim mysteria ueritates supra rationem positae, quae a reuelatione abesse non debent (pos. I).

III. Sed illa mysteria, in reuelatione tradita, non debent ueritatibus ex ratione cognitis aduersari iisdemque esse contraria.

Veritas enim, quae rationis principiis nititur, et ueritas reuelationis eundem habent auctorem, scil. Deum. Deus uero sibi ipse nequit contradicere.

IV. Quae in reuelatione continentur ueritates, non possunt sibi inuicem contradicere.

Neque

Neque enim ueritas ueritati aduerſatur, neque ipſe ſibi Deus eſt contrarius.

V. Nihil occurrat in reuelatione, quod perfectionibus diuinis ſit indignum.

VI. Debet reuelatio ſuppeditare media, quae ſufficiant ad ſalutem, per rationis lumen non impetrandam. Salus enim humani generis niſi promoueatur reuelatione, quid ea opus eſt?

§ 294.

Ad attributa, cum uoluntate Dei connexa, pertinent *ſapientia*, *bonitas*, *iuſtitia*, *omnipotentia*.

§ 295.

Notionem *Sapientis* ac *Sapientiae* diſtinctam his habeto. *Sapientem* dicimus, qui eligit id, quod finibus ſuis eſt conuenientiſſimum. *Sapientiam* definimus per ſcientiam, optimum eligendi, ſiue media et fines ſibi inuicem recte ſubordinandi.

§ 296.

Quandoquidem Deus, ob intellectum perfectiſſimum, omnia, quae ſunt, aut fieri poſſunt, diſtinctiſſime cognoſcit (§ 288 poſ. II), omnes quoque finium mediorumque connexiones perſpectas ita habet, ut, qua uia quibusue mediis fines optimi poſſint impetrari, diſtinctiſſime ſciat. Dubitari ergo non poteſt, Deum ſapientia gaudere ſumma et perfectiſſima.

§ 297.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0360
DFG

§ 297.

Propenſio ac ſtudium aliis perfectiones conferendi dicitur *Bonitas*, quae ſumma eſt et perfectiſſima, ſi ſtudium adeſt intenſiſſimum, entibus omnibus perfectiones omnes, quas capere poſſunt, conferendi.

§ 298.

Cum Deus, ob perfectiſſimam uoluntatem omne uelit bonum, (§ 290 poſ. III), dubitari non poteſt, Deum quoque uelle omnibus rebus, abs ſe conditis, perfectiones conferre, quas capere poſſunt. Deum ergo ſumme eſſe bonum, lucide apparet.

Neque bonitatem diuini Numinis uel ideo quis in dubium uocauerit, quod, experientia teſte, plures res in hoc ſunt uniuerſo, in quibus exigua bonitatis diuinae veſtigia deprehendere tibi uidearis. Tantum unicuique rei creatae largitur Deus, quantum capere ipſa poteſt, et quantum ſapientia, nexum et conuenientias rerum ſpectans, permittit.

§ 299.

Iuſtitiae notionem diſtincte euoluit WOLFIVS, qui ad eam conſtituendam requiri haec duo exiſtimat, α) *Bonitatem*, β) *Sapientiam*, ad cuius leges attemperetur bonitas. *Iuſtitia* ergo eſt bonitas cum ſapientia connexa.

Bonitas ſcilicet tribuit unicuique, ſapientia autem oſtendit, quid ſit illud tandem, quod tribuere deceat, aut negare oporteat, pro rei conuenientia.

§ 300.

Vbicumque ergo eſt ſumma bonitas, ad ſapientiae perfectiſſimae leges temperata, ibi ſummam

mam esse iustitiam, patet. Vt adeo Deo, quippe qui est benignissimus et sapientissimus, summa iustitia tribui debeat.

§ 301.

Potentiam dicimus esse facultatem, ea, quae possibilia sunt, ad existentiam perducendi. *Summa* haec est et *perfectissima* potentia, cum quis omnia possibilia ad existentiam perducendi facultate gaudet.

§ 302.

Cum Deus totum hunc mundum perduxerit ad existentiam (§ 282), dubitari non potest, Deo tribuendam esse potentiam, quae, quia Deus nullos agnoscit limites, summa est, infinita, et perfectissima, quae uocatur *omnipotentia*.

Huic omnipotentiae omnia possibilia sunt subiecta. Quae autem inter ἀδύνατα referenda sunt, neque adeo ad existentiam perduci possunt, ea non subiacent Dei omnipotentiae.

§ 303.

Cum in Deo omnes concurrant perfectiones, neque adeo ulla in eo esse possit imperfectio (§ 287 pos. VII), consequens est, ut Deus sit Sanctissimus. Est enim *Sanctitas* Dei nihil aliud, quam exclusio omnium imperfectionum.

§ 304.

Decretum Dei est ipsa executio siue actus et determinatio uoluntatis, qua id, quod contingens est, existens redditur.

Alii ita: *Decretum* est Numinis uoluntas de uniuerso ad actum perducendo.

§ 305.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0362
DFG

§ 305.

De decretis diuinis has positiones teneto:

I. Decreta Dei sunt immutabilia. Voluntas enim Dei est immutabilis.

II. Nihil potest euenire, nisi quod Deus decreuit.

Voluntas enim diuina est principium et fons rerum existentium.

III. Decreta Dei sunt liberrima. Voluntas enim diuina est liberrima (§ 291 pos. VI).

CAP. V.

De Operibus diuinis.

§ 306.

Operum diuinorum praecipua duo haec sunt: CREATIO et PROVIDENTIA. Creatio est productio rei ex nihilo.

Creationis notionem BÜLFINGERVS paullo aliter format. *Mea quidem sententia*, inquit, *foret etiam illa ueri nominis creatio, si Deus ab aeterno realitatem illi largiretur, quod ex sese nullam habet, adeoque de se ipso nihil est.* Dilucidat. philos. p. 186.

§ 307.

In condendo mundo hunc Deus intendit finem, ut perfectiones suas, maxime uero sapientiam bonitatemque, generi humano omnibusque creaturis intelligentibus manifestaret. Id

uel exinde colligitur α) quia Deus sua caussa non creauit mundum. Fuisset enim perfectissimus, quamuis nullus mundus fuisset; β) quia omnia in hoc mundo sunt ita disposita et connexa, ut in unius cuiusque corporis structura, et rerum adspectabilium ordine, tanquam in speculo, reluceat sapientia diuina, ceteraeque perfectiones inde lucidissime conspici queant.

§ 308.

Cum perfectiones Dei creatoris intelligentibus manifestantur, tum *gloria Dei illustrari* dicitur. Atque adeo intelligis, quid sit, quod mundo condendo gloria Dei illustrata dicatur.

§ 309.

Cura Dei pro creaturis dicitur *prouidentia diuina*, quam qui rectius intelligere uoluerit, is et conseruationem, et concursum, & gubernationem hac cura contineri, sciat.

§ 310.

Quandoquidem omnes res, quae in hac rerum uniuersitate existunt, ideo existunt, quia Deus uult eas existere (§ 282), consequens est, ut, si res existere in posterum diutiusque debent, Deus uelle debeat, ut eae in posterum existant. Haec uoluntatis diuinae continuatio de rei creatae existentia dicitur *conseruatio*.

In omni autem re, quae existit, duo sunt consideranda, α) *res ipsa*, quae conseruatur, β) eius *limites*. Res ipsa a Deo conseruatur, sed limites rei aliunde accedunt, neque ii conseruationi diuinae subiacent. e. gr. Vis repraesentandi in mente humana est *reale*, quod Deus conseruat. At quod anima nonnunquam aliquid sibi uel obscure, uel confuse repraesentet, quodque adeo erret, et in iudicando labatur aut decipiatur, id uero a limitibus, quibus mens humana definita est, dependet.

§ 311.

Intelligi hinc potest, quid sit *concursus Dei*. Actio scilicet uoluntatis diuinae, qua Deus id, quod in re quapiam reale est, in ui actiua conseruat, dicitur *concursus*.

E. gr. Quaeritur: num Deus concurrat ad motum, qui conspicitur in manu furis, alteri suum eripientis? respond. *Vim mouendi* conseruat Deus in manu furis, quo ipso continetur Dei concursus. At *limitationes motus*, a quibus prouenit, ut motus sit hic motus, nec alius, non diuino concursu diriguntur.

§ 312.

Gubernatio diuina, est directio mediorum et actionum, ad certum aliquem finem. Cum Deus, propter sapientiam infinitam ita cum finibus media connectat, ut id, quod optimum est, obtineatur (§ 295), consequens est, ut Deus omnia gubernet.

§ 313.

Ita manifestum fit, Deum, cum et conseruet et gubernet omnia (§ 310, et 312), omnium curam gerere, atque adeo rebus creatis prouidere (§ 309).

Quae prouidentiae diuinae poterant uideri aduersari, ea adduxit SENECA de prouidentia. Inprimis prouidentiae diuinae illud contrarium uideri poterat, quod Deus innumera mala in hoc mundo permiserit, quae, ob sanctitatem infinitam, non potest non auersari. Quare, qui hic nectuntur, difficultatis nodos, paucis his, ex mente LEIBNITII, expediemus.

I. LEIBNITIVS, malum aliud esse, dicit, *metaphysicum*, quod consistit in rerum creatarum limitatione, aliud *malum morale*, quod continetur legis transgressione, aliud denique *physicum*, quod efficitur perpessione doloris, et ex malo morali oritur.

II. Malum metaphysicum non potuit Deus impedire, quia limitationi, quae a rerum creaturam essentia seiungi nequit, adhaeret.

III. Mali moralis non auctor est Deus, sed illud permisit ob rationes suae sapientiae conuenientissimas. Si conuenientius fuis-

fuisset, malum morale impedire, impediuisset potius illud, quam permisisset.

§ 314.

Ex notione prouidentiae diuinae intelligi potest, in quo consistat omnipraesentia Dei, ad quam haec duo requiruntur, α) ut Deus sibi omnia repraesentet, β) ut omnia operetur in omnibus.

Praesens enim id alteri dicitur, quod operatur in alterum.

§ 315.

Cum Deus omnia possibilia sibi distinctissime repraesentet, (§ 288 pos. II), et omnes res conseruet, ad easque concurrat (§ 310), intelligitur, Deum omnibus rebus esse praesentem.

§ 316.

Ex his, quae de Deo diximus, haec fluunt consectaria.

I. Deus est ens actuosissimum. Demonstratur id ex ipsius conseruatione aeque, ac gubernatione rerum creatarum, quibus est semper praesens.

II. Deo competit summa maiestas et gloria. Consistit enim haec in complexu omnium perfectionum possibilium, quas Deo, ob infinitatem, non possumus non tribuere.

III. Deus est beatissimus, sibique sufficientissimus. Sunt enim omnes perfectiones in Deo, quae concipi possunt (§ 287 pos. IX), atque adeo ipsi nihil deest ad summam, quae cogitari potest, voluptatem.

IV. Deus est dominus omnium rerum. Cum enim Deo subiecta sint omnia, quae existunt (§ 287 pos. VI), ipse autem a nemine dependeat, intelligitur, eius uoluntati ita omnes res esse subiectas, ut nemini rationem reddere teneatur.

FINIS TOTIVS METAPHYSICES.

PHILOSOPHIAE MORALIS INSTITVTIONES IVS NATVRAE, ETHICAM, ET POLITICAM COMPLEXAE.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0369
DFG

PHILOSOPHIA MORALIS.

PRAEFATIO.

§ 1.

Dum in eo nunc uersamur, ut, quibus mores hominum conformari debent, regulas enodatius exponamus, id nobis, existimamus, datum esse negotii, ut, primo quidem loco, in philosophiae, quam uocant, practicae siue actiuae naturam, atque item in singulas eius partes penitius inquiramus.

§ 2.

Vt ergo rectius intelligatur, quid sit illud, quod philosophiam practicam siue moralem constituat, ad has uolo attendi positiones.

I. Experientia quemque cumulatius docet, uoluntatem nostram non nisi id appetere, quod nobis, tanquam bonum aliquod, repraesentauerimus, et id tantum

refugere et auersari, quod malum esse opinamur.

Positionem hanc in metaphysica uberius explicatam et stabilitam inuenies § 230.

II. Deprehendimus porro per experientiam, nos saepius, opinionis errore, nescio quo, id bonum existimare, quod reuera malum est, et id haud raro pro malo habere, quod bonum est.

III. Quo fit, ut uoluntas, recto lapsa tramite, identidem in id feratur, quod uerum malum est, et id saepenumero auersetur, quod bonum est et salutare. Sic ergo mirum uideri nemini debet, complures homines, in praecipitia quaeque ac funestissimum prolapsos exitium, uera ac duratura orbari felicitate.

IV. Quare, quantum interest, homines, ad decus est felicitatem natos, fine suo non excidere, tanti quoque refert, tradi ipsis uiam rationemque, qua possint uoluntatem ita dirigere, ita conformare, ut non, nisi in uerum bonum, feratur, malumque omne et nociturum declinet et auersetur.

V. Atque id ipsum est, in quo philosophia practica siue actiua, aut, si mauis, moralis uersatur.

VI. Vt adeo pateat, philosophiam practicam, siue moralem nihil esse aliud, quam eam philosophiae partem, qua praecepta tradun-

traduntur, quibus uoluntas humana in eligendo bono et fugiendo malo dirigitur.

§ 3.

Hac philosophiae practicae definitione praestructa, facile nunc intelliges enunciata, quae hac definitione continentur, quaeque, quam possumus ordine maxime concinne, euoluemus.

I. Cum philosophia practica siue moralis praecepta tradat, quibus uoluntas humana in eligendo bono fugiendoque malo dirigitur (§ 2 pos. VI), primo quidem loco opus est, ut ipsa doceat, quaenam sint illa bona, quae uoluntas appetere, et quaenam sint illa mala, quae eadem auersari debeat.

II. In philosophia ergo practica certae quaedam regulae et propositiones tradantur necesse est, quae determinent, quid bonum sit, quidue malum, quaeque adeo homini indicent et praescribant, quid ipsi sit appetendum, quidue auersandum item et fugiendum.

III. Regulae siue leges, quae, quid faciendum, fugiendumue sit, homini indicant, debent esse ita comparatae, ut uiribus humanis sint accommodatae, i. e. ut ea praescribant, quae sint in uiribus ac potestate hominum posita. Vires, quibus anima aeque ac corpus hominis gaudent, constituunt eius naturam (§ 162 Cosmol.). E quas philo-

philosophia actiua tradit, regulae et leges ex ipsius hominis natura sunt deducendae.

IV. Vnde oritur noua disciplina practica, in qua leges naturales, quibus homines ad bonum faciendum, et ad malum euitandum obligantur, exponuntur. Atque haec disciplina dicitur IVS NATVRAE, quod est scientia legum naturalium, quibus homo obligatur.

V. Non autem ad felicitatem hominis stabiliendam sufficit, praescribere ipsi regulas, ad quas suas conformet actiones, aut, quod idem est, iubere tantum facienda, et prohibere omittenda, sed id quoque accedat, oportet, ut modus uiaque demonstretur, qua homo legi naturae obsecundare, suamque adeo felicitatem, eius imperata faciendo firmare et amplificare possit.

VI. Hinc existit alia, a priori prorsus diuersa, disciplina, quae praecepta tradit, quibus modus uiaque traditur, actiones suas ad ea, quae legibus, iure naturae sancitis, mandata sunt uel uetita, conformandi. Hanc disciplinam nominamus ETHICAM, quam recte dicimus scientiam earum regularum, quibus ratio et modus ostenditur, ea faciendi, quae iure naturae sancita sunt, et ea omittendi, quae eodem prohibita sunt.

VII. Homo considerari potest, uel ut homo tantum, uel quatenus uiuit in communi-

munitate et ciuili societate. Quid homini, quatenus est homo, sit faciendum uel omittendum, docet ius naturae et Ethica: illud quidem ita, ut leges obseruandas praescribat, haec uero ita, ut modum uiamque legibus naturalibus obsequendi ostendat (pos. VI). Quid uero homini, quatenus est ciuis, sit faciendum, omittendumue, docet POLITICA.

VIII. Vt adeo ex his conficiatur, *politicam* nihil esse aliud, quam scientiam siue disciplinam, qua praecepta traduntur, quibus hominis, quatenus in re publica, ut ciuis, uiuit, actiones dirigi conformarique debeant.

IX. Omnes uero has philosophiae actiuae siue practicae partes minus recte tractabimus, nisi antea, methodo mathematicae conuenienter, principia quaedam et fundamenta praestruxerimus, ex quibus ueritates positionesque, cum in Ethica, tum in Iure naturae politicaque occurrentes legitimo nexu possint demonstrari.

X. In his ergo notionibus uniuersalibus, generalioribusque positionibus demonstrandis occupata est philosophia *practica uniuersalis*, quae nihil est aliud, quam eiusmodi scientia, in qua generalissima traduntur fundamenta et principia, ex quibus praecepta morum et ueritates discipli-

ſciplinarum practicarum legitimo nexu poſſunt demonſtrari.

§ 4.

Intelligis adeo, quae diſciplinae ambitu philoſophiae moralis ſiue practicae contineantur. Vides item, quomodo commentandi ordo in diſciplinis moralibus tradendis ſit inſtruendus.

I. Principia generaliora praefulcienda ſunt, et uniuerſaliores notiones euoluendae, ſine quibus ueritates iuris naturae et ethicae intelligi nequeunt. Atque adeo philoſophiam practicam uniuerſalem, ſiue doctrinam morum generalem primo loco pertractabimus.

II. Quo facto, leges, quibus unusquisque homo, ut homo ſpectatus, obligatur ad bonum committendum, et ad malum fugiendum, percenſebimus. Quod cum in Iure naturae fieri debeat (§ 3 poſ. IV), ius naturae altero loco exponemus.

III. Tum rationem quoque uiamque demonſtrabimus, qua habitus ſiue facilitas legi naturae conuenienter uiuendi acquiri poſſit. Quod quidem cum pertineat ad Ethicam (§ 3 poſ. VI), Ethica tertio loco ſequetur.

IV. Denique ea, quae homini, quatenus uiuit in communitate et conſociatione, obſeruanda ſunt, commentabimur. Ex quo POLITICA ultimo loco orietur.

CAP. I.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0376
DFG

CAP. I.

De Actionibus humanis earumque differentia.

§ 5.

Quandoquidem in philosophia morum, quae de rebus expetendis fugiendisque praecipit, uniuersaliores notiones debent praemitti, et generaliores propositiones fundamenti loco substerni (§ 4 pos. 1), nostrum est, exponere, quid sit *actio libera*, quid *bona actio*, *quid mala*, quid *lex*, *obligatio*, *poena*, *praemium*, *uirtus*, *uitium*, *felicitas*, *conscientia*, cetera.

§ 6.

Experientia magistra, nouimus, nonnullas actiones, in homine obuias, esse eiusmodi, ut non sit in potestate nostra, utrum eas suscipere uelimus, nec ne, alias uero ab hominis libertate proficisci, ita quidem, ut pro lubitu eas uel suscipere possimus, uel omittere. Illas uocamus *actiones necessarias*, itemque *naturales*, has uero *liberas*, nonnunquam etiam *morales*.

E. gr. Quod anima cogitet, et perceptiones producat, id est actio animae necessaria siue naturalis. Non est enim in cuiusquam arbitrio et potestate positum, num cogitare uelit, nec ne. Anima enim, interno et continuo quasi motu agitata, suas perceptiones producit, uelimus, nolimus. Concoctio stomachi itidem est actio naturalis siue necessaria. Stomachus enim per structuram suam et naturam ita determinatur, ut cibum concoquat, siue homo uelit,

uelit, siue nolit. Sed si quis librum obscenum in manus sumserit, eundemque perlegerit, tum haec actio est libera. Poterat enim alius liber, isque castior et utilior, euolui, et in potestate arbitrioque illius, qui librum obscenum legit, positum est, utrum eum uelit legere, nec ne.

Inter actionem necessariam et liberam tanquam mediam, interiacere actionem mixtam, putant nonnulli. Actionem mixtam, libere quidem, aiunt, suscipere hominem, at non libenter, siue *actio mixta* tum dicitur, cum quis, grauiori adactus necessitate, aliquid, tanquam minus malum, eligit et suscipit, quod, sine hac necessitate, nunquam suscepisset.

E. gr. Cum mercator, aestu maris et procellis in uitae discrimen coniectus, ideo merces in mare proiicit, ut uitam suam conseruet, tum illa proiectio mercium in mare, quam mercator suscipit, dicitur actio mixta. Libere enim hanc actionem suscipit, non libenter.

Quae subtilius a nonnullis hic disputantur de differentia actionis HVMANAE, et actionis HOMINIS, non uidentur esse eiusmodi, ut iis uerbosius percensendis immoremur. Pauca ergo, hanc in rem, hic annotabimus. *Actio* scilicet *hominis* illa dicitur, quam homo habet cum brutis communem, e. g. *dormire, edere, bibere, sui simile procreare, crescere*, cetera. *Actio* uero *humana* dicitur, quam homo cum brutis aut plantis non habet communem. E. g. Bonum a malo distinguere, ratiocinari, et unum ex altero colligere, facere item id, quod legi conforme est. Eodem fere modo, in uita communi, distingui audimus inter actionem regis, et actionem regiam. Iacobus I, rex Angliae, multas declamationes scholasticas coram concione habebat, quae actio erat regis, non regia.

§ 7.

§ 7.

His praefultis, ſequentes intelligi poſſunt poſitiones.

I. Nulla actio dici poteſt libera, niſi quae decernente uoluntate ſuſcipiatur. Nemo enim poteſt libere agere, niſi qui eligit ex pluribus poſſibilibus id, quod ſibi maxime placet (per defin. libertatis § 267 poſ. VIII Metaphyſ. trad.). Nemo poteſt ex pluribus poſſibilibus eligere id, quod optime placet, niſi unum appetat prae altero (per defin. *electionis*). Nemo poteſt appetere unum prae altero, niſi decernente uoluntate (τὸ enim *appetere* non aliunde, niſi a uoluntate, ortum trahit, id quod uel ipſa uoluntatis definitio commonſtrat). Ergo nemo poteſt libere agere, niſi qui agit ex decreto uoluntatis. Ergo nulla actio dici poteſt libera, niſi quae, decernente uoluntate, ſuſcipiatur.

II. Nulla actio libera dici poteſt, niſi, quae, praelucente intellectu, ſuſcipiatur. Si enim actio libera illa eſt, quae a libertate proficiſcitur (§ 6 poſ. VI), ibi autem nulla libertas locum habere poteſt, ubi non locum habet intellectus et ratio (§ 267 Metaphyſ.), conſequens eſt, ut nulla actio libera dici poſſit, niſi quae, praelucente intellectu, ſuſcipiatur.

III. Intelligitur hinc, recte a nonnullis philoſophis intellectum et uoluntatem PRINCIPIA dici actionum liberarum. Vid. HEINECCII Ius Nat. et Gent. § 30.

IV. Patet ratio, cur PVFENDORFIVS actionem humanam (sic enim uocat actionem liberam) definiuerit per eiusmodi motum, qui, uelut praelucente intellectu, ac decernente uoluntate, suscipitur.

V. Manifestum ex his fit, actiones, quas homines, rationis destituti usu, eiusdemque praesidiis nudati, suscipiunt, ad actiones liberas neutiquam esse referendas.

VI. Actiones ergo phreneticorum, delirorum, noctambulonum, summe ebriorum, alto somno sopitorum non pro liberis sunt habendae.

§ 8.

Omnis actio libera, quae ab homine suscipitur, est eiusmodi, ut ex ea nonnullae oriantur mutationes, in homine, eiusdemque statu, uel externo, uel interno, id quod experientia et suus quemque sensus condocet.

Si Caius opes luxuriando profundit, remque suam strenue conficit, nonne ex hac profusione innumerae proueniunt mutationes in statu Caii, uel interno, uel externo, quas recte dixeris effectus aut consectaria profusionis.

§ 9.

Dum itaque, ex qualibet hominum actione libera, consectaria quaedam et mutationes, tanquam ex sua causa effectus proueniunt (§ 8), facile intelligis, aut illas mutationes, ex actionibus liberis oriundas, esse eiusmodi, ut cum natura

natura hominis conueniant, uiresque, corpori animaeque diuinitus conceſſas, et conſeruent, et promoueant, atque adeo ſtatus nouus, ex actione reſultans, conſentiat cum ſtatu antecedenti, uel eſſe ita comparatas, ut naturae humanae, quae in uirium, animae et corpori diuinitus impreſſarum, complexu conſiſtit, ſint contrariae, atque adeo nouum ſtatum producant, ſtatui antecedenti prorſus contradicentem.

Vt haec facilius capias, ad ſequens attende exemplum. Fac, Caium ſobrie temperanterque uiuere. Fieri ergo non poterit, quin eiusmodi mutationes ex ſobria hac uita proueniant, quae ſint naturae Caii, i. e. uiribus ipſius conſeruandis augendisque conuenientiſſimae. Non eſt, quod funeſtas actionum ſuarum conſecutiones uereatur, non eſt, quod ſenex de effoeto corpore, per intemperantiam et lubidinem ſenectuti tradito, conqueratur. Summus hic ſtatuum, praeſentis, praeteriti ac futuri conſenſus conſpicitur. Quod multo aliter fit in Titio. Hic, gulae libidinibusque ſeruiens, epulatur opipare, uina in ſe ingurgitat, continenterque in popinis et helluationibus uerſatur. At quales inde oriuntur mutationes? quae conſectaria? Nonne ſtatus nouus, ex actionibus reſultans, contradicit antecedenti? Olim Titius inter epulas hilaris erat, iucundiſſimeque cum amicis uiuebat. Nunc, deſertus ab omnibus, inediaque fere confectus, perpetuo moeret. Olim diuitiis affluens obuio cuique largiter pecuniam offerebat. Nunc, omnibus exhauſtus facultatibus, ſtipem oſtiatim flagitare cogitur. Olim corpore erat ſano, uegeto, ſuccique pleno. Nunc maligna ipſum uexat pituita, aut podagra, tanquam compede uinctus, innumerabilibus acutiſſimisque excruciatur doloribus, aut, lenta confectus tabe, ob cadaueroſam faciem corpusque emaciatum omnibus iniicit terrorem. Vide

quanta ſtatuum, praeteriti, praeſentis, ac futuri diſſenſio!

§ 10.

Cum perfectio ſit conſenſus uariorum in uno (§ 64 Metaphyſ.), conſequens eſt, ut, quicquid conſenſum in ſtatibus noſtris efficit, idem et nobis ſtatuique noſtro perfectionem conciliet, ſiue, quod idem eſt, nos noſtrumque ſtatum perfectiorem reddat. Et quia imperfectio eſt diſſenſus uariorum in uno (§ 65 Metaph.), patet, id omne, quod ſtatuum, praeteriti, praeſentis ac futuri diſſenſionem quandam producit, nobis noſtroque ſtatui imperfectionem inferre, ſiue, quod idem eſt, nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddere.

Recentiori aetate de his loquendi formulis: *actio nos noſtrumque ſtatum perfectiorem reddit*: item: *actio nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddit*: uariae acriterque eſt diſputatum. Neque miror ualde, has loquendi formulas a compluribus non intelligi. Eum enim oportet notionibus metaphyſicis *perfectionis* et *imperfectionis* probe eſſe imbutum, qui recte intelligere cupit, quid ſit illud: *Actio ſtatum noſtrum perfectiorem reddit*. Vt autem, quae hic Wolffii mens ſit, pateat diſtinctius, ipſum audiamus. *Vita hominis*, inquit, *quatenus denotat complexum actionum liberarum, dicitur perfecta, ſi ſingulae ad communem quendam finem tendant, ad quem tendunt naturales. Inde nimirum oritur actionum liberarum cum inter ſe, tum cum naturalibus conſenſus. Atque in hoc conſiſtit uitae humanae perfectio.* Ontolog. Lat. § 503.

§ 11.

Ex his pateſcit: omnes actiones liberas, quas ſuſcipimus, uel nos noſtrumque ſtatum

tum perfectiorem reddere, uel nos noſtrumque ſtatum efficere imperfectiorem.

Cum enim actiones, quas ſuſcipimus, uel eiusmodi mutationes ſtatui noſtro, ſiue interno, ſiue externo inferant, quae cum natura noſtra conueniant, conſenſumque ſtatuum praeſentis, praeteriti, futurique inter ſe producant, uel eas habeant conſecutiones, et euentus, qui naturae, fini, uiribusque corporis et animae ſint contrarii et quandam ſtatuum diſſenſionem gignant (§ 9); actio autem illa, quae cum uiribus noſtris naturaque et ſtatibus ceteris conſentit, nos noſtrumque ſtatum perfectiorem reddere dicatur: illa autem actio, quae minus conueniens eſt naturae humanae, nec cum finibus et ſtatibus conſentit, ſtatum noſtrum imperfectiorem reddat (§ 10); manifeſtum eſt, omnes actiones, quas ſuſcipimus, uel nos noſtrumque ſtatum perfectiorem uel eundem imperfectiorem reddere.

§ 12.

Bonum definimus in Metaphyſica per id, quod nobis noſtroque ſtatui perfectionem conciliat, ſiue, quod idem eſt, quod fini noſtro eſt conueniens, et malum, quod nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddit, ſiue quod cum fine noſtro non conſentit. *Actio* itaque *bona* erit, quae nobis noſtroque ſtatui perfectionem conciliat, ſiue, quae fini eſt conueniens, et *mala*, quae nos noſtrumque ſtatum imperfectiorem reddit, ſiue, quod idem eſt, quae cum fine noſtro non conſentit (§ 10).

§ 13.

Haec ergo enunciata ex praeſtructis definitionibus fluunt.

Omnis actio libera uel bona est, uel mala. Cum enim omnis actio libera uel nos nostrumque statum perfectiorem reddat, uel eundem efficiat imperfectiorem (§ 11), illa autem dicatur bona, haec mala (§ 12); manifestum est, omnem actionem liberam uel bonam esse uel malam.

Actiones bonas, quas *honestas* etiam recte dixeris, definiunt nonnulli per eiusmodi actiones, quae naturae sunt consentaneae, item, quae cum fine consentiunt, quae ad conseruationem felicitatemque hominis spectant: alii actiones esse dicunt, quae cum lege conueniunt. *Malas* contra, quas turpes etiam uocari constat, explicant per actiones, quae cum lege et cum ultimo hominis fine minus conueniunt, quae item conseruationem felicitatemque hominis destruunt, eiusdemque naturae repugnant, aut cum lege minus conueniunt. Qui quidem quamuis uideantur alias, easdemque a nostra diuersas, definitiones adferre, uerbis tamen tantum discrepant a nobis, reque ipsa nobiscum consentiunt. Intelliges hoc plenius, si a nobis legeris demonstratum, per id esse actionem legi uel conformem, uel contrariam, quod aut perficiat nos nostrumque statum, aut eundem minus reddat perfectum. Deprehendi quoque, re rite perpensa, nihil posse naturae uel conuenire, uel eidem repugnare, nihil item uel conseruationi felicitatique hominis amplificandae, uel eidem destruendae esse accommodatum, nisi idem sit eiusmodi, ut nos nostrumque statum aut perficiat, aut reddat imperfectiorem.

Si ergo, inquies, omnis actio uel bona est uel mala, consequens est, ut nulla detur actio *indifferens*. Cum uero, teste experientia, complures suscipiamus actiones, quae neque nos conditionemque nostram perficiant, neque felicitatem nostram destruant,

ſtruant, quaeque adeo nec bonae ſint, nec malae, facile eſt ad iudicandum, dari actiones indifferentes. Actio enim indifferens ea dicitur, quae neque eſt bona, neque eſt mala. Hic uero uelim ad ſequentia animum aduertas. Quotusquisque eſt, qui eiusmodi unquam ſuſceperit actionem, ex qua nihil omnino reſultarit, quod aut ad ſtatus ſui perfectionem, aut imperfectionem ſpectaſſet. Quamuis enim plurimi, non ſatis ſibi ſuisque attendentes actionibus, nihil omnino, in actionibus nonnullis, quas ſuſcipiunt, deprehendiſſe ſibi uideantur, quod aut ad perfectionem, aut ad imperfectionem ſtatus ſui pertineat; ii tamen, qui acerrime et intentis, ut aiunt, oculis actionum ſuarum conſecutiones contemplantur, obſeruant nonnulla, ex iis oriunda, quae, niſi perſpicaciſſimus quisque, nemo facile animaduertit. Fit ita plerumque, ut ex iis tantum, quae in ſenſus incurrunt, actionum conſequentiis earundem uel honeſtatem uel turpitudinem aeſtumemus. Falſo. Vnaquaeque actio eſt ex ſimplicioribus compoſita, quarum infinita eſt complicatio, ita quidem, ut qui ad ea, quae actionem, ratione loci et temporis, circumſtant, ſolicite attenderit, facile perſpiciat actionis cum perfectione noſtra conuenientiam uel disconuenientiam. Non enim ea tantum actio uitioſa putanda eſt, quae homini immediate eſt pernicioſa, e. g. Si quis uenenum biberit, aut ſibi mortem conſciſcat. Ea etiam actio ſtatum noſtrum imperfectiorem reddere cenſenda eſt, quae multis demum annis praeterlapſis, aut nobis aut aliis damni quid adfert, item ea, qua non directe quidem felicitatem deſtruit, ſed impedit tamen, quo minus ad maiorem perueniamus felicitatem; aut efficit certe, ut paullo tardius difficiliusque felicitatem conſequamur. Nec praetereundum hic illud eſt, nonnullas actiones eſſe eiusmodi, ut *ſingulae* uix ac ne uix quidem nocere nobis poſſe uideantur. At eaedem cum ſuauitate quadam ſenſibus lenocinentur, atque adeo

hominem ad easdem crebrius suscipiendas pelliciant, ut, quo saepius easdem homo repetierit, eo maior easdem suscipiendi cupiditas gignatur, quae, interna mentis uitiositate, tanquam pestifero quodam nutrita pabulo, tandem eo hominem deducit, ut, qua se ratione ex aerumnis expediat, uix reperiat. His rite obseruatis, intelligi facile potest, quid de actionibus indifferentibus existimari debeat. Plura occurrent infra. Vid. Gottschedii dissertat. de fonte uitiorum humanorum § 5.

§ 14.

I. Ratio sufficiens, cur actio alia sit bona, alia mala, in intrinseca eiusdem natura consequentiisque est quaerenda. Cum enim actio per id sit bona, quod statum nostrum siue externum siue internum perfectiorem reddat (§ 12), et per id sit mala, quod eundem efficiat imperfectiorem (§ 12), manifestum est, ex perfectione uel imperfectione status, ex actionibus oriunda, concipi debere, cur actio sit bona uel mala, E. cur actio sit bona uel mala, ex intrinseca actionis natura eiusque consequentiis uel periculosis uel optabilibus laetisque concipi debet. Id, ex quo concipitur, cur alterum sit, uel non sit, cur sit hoc modo, nec alio, dicitur *ratio sufficiens* (§ 14 Metaphys.); E. ratio sufficiens, cur actio alia sit bona, cur sit mala, in intrinseca actionis natura, eiusque consequentiis reperitur.

Quaeris e. g. ex me, cur temperantia sit bonum quid? Respondeo, quia ea est temperantiae natura, ut corporis uires non modo non destruat, sed etiam conseruet et augeat, mentemque adeo ipsam, corporis

corporis quasi fulturis sustentatam, ad uigorem et alacritatem quandam admirabilem perducat, impediatque, denique, quo minus opes, quibus et ad uiuendum et ad bene uiuendum indigemus, dissipentur. Aut profecto nihil uides, aut luculentissime intelligis, hic, cur temperantia sit bona, rationem sufficientem arcessi ex ipsa temperantiae natura, felicissimisque eiusdem effectis. Quod idem fit, cum intemperantiae turpitudinem aliis ob oculos ponere uolumus. Nonne ideo eam malam fugiendamque dicimus, quod corporis uires succumque exhauriat, quod omne animi lumen extinguat, consilium impediat, hominemque ad incitas redigat, et, ad turpissima quaeque eundem impellendo, nihil in mente relinquat aliud, quam acerbitates, dolores, cruciatus, et innumera conscientiae uulnera et labes. Quod egregie confirmat Paulus, Ephes. V, 18 ideo fugiendam suadet uinolentiam, quod ea, tanquam pestifero partu, excludat ἀσωτίαν.

II. Actio bona est in se bona et actio mala in se mala. Actionem in se bonam diximus illam, quae rationem sufficientem, cur sit bona malaue in se suaque natura, et quos producit, euentibus habet. Cum uero in actionis bonae malaeue natura et consequentiis ratio deprehendatur sufficiens, cur sit bona aut mala (pos. I), consequens est, ut actio bona sit in se bona, actio mala in se mala.

III. Actio bona est necessario bona, actio mala est necessario mala. Cum enim ratio sufficiens, cur actio sit bona uel mala, in ipsa actionis intrinseca natura, siue ut Wolffius loquitur, in essentialibus determinationibus reperiatur (pos. I), id autem, quod rationem sui sufficientem in alicuius rei essentia habet,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0387
DFG

sit necessarium (Ont. § 33 pos. II) sequitur, ut actio bona sit necessario bona, et actio mala sit necessario mala.

Fac, actionem bonam non esse necessario bonam, et actionem malam non esse necessario malam, tunc sequetur, ut actio bona possit etiam esse mala, et actio mala possit esse bona (id enim, quod non est necessarium, potest esse aliter, siue quod idem est eius oppositum est possibile (§ 54 Metaph.). Sequetur ergo, ut cultus Dei eiusque adoratio, ut conseruatio sui, ut temperantia, ut castitas, ut amor amicorum et gratus animus possint esse mali quid. Sequetur, ut blasphemia, ut periurium, ut furtum et rapina, ut homicidium et alia eiusmodi detestabilia scelera possint esse boni quid. Quo uero cum nihil absurdius scelestiusque dici fingique possit, facile intelligitur, actionem bonam esse necessario bonam et malam necessario malam.

Caue, putes, intelligi hic necessitatem quandam spinosisticam et absolutam, quam ut ex omni Philosophia, ita ex morum maxime doctrina proscriptam uolumus. Hypothetica necessitate effectus ex causis suis prodeunt, id quod in actionibus nostris uel inprimis animaduertimus. Necessariumne est, ut cum uirtutem bonaeque mentis decus consectamur, animi perfruamur tranquillitate? Quotusquisque est, qui unquam mentis laetitiam a uirtute seiunctam uiderit? Quotusquisque est, qui unquam potuerit impedire, quo minus ex homicidio, periurio, intemperantia et libidine uel conscientiae cruciatus, uel alia mala, quae cum turbulento animi statu sunt copulata, oppido orirentur?

§ 15.

Bonitas prauitasque actionum humanarum dicitur earundem *moralitas*. Et si ratio sufficiens, cur actiones liberae uel bonae sint uel malae, in ipsa actionum natura intrinseca, earumque

que consequentiis reperitur, tum dicitur *moralitas obiectiua*, quia ratio non extra actionem in subiecto aliquo, quod eam uel praecepit, uel uetuit, quaeritur, sed in ipsa actione, siue in obiecto, quod uel tanquam bonum praecipitur, uel tanquam malum prohibetur.

§ 16.

Vt adeo ex his, quae a nobis demonstrata sunt, intelligas, nos non posse non in eorum concedere sententiam, qui moralitatem obiectiuam defendunt.

Funestas haec de moralitate obiectiua sententia turbas acerrimasque controuersias nostris temporibus excitauit, quae ne nunc quidem prorsus consopitae sunt, nec irae omnes, quas haec lis commouit, pace et odio uidentur consediſſe. Dici non potest, quam multis quamque inanibus logomachiis nonnulli hanc foedarint doctrinam, quamque turpiter uerba, male intellecta, complurium animos dissociarint. Quaestio scilicet instituitur de ratione, cur actiones liberae uel bonae sint uel malae. Hic ergo in uarias distrahuntur sententias eruditi. Alii rationem, cur actio quaelibet bona malaue sit, petunt ex ipsa actionis indole earundemque effectis, Deumque, aiunt, nonnullas ideo actiones uel praecepisse, uel prohibuisse, quia illae in se et sua natura sint bonae aut turpes, non autem ideo uel bonas esse uel malas, quia Deus illas mandauerit aut uetuerit. Alii contra sentiunt, Deumque, negant, ideo actiones uel praecepisse uel interdixisse, quia in se sint bonae turpesue, sed ideo esse bonas, uel malas, quia Deus illas praeceperit, aut prohibuerit. Ad illos pertinent Scholastici, quos, accepimus, in eam ingressos fuisse sententiam, ut statuerent, actus quosdam antecedenter ad legem seu uoluntatem diuinam bonos

nos uel malos esse. Quod quamuis incommode et obscurius enunciari, non negent ipsi nonnulli moralitatis obiectiuae defensores, fuerunt tamen, qui scholasticorum sententiam distinctius explicandam putarunt, adlata distinctione inter uoluntatem Dei *creatricem et ordinatam et inter uoluntatem Dei praeceptricem siue legislatoriam*. Scilicet Scholasticorum mentem fuisse dicunt, quod nonnulli actus turpes honestique sint prius, quam Deus eos uel lege positiua praeceperit, uel interdixerit.

Scholasticorum sententiae assensus est GROTIVS, quem, post id tempus, secuti sunt plures alii uel Theologi, uel Philosophi. In quibus commemorari merentur Velthemius, celebris quondam Ienensium Philosophus, Iaegerus, Hochstetterus, Hebenstreitius, Foertschius, Wernsdorffius, Klausingius, Leibnitzius, Wolffius, Cantzius, Hanschius, Koehlerus, alii.

A Scholasticis Grotioque secessionem fecit Pufendorffius, qui intrinsecam actionum liberarum bonitatem turpitudinemque negauit, rationem, cur actio alia sit bona, alia mala, in sola Dei uoluntate quaerendam esse, arbitratus. Pufendorffii sententiam suffragiis comprobarunt, cum plures alii, tum vel inprimis nostra aetate, Buddeus, Langius, Walchius, Zimmermannus, qui, adstructa moralitate arbitraria, ideo, ut hoc utar, homicidium mali quid esse et turpe, pertendunt, quia Deus homicidium lege interdixerit. Neque nullas adferunt rationes, quibus sententiam suam communiri posse arbitrantur.

§ 17.

Ex his intelligis has positiones.

I. Cum qualibet actione per naturam ipsius connectuntur motiua uel eam appetendi uel auersandi. Dum enim cum qualibet actione, nexu naturali, eiusmodi effectus sunt copu-

copulati, qui aut ſtatum noſtrum reddunt perfectiorem, aut imperfectiorem (§ 11), quique uel boni ſunt, uel mali (§ 12), bonum autem, in re quapiam a nobis cognitum, eſt motiuum eam appetendi, et malum, in actione deprehenſum, eſt motiuum eam auerſandi (§ 230 Metaphyſ.); conſequens eſt, ut cum qualibet actione, naturali nexu, connectantur motiua uel eam appetendi uel auerſandi.

Sic, e. g. cum temperantia connexa ſunt, nexu neceſſario, uaria bona, mentis gaudium, corporis ſanitas, opum honorisque conſeruatio et amplificatio. Quae bona, cum temperantia coniuncta, ſi a nobis cognoſcuntur, nos, tanquam motiua, determinant et incitant, ad temperantiam colendam appetendamque. Contra cum intemperantia, bone Deus! quam multa ſunt connexa mala, e. g. morſus conſcientiae, deſperatio, ualetudo debilis, morbi acutiſſimi, ſumma pauperias, famae bonae iactura, alia. Quae mala ſi rectius diſtinctiusque inſpiciuntur, id efficiunt in animo, ut deteſtemur intemperantiam, adeoque ſunt motiua eam auerſandi.

II. Vides hinc quid ſit, quod Philoſophi affirment, actionem bonam eſſe in ſe appetibilem, et actionem malam in ſe auerſabilem. Cum enim in qualibet actione bona lateant motiua eam appetendi, et in mala actione motiua eam auerſandi (poſ. I), euidens eſt, quamlibet actionem bonam eſſe eiusmodi, ut, appetitum ciere poſſit, et cieat etiam, ſi, quod in ipſa eſt bonum, diſtinctius cognoſcatur, contra in qualibet actione mala eſſe quid, quod, ſi ab homine perſpiciatur, non poſſit non reſpui et repudiari.

Mira-

Miratus fui, cum a nonnullis hanc positionem uel ideo negatam uidi, quod experientia alia omnia unumquemque condoceat. Quam multi, inquiunt scilicet, sunt, qui omni impetu feruntur in actiones, quae reuera sunt malae, turpes, et noxiae, eas contra fugiunt et detestantur, quas, negari non potest, ipsis fore saluberrimas. Certum est, quid respondeam. Largior id, esse complures, qui actiones bonas auersentur, malas appetant. At id nostrae positionis ueritatem non euertit. Neque enim semper appeti actiones bonas, dicimus, sed id affirmare sustinemus, actiones bonas habere in se quicquam, quod, si cerni posset acutius, admirabiles sui amores concitaret, siue esse appetibiles. Cur uero non semper eae appetantur, causa satis iusta potest adferri. Scilicet in compluribus praeiudicata quaedam opinio, quae iudicium ueri adulterat et tollit, ita mentis praestrinxit oculos, ut, quod in actione est uere bonum pulchrumque, minus perspiciant.

CAP. II.

De Obligatione.

§ 18.

Perspecta ita actionum humanarum differentia, pedem proferimus, et ad ipsas, quibus actionum quaelibet conformanda est, leges explicandas nos accingimus. Cum uero, quae sit uocis *legis* uis ac potestas, intelligi recte non possit, nisi ante, quid sit *obligatio*, quae legum uelut anima est, fuerit accurata definitione constitutum, ea, quae ad notionem obligationis enodatius tradendam pertinent, ante adferemus, quam in ipsa lege definienda fuerimus uersati.

§ 19.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0392
DFG

§ 19.

Vocabuli *obligationis* significatus latissime patet. Quid sit *ligare*, et *obligare*, si has uoces proprie sumseris, non facile quisquam est, qui nesciat. Quod solutum est, ligamus, atque adeo, libertate longius euagandi restricta, impedimus, quo minus uage disiiciatur, et huc illuc passim erret.

§ 20.

Est in unoquoque hominum potestas uiuendi, ut uelit, id, quod suus quemque sensus, et experientia condocefacit. Vt ergo mens impediatur, quo minus, uagis agitata cogitationibus, licenter erret, nec, quicquid libet, pro licito iudicet, opus est obligatione, et tali quidem, qualis in mentem humanam, tanquam spiritum, cadere potest. Neque enim noster, qui incolit corpus, animus, ut uitis, erratico serpens lapsu, uiminibus uinciri potest et obstringi, sed, si qua cadit in mentem obligatio, ut cadit omnino, nulla alia esse ea potest, quam quae rationibus mouentibus et ad agendum incitantibus efficitur. Cum autem nihil sit, quod mentem ad appetendum quid et suscipiendum perpellere possit et commouere, quam sola boni repraesentatio, nihilque sit, quod eandem ad rem quampiam auersandam fugiendamque incitare queat, quam sola mali repraesentatio (§ 230 Metaphys.), euidens est, eum *obligare* nos, qui rationes, quae uoluntatem ad bonum appetendum malumque auersandum mouent, cum actionibus suscipiendis fugiendisque coniungit, siue,

quod

quod idem est, qui hominem motiuo aliquo impellit, ut actiones moresque suos ad normam quandam componat.

§ 21.

Intelligis ergo hinc, quid sit, quod Wolffius, Koehlerus, Heinneccius, alii *obligationem actiuam* definiant per connexionem motiuorum cum actionibus uel committendis, uel omittendis. *Motiua* enim nihil aliud sunt, quam repraesentationes boni uel mali, quae uoluntatem uel ad appetendum bonum, uel ad auersandum malum determinant.

§ 22.

Hanc obligationis actiuae definitionem, a Wolffio traditam, hoc libentius retinemus, quo certius est, magnam uim in ea positam esse, ad intelligendum id omne, quod de obligatione eiusdemque formis siue speciebus praecipitur, aut praecipi debet.

Quae iam dum abs me in philosophia recens controuersa sufficienter et distinctius p. 170 sq. explicata est, definitio ut intelligatur rectius, casus quosdam adferam speciales, qui, meo quidem iudicio, illustrandae huic definitioni uidentur perquam esse accommodati. Consideres, quaeso, quartum Decalogi praeceptum, quod hac continetur propositione: *Parentibus obedias, eosdemque reuerearis.* Cum hoc praecepto siue lege Deus connectit motiuum. Repraesentat et proponit scilicet omnibus iis, qui parentibus obsecundant, bonum quoddam, quo ad obedientiam impellantur. Quodnam est illud bonum? Vita scilicet diuturna, et perpetua, secundo uitae fine ulla offensione cursu, felicitas. Haec, tam praestabilia, bona dum adiunxit legi Deus, homines ad obediendum parentibus obligat.

§ 23.

§ 23.

Ex hac definitione sequentes conficiuntur positiones:

I. Quanto plura et quanto ualidiora cum actionibus committendis omittendisue motiua connectuntur, hoc magis crescit obligatio.

Obligatus est e. gr. belli dux, qui a rege suo exercitui praeficitur, ad fortitudinem in bello adhibendam, periculaque, quibus caput corpusque suum obiici uidet, excelso inuictoque animo subeunda. Ad quod ipsum impellit et exstimulat repraesentatio fidei, quam regi suo obstrinxit. En! primum motiuum! Ad hoc uero si accedunt alia, u. c. repraesentatio laudis et gloriae, ex bello reportandae, item praemiorum, a rege promissorum, et patriae periclitantis, tum uero cumulatis motiuis crescit obligatio.

II. Noua si ad actionem aliquam suscipiendam uel omittendam accedunt motiua, noua inde cooritur obligatio, et diuersa si concurrunt motiua, diuersae quoque in actu aliquo progignuntur obligationes.

Fac, Caium Titio promittere, se certam pecuniae summam, quam ipsi debet, definito quodam die soluturum. Caius obligatus est ad promissum seruandum fidemque liberandam. Secus enim si fecerit, innumera mala, e. gr. laesio Caii, fideique et existimationis iactura inde coorirentur, quae mala dum sibi repraesentat Caius, determinatur, et commouetur ad summam pecuniae, quam debet Titio, soluendam, promissisque standum. Fac uero, Caium, fide iurisiurandi interposita, polliceri, se, dicto die debitum uelle soluere, tum noua in ipso exsurgunt motiua, quae ipsum ad fidem liberandam incitant, scilicet repraesentatio iustitiae

Dei uindicis, infamiae item, ex periurio oriundae etc. Noua ergo hic adest obligatio.

III. Fit persaepe, ut plura motiua inter se pugnent, adeoque sibi contradicant. Quod cum fit, motiua inter se dicuntur *collidi*. Ex ipsa autem hac motiuorum collisione existit obligationum collisio.

Exemplum collisionis motiuorum reperimus in M. ATTILIO REGVLO, consule Romano, qui cum in Africa ex insidiis captus esset, iuratus missus est ad Senatum Romanum, ut, nisi redditi essent Poenis captiui nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Romam ergo ubi uenerat, utrinque uariis solicitabatur rationibus et manendi Romae, et Carthaginem redeundi. Ex altera parte sibi repraesentabat utilitatem, in se redundaturam, si Romae maneret, fidemque Carthaginiensibus datam, frangeret. Esse domi suae cum uxore, cum liberis, tenere consularis dignitatis gradus, foediss. seruitutis iugum excussisse, quis haec neget esse utilia? Ex altera repraesentabat sibi periurii foeditatem et turpitudinem, infamiam item nominis sui, si redire nollet, certo secuturam. Vid. CIC. Libr. III de Officiis Cap. XXVI.

IV. Nemo potest obligari, nisi qui usu intellectus et uoluntatis gaudet.

Cum enim obligatio sit connexio motiuorum cum actionibus uel committendis, uel fugiendis (§ 21), consequens est, ut is, qui obligari debet, motiuis debeat flecti et inclinari ad actionem uel suscipiendam uel fugiendam.

Quicunque debet motiuis inclinari ad actiones, ille debet repraesentationibus uel boni uel mali ad agendum uel non agendum moueri (§ 20). Cum uero repraesentatio boni uel mali non possit cadere in quemquam, nisi qui usu intellectus gaudet (§ 205 Met.), patet, neminem posse obligari, nisi qui usu

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0396
DFG

usu intellectus est praeditus. Qui obligari debet, ille debet motiuis ad agendum determinari (§ 21), τὸ *agere* supponit τὸ uelle agere. E. qui obligari debet ad agendum, ille debet esse eiusmodi, ut possit uelle agere. E. obligandus uoluntate gaudeat, necesse est.

V. Quo maior est intellectus cognitio, eo maior hinc existit obligationis capacitas.

Theologus e. gr. qui ueritates cœlestes scitaque Dei distinctius accuratiusque nouit, quam plebs inficeta, maiori tenetur obligatione ad cultum Dei et pietatem, quam ii, quibus mysteria fidei non adeo sunt perspecta. Hinc ipse Seruator iis maiorem poenam comminatur, qui uoluntatem Domini faciunt, nec ei conuenienter uiuunt. Matth. XVII.

VI. Quia furiosi, infantes, bestiae homines-que inter feras siluestres educati, intellectus usu prorsus carent, perfacile est ad iudicandum, in ipsos non cadere obligationem.

VII. Non potest dari ad ea, quae fieri non possunt, siue quae sunt impossibilia, obligatio.

Quoties quis nos obligat, toties connectit motiuum cum actione uel committenda, uel omittenda, E. qui nos obligat, uult, ut actionis uel commissio, uel omissio ad existentiam perducatur. Cum uero nihil possit ad existentiam perduci, nisi idem sit possibile (§ 23 Metaph.), facile intelligitur, neque commissionem, neque omissionem actionis ad existentiam perduci, nisi sit possibile, ut actio uel committatur, uel omittatur. E. Obligatio ad impossibilia dari non potest.

Theorema hoc a plerisque ita enunciatur: *ultra posse nemo obligatur*. Sunt autem complures, qui, hac abusi positione, ignauiae suae aut malitiae patroci-

nium inde petunt. Falsa impossibilitatis notione decepti plerique, uirium imbecillitatem, cum iubentur bona agere, praetexunt. Hic ergo cauendum α) ne id statim impossibile credas, quod difficile est, nec, nisi summa animi corporisque contentione, potest obtineri. Sufficiunt, dummodo uelis et diligentiam adhibueris, uires ad ea persaepe, quae putaueras, nulla ratione ad existentiam perduci posse. Est, ut hoc utar exemplo, aliquis, qui operam suam Theologiae addixit. Hic ad linguam graecam hebraeamque, quibus nostrae salutis oracula continentur, perdiscendam obligatus est. At quid ille? Memoriae uigorem exoleuisse, conqueritur, et quod ab ipso postulatur, fieri posse negat. Fraus autem hic subolet plerumque. Diligentia et intensissimo studio opus erat, debebatque, continua exercitatione, memoriae uis acui, et ingenii hebetioris tarditas expugnari. Idem usu uenire solet, cum homines ad uitam pie Christique praeceptis conuenienter instituendam excitantur. β) Caue ne impotentia agendi, quam tua culpa tibi contraxisti, tolli obligationem existimes. Adamus uires, sibi diuinitus concessas, sceleratissime decoxerat, neque adeo, incisis quasi bene agendi neruis, Deo obsequium perfectum poterat praestare. At num ideo obligatione Deo perfectam obedientiam exhibendi solutus erat? Non magis profecto, quam prodigus decoctor, ad incitas redactus, aes alienum creditoribus soluendi obligatione liberatur, aut seruus ebrius ab obligatione seruitia domino praestandi immunis est.

VIII. Ex his manifestum est, ad ea non dari obligationem, quae non sunt in potestate nostra, sed ad eas tantum actiones, quae sunt eiusmodi, ut in potestate nostra sint, utrum eas suscipere uelimus, nec ne. Cum enim ad impossibilia nemo obligetur (pos. VII), consequens est, ut

ut ad eas actiones nemo quoque obligari possit, quarum commissio uel intermissio non est in potestate nostra, atque adeo obligatio ad eas tantum actiones se extendit, quae sunt eiusmodi, ut sit in potestate nostra, utrum eas suscipere uelimus, nec ne.

IX. Non datur, nec dari potest obligatio ad actiones naturales, sed tantum ad liberas. Cum enim actio naturalis sit illa, quae non est in potestate nostra (§ 6), ad eas autem actiones, quae non sunt in potestate nostra, nemo queat obligari (pos. VII), intelligitur, ad actiones naturales nec dari, nec dari posse obligationem. Cum actio libera dicatur, quae est in potestate nostra (§ 6), ad ea autem tantum obligari possumus, quae sunt in potestate nostra (pos. VII), intelligitur, non nisi ad actiones liberas dari obligationem.

Perabsurdum e. gr. foret, si quis alterum ad concoctionem stomachi intermittendam, aut ad cibum concoquendum obligare uellet. Sunt enim hae actiones naturales, nec potestati arbitrioque nostro subiacent. At ad Deum colendum, ad damnum, alteri illatum, reparandum, ad calumnias euitandas homo potest obligari, quia haec omnia sunt eiusmodi, ut pro lubitu ab homine possint suscipi et omitti.

§ 24.

Necessitas moralis dicitur, ubi oppositum moraliter impossibile est. *Moraliter* impossibile dicitur illud, quod quidem non in se contradictionem inuoluit, infert tamen repugnantiam, in hoc illoue subiecto, ob intercedentes subiecti illius perfectiones morales (§ 20 Metaphys.).

Has notiones, in Metaphyſicis iam euolutas, hic ideo adferimus, quia, quae ſequuntur de obligatione paſſiua, intelligi non poſſunt, niſi, quid ſit *neceſſitas moralis*, intellexeris. Exemplum, illuſtrationis gratia adferemus: Fac, Caium philoſophiae praeſtantiam, dignitatem et admirabilem uſum penitius perſpicere. Tum Caius non poterit non repraeſentationibus tot opportunitatum, in philoſophia reperiundarum, commotus et incitatus, Philoſophiam amare et appetere. Amat ergo et appetit eam neceſſitate morali. Qui fic? Quam diu enim Caius utilitates pulchritudinemque philoſophiae ſibi repraeſentat, tamdiu oppoſitum, ſcilicet odium et contemtio Philoſophiae, eſt impoſſibile quid. Non quidem in ſe contradictionem inuoluit, ut Caius oderit contemnatque philoſophiam, at infert tamen illud repugnantiam nunc in Caio, et intercedentes ſcilicet repraeſentationes, quas format de philoſophiae uſu, pulchritudine, praeſtantia et dignitate.

I. Neceſſitas moralis locum habet tum, cum uoluntas entis intelligentis motiuis ſiue repraeſentationibus boni uel mali ad agendum uel non agendum commouetur.

Cum enim uoluntas entis intelligentis motiuis ſiue repraeſentationibus boni uel mali ad appetendum flectitur, tum non poteſt non ſequi in uoluntate appetitus; poſito enim determinante ſiue motiuis, ponitur quoque determinatum, ſiue appetitio (§ 46 Met.), atque adeo τὸ *non appetere* non poteſt locum habere, ob intercedentes ſcilicet repraeſentationes, quibus uoluntas ad appetendum determinatur. τὸ *non appetere* ergo, poſitis ad appetendum motiuis, eſt moraliter impoſſibile (§ 230 poſ. III.) E. appetitus, poſitis motiuis, eſt moraliter neceſſarius.

E. neceſſitas moralis locum habet tum, cum uoluntas

tas entis intelligentis motiuis siue repraesentationibus boni uel mali ad agendum uel non agendum commouetur.

Non igitur uoluntas necessitate physica aut ui externa ad appetendum uel auersandum cogitur, id quod anima tanquam nobilissimo spiritu, esset prorsus indignum, sed necessitate morali, i. e. suaui uoluntatis inclinatione, quae efficitur boni uel mali repraesentationibus siue motiuis. Haec uero motiua, non sunt libertati inimica, neque eam tollunt. Conf. § 268 Metaphys.

II. Qui obligatur ad aliquid uel agendum uel omittendum, illi imponitur necessitas moralis, aliquid uel agendi uel omittendi.

Qui enim obligatur ad aliquid uel agendum uel omittendum, cum illius actionibus uel committendis uel omittendis connectuntur motiua (§ 21), siue, quod idem est, illius uoluntas uel ad appetendum uel ad auersandum repraesentationibus boni maliue determinatur, flectitur, et commouetur (§ 230 Met.). Cum uero status ille, quo uoluntas entis intelligentis siue repraesentationibus boni maliue ad appetendum auersandumque commouetur et determinatur, sit *status necessitatis moralis* (per def.), consequens est, ut illi, qui obligatur ad aliquid uel agendum uel omittendum, imponatur necessitas moralis uel agendi, uel non agendi.

§ 25.

Status ergo, quo quis obligatus est, siue *obligatio passiua* est, nihil aliud, quam necessitas moralis aliquid agendi uel non agendi.

Ita obligationem complures definire memini, et in his eos etiam, qui Wolffianam obligationis definitionem, qua obligatio per connexionem motiuorum, explicatur, exploserunt. Qui uero, si perpendissent,

sent, Wolfii definitionem esse fundamentum huius, qua obligatio definitur per necessitatem moralem ad agendum uel omittendum, tum profecto non adeo illam obligationis notionem, quae motiuorum connexione continetur, risissent. Tota controuersia, quod facile uides, in logomachiam abit, cum Wolffius definiat obligationem actiuam, aduersarii autem explicent obligationem passiuam, quae demum ex actiua fluit. Vides ergo, quomodo cum Wolffiana plurium definitiones, quas de obligatione suppeditarunt, possint conciliari. Quid? quod ipsa Iureconsultorum definitio, qua obligatio per *uinculum iuris* explicatur, cum nostra facile consentiet. Vinculum enim, si de anima praedicatur, in sensu morali intelligi debet, non proprio. Per ipsa scilicet motiua, quae animae proponuntur, et cum actione connectuntur, ligatur uinciturque uoluntas, tanquam per uinculum, ne, uagis ducta cupiditatibus, longius euagetur, sed in hanc potius, quam oppositam partem, se inclinet.

§ 26.

Quicunque obligatur, aut per spem, aut per metum obligatur. Quicunque obligatur, ille ad agendum determinatur motiuis siue repraesentationibus boni, uel mali (§ 21); quicunque ad agendum determinatur, uel boni uel mali repraesentationibus, ille determinatur repraesentationibus uel perfectionum, uel imperfectionum, quia notione τῦ boni continetur notio perfectionis, et notione mali notio imperfectionis (§ 226 Met.); quicunque determinatur ad agendum repraesentationibus perfectionum uel imperfectionum, ille determinatur ad agendum uoluptate et taedio, quia uoluptas oritur ex repraе-

repraesentatione perfectionum, et taedium ex sensu imperfectionis (§ 219 Met.). Cum uero bonum, quo obligamur et ad agendum determinamur, malumque sit futurum (per experientiam), consequens est, ut obligandus per uoluptatem ex repraesentatione boni futuri, et per taedium ex repraesentatione mali futuri ad agendum determinetur. Voluptas ex repraesentatione boni futuri dicitur *spes* (§ 251 Met.), et taedium ex repraesentatione mali futuri dicitur *metus* (§ 253 Met.). E. qui obligatur, aut per spem, aut per metum obligatur.

Vide, lector, quam facile manu quasi nos ducat nostra obligationis definitio ad notionem obligationis Thomasianam. Thomasium enim, scimus, obligationem posuisse in spe commodi, ex actionibus bonis nostris oriundi, et in metu incommodi periculisque, quod actiones malas consequatur. Vid. eius Fundam. iuris N. et G. L. I c. 4 § 61.

§ 27.

Cum uero, quae sit obligationis, generatim consideratae, natura et indoles, ex his perspiciamus facile; proximum est, ut uarias obligationis formas siue species accuratius paullo contemplemur.

§ 28.

Per intrinsecam actionum liberarum naturam obligamur uel ad actiones bonas committendas, uel ad malas omittendas.

Cum enim cum liberis actionibus per intrinsecam earundem naturam motiua connectantur, uel bonas actiones appetendi, uel malas auersandi (§ 14), motiua autem connectere cum alicuius actionibus

uel committendis, uel omittendis, sit nihil aliud, quam *obligare aliquem* (§ 21), consequens est, ut per intrinsecam actionum liberarum naturam obligemur uel ad bonas actiones appetendas committendasque uel ad malas omittendas.

§ 29.

Atque hinc existit *obligatio naturalis*, quae nihil est aliud, quam, cum nexus motiuorum ex ipsa nostra natura actionumque potest intelligi.

Sic ad intemperantiam fugiendam, per intrinsecam eius naturam essentiamque nostram obligamur, propterea, quod cum ea, nexu naturali, copulantur motiua eam auersandi. Sic ad castitatem obligatione naturali sumus obligati, cum plurima sint motiua ad eam nos incitantia, quae in ipsa lateant castitatis natura essentiaque uel mentis uel corporis humani. Fac enim, te, repagulis pudoris officiique perruptis, in omne libidinis genus effundi, fac, corpus tuum uoluptatum quasi uinculis constrictum detineri, quid efficietur inde aliud, quam ut succus, quo uita continetur, et conseruatur, exhaustis uiribus, exaresçat, omnisque animi impetus ad rectiora et bona, amisso uelut aculeo, elanguescat. Taceo labes et uulnera conscientiae, taceo rei familiaris et existimationis iacturam, inde oriundam, cetera. En motiua, quibus unusquisque ad lubidinum illecebras euitandas castitatemque consectandam obligatur. Quae motiua, uides, in ipsa uoluptatis foedae natura latitare.

§ 30.

Obligatio naturalis est necessaria. Quia obligatio naturalis eiusmodi motiua connectit cum actionibus uel suscipiendis uel omittendis, quae ab ipsa hominis rerumque essentia et natura petuntur (§ 29), sequitur, ut posita hominis rerumque essentia et natura, ponatur quoque obli-

obligatio naturalis. Atque adeo fieri non potest, quin quamdiu homo hominis habet essentiam, tamdiu quoque obligatio naturalis locum habeat. Necessaria ergo est obligatio naturalis, quia hominis rerumque essentia, qua, tanquam fundamento, nititur, est necessaria (§ 28 pos. III Metaphys.).

Hoc autem theorema, caue, putes, periculi quid continere, quia uox necessaria occurrit. Non fatalem hic brutamque necessitatem adstruimus, sed eam hic necessitatem intelligi uolumus, quae rationi est conueniens. Haec scilicet nostri theorematis uis est et sensus: *quamdiu homo hanc habet naturam et essentiam, et quamdiu actiones nexu necessario per naturam suam has, nec alias consecutiones secum uehunt, tam diu quoque obligatio naturalis locum habeat necesse est.* E. g. quamdiu homo est homo, et quamdiu hoc habet corpus, et hanc habet animam, quamdiu item ebrietas funestos secum coniunctos habet euentus, ut scilicet corpus destruat, ut uires ingenii mentisque debiliter, cetera, tamdiu fieri non potest, quin per ipsam ebrietatis naturam et nostrae mentis conditionem obligemur ad ebrietatem euitandam. Fac enim, obligationem hanc non esse necessariam, tum potest esse aliter, tum fieri potest, ut ipsi funesti ebrietatis euentus sint motiua, quae uoluntatem ad ebrietatem appetendam flectant et moueant, id, quod per ipsam uoluntatis humanae naturam est impossibile. Conf. Metaphys. § 230.

Obligatio naturalis dicitur quoque *interna*, at, si ens aliquod, quod extra nos est, et a mente nostra diuersum motiua connectit cum actionibus nostris, tum exsurgit inde obligatio externa, quae positiua quoque uocatur. Cumque omne ens, quod extra nos reperitur, quodque a mente nostra diuersum est, sit uel *Deus* uel *homo superior*, intelligitur, obligationem positiuam recte dispesci in

diui-

diuinam et *humanam*. Si ens, quod extra nos est, ita nos obligat ad actiones, ut, si fraena mordeamus, imperiumque detrectemus, poenarum comminatione nos ad imperata facienda compellat, tum dicitur *obligatio perfecta*, e. g. perfecte obligamur ad damnum, alteri illatum, reparandum. At si ens illud, cuius imperium agnoscimus, sine coactione ad uirtutem nos obligat, appellatur *obligatio imperfecta*, e. gr. ut alteri officia amoris et humanitatis exhibeamus, ut benefactoris merita et munificentiam grata mente praedicemus, ut in congressione familiari, morum ciuilitatem et elegantiam iis, quibuscum uersamur, comprobemus. Sunt enim haec omnia eiusmodi, ut nemo ad ea a magistratu aut quocunque superiori cogi possit. Eleganter disseruit de obligatione b. KOEHLERVS in dissert. de obligatione morali Ienae habita 1723.

CAP. III.

De Lege naturae.

§ 31.

Distincte expositis iis, quae ad obligationis naturam et proprietates intelligendas spectant, nunc, quid sit *Lex*, quid *Lex naturae*, facillimum erit intellectu.

§ 32.

Per legem, generatim consideratam, nihil aliud intelligimus, quam regulam quandam siue normam, ad quam actiones liberas instituere et determinare obligamur.

Regulam uero hoc loco dicimus quamcunque propositionem, quae, quid uel faciendum uel omittendum sit, dictitat, e. g. Haec propositio, *parentibus obedias*, est regula, quia, quid faciendum sit, prae-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0406
DFG

praescribit, et, cum haec regula cum obligandi uirtute copulata sit, recte dicitur lex. Alii legem ita definiunt: *Lex est decretum superioris obligans inferiorem.*

§ 33.

Quandoquidem a lege obligatio seiungi non potest (§ 32), consequens est, ut a diuersis obligationis fontibus diuersae legum species profluant, sitque adeo alia *lex diuina*, *humana alia*, *alia naturalis*, *positiua* denique *alia*.

§ 34.

Si ea, quae de *obligatione naturali* diximus § 29, expenderis, facile intelliges, quid sit id, quo lex naturalis contineatur. *Lex* scilicet *naturae* per hoc a ceteris legum speciebus internoscitur, quod ea obligandi uim suam ab ipsa rerum atque hominum natura habeat.

E. gr. haec propositio, *temperanter uiue*, est lex naturalis. Ipsa enim temperantiae corporisque tui et animae natura suppeditat motiua, siue obligat te ad temperantiam colendam. Est enim temperantia eiusmodi, ut ad corpus conseruandum uiresque animi perficiendas perquam sit accommodata. Et nisi temperanter uixeris, mala, ex uita intemperanti oriunda, oppido senties, uelis, nolis.

§ 35.

Si Deus fuerit obligationis auctor, *lex* dicitur *diuina*; sed si homo aliquis obligat ad actiones liberas, hoc et non alio modo instituendas, tum uero *lex* appellatur *humana*.

§ 36.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0407
DFG

§ 36.

Quae de lege, generatim spectata, itemque de lege naturae ex definitionibus, modo allatis, efficiuntur enunciata, haec fere sunt.

I. Nulla potest esse lex, nisi ei uis obligandi sit adiuncta.

II. Atque adeo cum omni lege id debet esse connexum, ut eorum animis, quibus lex proponitur, uel damna, ex actionibus malis oritura, uel bona opportunitatesque, ex bonis factis resultantes, subiiciantur. Eo enim continetur obligatio, ut aliorum motiuis uel ad bonum suscipiendum impellamur, uel a malo reuocemur (§ 21). Motiuis autem impelluntur flectunturque alii, si bonum malumue animo sibi informarint (§ 230 Met.).

III. Ex quo conficitur necessaria consecutione, legem non, nisi eum, posse obligare, cui innotuerit fueritque promulgata.

IV. Quandoquidem legum diuersitas ab obligationis pendet diuersitate (§ 33), consequens est, ut, si obligatio est perfecta (§ 30), lex quoque ueri nominis et κατ' ἐξοχήν sic dicta, adsit. Lex scilicet, stricte sic dicta, illa uocatur, ad quam obseruandam alii nos ui externa cogere possunt. Quare a nonnullis uocatur *lex cogens, siue necessitatis*. Cui opponas *consilium*, quod est norma agendi, ab altero mihi data, ad quam exse-

exsequendam alter, qui normam dedit, me ui externa cogere nequit. E. gr. Si princeps, belli tempore, iusserit ciues ad patriam defendendam arma capere, tum ui cogendi ciues gaudet. Est haec lex cogens. At si amicus multas mihi rationes aperuerit, quibus ad iuris prudentiae studium amplectendum inducere me allaboret, tum, licet aures ipsius monitis claudam, me ad parendum cogere nequit.

V. Cum lex naturae uim obligandi ab ipsa actionum rerumque natura arcessat (§ 34), per ipsam autem rerum actionumque naturam obligemur uel ad actiones bonas committendas, uel ad malas euitandas, (§ 28), sequitur, ut lex naturae hac contineatur propositione; *Fac ea, quae bona sunt, et, quae mala sunt, refuge et omitte.* Est haec quaedam generalis formula, ad quam omnes actiones liberae sunt attemperandae, diciturque ideo κατ' ἐξοχὴν *lex naturae*, quia proxime ex obligatione naturali fluit. Poterat quoque dici PRIMA LEX NATVRAE, quia ceterae propositiones, quae specialius, quid faciendum omittendumque sit, indicant, huic quasi subiectae sunt, ex eaque demonstrantur. E. gr. haec enunciata: *temperanter uiue, suum cuique tribue, damnum resarcias*, ex hac propositione, quae fundamenti quasi loco substernitur, uim ac robur accipiunt.

VI. Ex

VI. Ex quo patet, non male a quibusdam legem naturae his quoque enunciari uerbis: *Facienda sunt ea, quae nos, noſtrumque ſtatum reddunt perfectiorem; fugienda contra et omittenda ſunt omnia illa, quae nos noſtrumque ſtatum efficiunt imperfectiorem.* Bonum enim quid aliud eſt, quam id, quod nos noſtrumque ſtatum reddit perfectiorem (§ 226 Met.), et malum quid eſt, niſi id, quod nos noſtrumque ſtatum reddit imperfectiorem? Siue ergo dicas: *fac bonum, et omitte malum.* Siue ita hanc propoſitionem proferas: *fac ea, quae te ſtatumque tuum reddunt perfectiorem, omitte ea, quae te ſtatumque tuum reddunt imperfectiorem*, unum idemque, mutatis tantum uerbis, dicis.

VII. Legis naturae fundamentum eſt natura. Ex hac enim lex naturae repetit uim obligandi (§ 34).

VIII. Lex naturae per rationem nobis innoteſcit, quae recte dicitur legis magiſtra. Cum enim lex naturae bonum faciendum iubeat malumque uitandum praecipiat, (poſ. VI), conſequens eſt, ut lex naturae per id nobis innoteſcat, per quod cognoſcimus, quid ſit bonum malumue, ex eo cognoſcimus, ſi mutationes, ex actionibus oriundas, nexumque adeo inter actionem et eius conſecutiones perſpicimus (§ 10). Quod cum, niſi, adiutrice ratione, fieri non poſſit (§ 212 Met.), intelligitur, rationem legis naturae magiſtram recte dici, per eamque unice innoteſcere nobis

bis hanc propositionem: *Fac ea, quae te tuumque statum perficiunt, omitte ea, quae te tuumque statum reddunt imperfectiorem.*

Quandoquidem ergo ratio nos condocet, quae actiones sint bonae, quae malae, intelligis, cur nonnulli legem naturae uocent *dictamen rationis.*

IX. Vides hinc, omnibus iis, qui rationem ducem et rectricem sequuntur, pro lege esse rationem, neque adeo ipsis esse necessariam peculiarem legem, quae ad bonum suscipiendum eos compellat.

X. Lex naturae est immutabilis et necessaria. Est enim obligatio naturalis necessaria et immutabilis (§ 30). Lex ergo naturae, quae obligatione naturali nititur (§ 34), itidem sit necessaria, oportet, et eiusmodi, ut immutari non possit.

XI. Lex naturae est aeterna. Est enim id omne aeternum, quodcunque est necessarium, id, quod in Ontologia cumulatius a nobis fuit commonstratum. Isthaec theoremata plenius faciliusque ut intelligas, pauca haec addere uisum est. Fac, legem naturae posse mutari, fac, eam non esse necessariam, tum haec propositio emerget: *fac ea, quae mala sunt, i. e. quae te tuumque statum reddunt imperfectiorem, et omitte ea, quae bona sunt.* Ita iubebitur uoluntas humana, appetere malum, et auersari bonum. Quod uero, quid aliud est, quam hominem ex homine tollere (§ 230 Met.)? Quid si uero, inquies, Deo collubitum fuisset, ita creare hominem, ut malum

appeteret, et bonum auersaretur? Ad haec quid respondeam, certum mihi est. At cum uerbosiori mihi esse hic non liceat, ea repetas, quae et supra de interna cuiusque actionis uel turpitudine uel honestate, et in Ontologia de essentiarum necessitate uberius sumus commentati.

XII. Lex naturae latissime patet, uisque eius obligandi ad omnes, qui demum cunque fuerint, homines pertinet, omnesque actiones liberae, sine ulla uel temporis uel loci exceptione per eam determinantur. Est enim lex naturae cum ipsa hominis natura tam arcto connexa uinculo, ut, nisi natura humana sublata, tolli non possit. Quisquis ergo est homo, et quamdiu homo est homo, non potest non ei esse subiectus.

Quod alii ita enunciant: *lex naturae est uniuersalis*, quia ad omnes homines pertinet, est *adaequata*, quia per eam omnes actiones liberae conformantur dirigunturque. Suae ergo inscitiae temeritatisque pudeat atheos, si naturae leges uel peruertere uelint, uel ab earum obligatione cupiant immunes esse. Desinant homines esse, et tum demum legis naturalis uinculo se exsolutos esse, credant.

XIII. Ex his omnibus euidentissimum fit, omnes eos *naturae uiuere conuenienter*, qui eam uiuendi rationem ineant, ut legem naturae seruent. Is enim naturae conuenienter uiuere dicitur, qui bonum appetit, malum auersatur. Postulat id uoluntatis humanae natura (§ 230 Met.). Atqui uero lex naturae quid aliud praecipit, quam ut bonum con-

confecteris malumque fugias (§ 36 pos. V). Qui ergo legem naturae seruant, aut hi naturae conuenienter uiuunt, aut nemo.

XIV. Deus est auctor legis naturalis. Cum enim, quicquid hac rerum uniuersitate continetur, atque adeo ipsa quoque hominis natura ad Deum auctorem referatur, id, quod in Theologia naturali demonstratum dedimus, patet, Deum quoque obligationis legisque illius, quae naturae fundamentis constituta est, esse auctorem.

XV. Recte ergo lex naturalis dicitur diuina. Cum enim ea lex dicatur diuina, ubi obligationis auctor est Deus (§ 35), consequens est, ut lex naturalis sit diuina.

XVI. Quid ex his conficitur? Hoc nimirum, illos omnes actiones ad diuini Numinis uoluntatem componere, qui legi naturali, atque adeo ipsi naturae et rationi conuenienter uiuunt. Hinc illud ortum: *uox naturae est uox Dei.* Atque haec uox Dei, cum ob constantissimam eius sanctitatem, tum ob internam actionum uel turpitudinem uel honestatem, semper eadem similisque sui manet, ita, ut Deus edicti, de bono faciendo fugiendoue malo in mentibus humanis altissime impressi, gratiam nunquam fecerit, aut facere possit, (*dispensare* hoc uocant alii). Quod contra nonnunquam fit in legibus positiuis, quae obligandi uim non a natura actionum hominumque arcessunt, sed a libera uoluntate et arbitrio legislatoris.

Vnum reſtat, quod iis hic dictum uelim, qui cum enunciatum hoc: *fac ea, quae te perficiunt*, audiunt, ita haec accipiunt uerba, ut non niſi utilitatis propriae ſtudium commendari opinentur. Eas, inquiunt, cum lege tua naturali, quae ad commodum proprium referri uult omnia, ad aliorum utilitatem gloriamque diuini Numinis nihil. At hi, ſi infra a nobis demonſtratum legerint, nullius, quisquis hic et cuius fuerit, ſtatum poſſe perfectiorem reddi, niſi Deum colat, niſi gloriae eius amplificandae intentus ſit, niſi denique aliorum, cum quibus uiuit in communitate, rationibus conſultum cupiat, facile, ſi ingenui ſint, intelligent, quam turpiter errarint. Omnia enim officia, quae et Deo et aliis debes, his uerbis, *fac ea, quae te perficiunt*, continentur, id quod ex iis, quae deinceps dicemus, lucide apparebit.

CAP. IV.

De Poenis et Praemiis.

§ 37.

Cum, quae de legibus, ſpeciatimque lege naturali, obſeruari merentur, adtulerimus; conſequens eſt, ut de poenis et praemiis commentemur. Ita enim fieri ſolet, ut, qui lege morigerantur, ſe bonis quibusdam exhilarari ſentiant, et qui eam migrant, affligantur malis, et uel fortunae, uel honoris, uel opum, uel internae tranquillitatis iacturam experiantur. Illud malum, quod legislator actionibus turpibus adiungit, ideo, ut eae omittantur, dicitur *poena*. Sed bonum illud, quod a legislatore cum actione honeſta copulatur, ut ad eam perpetrandam animus

animus eo acrius commoueatur, inciteturque, dicimus *praemium*.

GROTIVS poenam ita definit: *Est malum passionis ob malum actionis*. E. gr. Si miles, qui uel furtum commisit, uel sine commeatu signa deseruit, uirgis lorisque caeditur, malum perpetitur, idque ideo, ut a turpibus his actionibus in posterum absterreatur. Malum hoc, quod ipsius corpori infligitur, et ex mala actione ortum est, dicitur *poena*.

§ 38.

Sunt quaedam mala, quae ex actionibus malis necessitate naturali consequuntur, euitarique nullo modo possunt (§ 10), quae dicuntur *poenae naturales*. Quae autem bona ex actionibus honestis, necessaria consecutione, oriuntur, ea uero *praemia naturalia* appellari solent. Quibus recte opponas eas uel poenas uel praemia, quae *positiua* nominantur, et ab arbitrio legislatoris dependent.

E. gr. Ἀσωτία, quae, monitore PAVLLO, necessitate quadam naturali, ex uinolentia, uitaque libidinose et intemperanter acta, consequitur, est poena naturalis intemperantiae. At liquida illa serenaque mentis uoluptas, quae ex uirtutis studio non potest non oriri, est praemium naturale.

§ 39.

Ex definitionibus his distinctius intelliges, has positiones.

I. Omnes actiones per se bonas honestasque nexu indissolubili sequuntur praemia naturalia, et omnes actiones per se malae sunt eiusmodi, ut ab iis poenae naturales seiungi non possint.

Quod intelliges plenius, si, quae de actionibus, per se bonis malisque, supra diximus, repetieris. Quis enim, ut hoc utar, ab ebrietate crapulam cruditatesque stomachi diuellet? Quotusquisque est, qui possit haec, natura cohaerentia, mala, libidinosam scilicet uitam, et effoetum corpus angoresque conscientiae a se inuicem disiungere? Contra, quis potest uinculum illud naturale, quo uirtus mentisque tranquillitas continetur, dissoluere?

II. Omnes poenae naturales sunt poenae diuinae, omniaque praemia, ex actionibus honestis nexu naturali oriunda, itidem ad DEVM auctorem sunt referenda. De quo tanto minus dubitaueris, quanto exploratius habes, et naturam mentis corporisque humani, et uniuersum rerum omnium nexum a DEO dependere. Quis e. g. corpus ita coagmentauit, ut uires eius luxu, torpore, ac libidinibus non possint non langueſcere, debilitari, consumi? Quis mentem ita effinxit, ut ea uirtutum culturae si fuerit intenta, necessario quodam incredibilique laetitiae sensu expleatur, contra, uitiorum sordibus immersa, angoribus et scelerum conscientia, tanquam furiarum taedis, agitetur, crucietur? Nonne Deus?

III. Hunc autem poenarum praemiorumque naturalium usum esse uoluit Numen, rebus humanis propitium, ut homo iis obligetur uel ad actiones turpes euitandas, uel ad bonas honestasque committendas. Connexuit enim et poenas et praemia naturalia cum actionibus malis bonisue, tanquam motiua et incitamenta, quae uoluntatem

tatem, uel ad bonum committendum inclinent et impellant, uel eam a malo reuocent. Quo ipso uero obligationis notio continetur (§ 21).

Si e. gr. Is, qui ex ebrietate languorem corporis membrorumque debilitatem et mentis angores sentit, in rationem sufficientem penitus inquirere uelit, cur et corpus et animus tantis afflictetur tortoribus, nonne his quasi monitoribus ad uitam cautius instituendam se incitari sentiet? Nonne per gaudium, quod ex recte factorum conscientia oritur, stimulos quasi subdi sibi animaduertet, quibus animus ad maiora excellentioraque indies facta suscipienda concitetur?

Vide, quod, tanquam in transcursu, monitum uelim, quam prouida sit utilitatum humanarum consultrix natura! Vide, quam egregie soliciteque DEVS generis humani rationibus prospexerit! Quam multi ne perspecturi quidem forent, quid bonum malumue esset, nisi Deus actionibus turpibus adiunxisset quasdam calamitates et incommoda? Quam multi, quadam mentis effrenatione, coecoque impetu, in pessima quaeque prorituri essent, nisi poenas naturales extimescerent, quibus, tanquam frenis, a turpitudine mentem humanam retinendam putauit DEVS? Quam multi in uirtutis cultura langueſcerent, nisi innumeris illis opportunitatibus, quas, nexu necessario, adfert uirtus, internaque mentis tranquillitate, actionum bonarum comite, ad praeclariora exstimularentur?

Praeter naturales actionum humanarum consecutiones, dubium non est, quin fortunae, quos uocant, casus, uel secundi uel aduersi pro praemiis poenisue diuinis haberi queant. DEVS scilicet, qui, ex omni aeternitate, hunc mundum perfectissima intelligentia complexus est, causasque rerum, prout altera ex altera nexa est, consecutionesque etiam nunc perlustrat, admirabilem causarum effectorum-

que, ex his causis, tanquam seminibus, nascentium ordinem, ordinisque leges sanxit, legibusque his conuenienter mundum administrat. Ex quo causarum effectorumque ordine, naturali colligatione, conserto contexroque, exsurgit notio *fortunae*, quam recte dixeris eam causarum effectorumque seriem et continuationem, quae, quia mirabilibus est implicita nexibus, a nemine hominum potest plene perspici, et, quia sapientissime et prouidentissime est deuincta, nec immutari potest in ea quicquam, nec tolli. Hos casus fortuitos ita disposuit DEVS, ut ii persaepe, qui legi morigerantur, fortuna secunda utantur, contra illi, qui legum repagula perrumpunt, infortuniis affligantur, ut ita fortuna uel prospera uel aduersa merito quodam suo in numerum diuinarum poenarum et praemiorum referatur. Num poenae naturales recte dicantur poenae, de eo inter eruditos disputatio est orta, quae concertatio, de uerbo *poenae* suscepta, recte ad λογομαχίας pertinere existimatur.

CAP. V.

De Virtute et Vitio Hominisque felicitate.

§ 40.

Vt, quid sit *uirtus*, intelligi queat, ad id, uel maxime, animum aduertas, uelim, ut *actiones*, ad naturae legem conformatas, distinguas ab *habitu* actiones legi naturali conuenienter instituendi. Neque enim is uirtute praeditus dici existimarique potest, qui alteram alteramue actionem ad legis praescriptum componit. Sed uirtus requirit rectum animi habitum, constantemque et conuenientem animi affectionem, perpetu-

petuumque ſtudium legis imperata faciendi. *Virtus* enim eſt habitus actiones ſuas legi naturae conuenienter inſtituendi. *Vitium* uero, uel potius *uitioſitas* eſt habitus legem migrandi, ſiue actiones ſuas legi naturali minus conuenienter inſtituendi.

§ 41.

Quae his definitionibus continentur enunciata, paucis habeto.

I. Non quaecumque externa actionum conuenientia cum lege pro uirtute haberi debet. Virtus enim internam quoque mentis habilitatem ſtudiumque recte agendi poſtulat.

II. Caue ergo, honeſtatem externam, quae in externa conuenientia actionum cum lege poſita eſt, cum uirtute confundas.

III. Virtus aeque, ac uitium, uſu continentique exercitatione acquiruntur. Habilitas enim ſiue firma agendi facilitas non, niſi continuo exercitio, acquiritur.

IV. Qui uirtute praeditus eſt, eas actiones ſuſcipit, quae ſtatum ſuum perficiunt. Eſt enim uirtus habitus legi naturae actiones conuenienter inſtituendi (§ 40). Qui uero ad legem naturae facta ſua componit, is ea ſuſcipit, quae ſtatum ſuum perficiunt (§ 36 poſ. V).

Poteras ergo uirtutem ſic quoque definire: *Virtus eſt perpetua et conſtans uoluntas, ſe ſtatumque ſuum perficiendi.* Idem: *Virtus eſt habitus uoluntati diuinae conuenienter actiones ſuas inſtituendi*: Eſt enim lex naturae lex diuina (§ 36 poſ. XV).

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0419
DFG

V. Qui uirtuti deditus est, actiones suas legi naturae lubenter ac libere attemperat. Est enim uirtus constans et perpetua uoluntas recte agendi, et, qui eius studiosus est, gaudet facilitate aliqua legi obediendi. Omnis ergo hic externa coactio, quae animum ad bonum impellat, abest, sed mens, uirtuti dedita, naturali honestarum actionum bonitate allicitur, suauiterque inclinatur ad bonum committendum.

VI. Qui ergo ad malas actiones omittendas metu poenae compelluntur, non possunt uirtute praediti esse.

VII. Virtutem sibi ipsam praemium esse, ex his intelligitur. Id enim efficit uirtus, ut legi conuenienter agamus (§ 40); atque adeo, ut nos nostrumque statum reddamus perfectiorem (§ 36 pos. V). Quia uero ea, quae nos nostrumque statum reddunt perfectiorem, bona sunt (§ 230 Met.): Bona autem, ex actionibus, quas suscepimus, resultantia, sunt praemia (§ 38); uirtus praemia nobis largitur, siue sibi ipsa est praemium. Hic explicanda quoque est *imbecillitas moralis*, quae est, cum quis naturali quadam impotentia impeditur, quo minus legem naturalem obseruet, *impotentiam* uero *naturalem* tum demum locum habere dicimus, cum ea corrigi aut tolli uiribus nostris non potest.

Ita infirmitati naturali tribuere consueuimus, cum quis ob ignorantiam quandam, quae uitari non potuit, officia non obseruat. E. gr. si homines, inde a te-

a teneris unguiculis inter feras educati, cultum Dei omittunt. At si ignorantia recti honestique fuerit eiusmodi, ut potuerit euitari, tum falso infirmitatis naturalis integumento male facta uelari excusarique, oppido patet. Vid. CARPOVII Disp. de gradibus uirtut.

§ 42.

Cum in eo, ut quis uitam ad legem naturae componat, magna uis magnumque momentum positum sit ad perficiendam et mentis et corporis conditionem (§ 36 pos. V), manifestum est, non posse non eius animum, qui legem naturae obseruat, iucundissimo uoluptatis sensu expleri, propterea quod uoluptas a perfectionum nostrarum amplificatione separari nequit (§ 219 Met.). Haec animi laetitia siue uoluptas, quam legis naturae custodia partu quasi excludit, quaeque uirtutis futuris nititur, efficit id, quod felicitatem dicere consueuimus. Est enim *felicitas* nihil aliud, quam status durabilis gaudii.

Quid per *durabile gaudium* hic intelligi uelimus, copiosius explicauimus in Metaphys. § 220 pos. V. Si quis ea, quae ibi adtulimus, intelligit, non mirabitur, nos felicitatem in durabilis gaudii statu ponere. Sed si qui tamen fuerint, quibus haec felicitatis notio minus probetur, eos uero rogatos uolo, ut haec cum animo paullisper reputent, quae, illustrationis causa adponam. Felicitatem humanam aut efficit dolor et aegritudo, aut gaudium. Illud non facile quispiam dixerit. Relinquitur ergo, ut felicitatem in statu gaudii consistere, affirmes. Quale autem hic uis gaudium? Num fugax, num breue, et caducum, num tale denique putas, quale hominum libidinosorum ebriosorumque esse solet, qui, quam diu in lustris et helluationibus uiuunt, tamdiu

tamdiu immoderatiori efferuntur gaudio, at paullo post ex insana illa uoluptate innumeras poenitendi dolendique causas enasci uident. Eiusmodi laetitia, uel umbra potius laetitiae, tantum abest, ut gignat felicitatem, ut potius miseros efficiat infelicissimosque omnes eos, qui uoluptatibus seruiunt. Restat ergo, ut, nisi quae cum perpetuo constantique coniuncta sit gaudio, felicitas nulla esse queat.

CICERO definit felicitatem per cumulatam bonorum complexionem, secretis malis omnibus Lib. V Quaest. Tusc. Alii ita: *Felicitas* est fruitio boni. Qui quidem nostram definitionem aliis uerbis enunciant.

§ 43.

Infelicitas est status perdurantis taedii.

Taedium, quod cito transit, quodque saepius uoluptatis perpetuitate pensatur, non est infelicitas nominandum.

§ 44.

De felicitate obserues has positiones.

I. Qui statum suum quotidie reddit perfectiorem, non potest non felicitate potiri. Qui enim statum suum reddit perfectiorem, non potest non uoluptatem mentis laetitiamque promouere, (quia a perfectionibus earumque sensu uoluptas seiungi non potest) (§ 219 Met.), et, quae inde oritur uoluptas, non potest degenerare in taedium, (quia causa taedii abest, addit enim perfectiones perfectionibus). Patet ergo, eum, qui statum suum perfectiorem quotidie reddit, non posse non felicitate potiri.

II. Qui

II. Qui legem naturalem obſeruat, is felicitatem conſequitur. Cum enim is, qui legem naturalem obſeruat, ſtatum ſuum perfectiorem reddat (§ 36 poſ. V), conſequens eſt, ut idem felicitatem conſequatur.

III. Qui uirtutem colit, is felicitatem adipiſcatur neceſſe eſt. Cum enim, qui legem naturalem obſeruat, felicitate potiatur (poſ. II), uirtutis autem proprietas haec prima ſit, ut legem naturalem cuſtodiat (§ 40); intelligitur, uirtute et gigni et conſeruari felicitatem.

IV. Omne ergo uitium felicitatis eſſe impedimentum, et miſeriae infelicitatisque cauſam, ex his apparet.

V. Qui rationi et uoluntati diuinae conuenienter uiuit, is fit felicitatis particeps. Quia enim is, qui legi naturae obſequitur, felix fit (poſ. II); lex autem naturae eſt ipſa ratio, et lex diuina (§ 36 poſ. XV): patet, qui rationi et uoluntati diuinae obſequitur, eum non poſſe non felicem euadere.

VI. Summum bonum (philoſophicum) et felicitas arcto uinculo continentur, neque a ſe inuicem diuelli poſſunt. Si quis eam uiuendi rationem inierit, ut perfectiorem ſe in dies reddat, et in perfectionibus magis magisque creſcat longiusque progrediatur, tum eum hoc bono maius quoddam excellentiusque, in hac uita, per uires rationis conſequi poſſe negamus, atque adeo ei tribuimus SVMMVM BONVM. Iam uero cum is ſtatus, quo quis in dies ſe perfectiorem reddit,

dit, a felicitate seiungi nequeat (pos. I), palam est, summum bonum et felicitatem arctissimo uinculo contineri.

De summo bono, quod WOLFIVS in *progressu non impedito ad maiores in dies perfectiones ponit*, omni tempore philosophi disputarunt, at, ut fit, de uerbis magis, quam de re ipsa concertationes susceperunt. Summum malum uocat idem WOLFIVS *non impeditum progressum ad maiores in dies imperfectiones.*

CAP. VI.

De Conscientia.

§ 45.

Si quis uitam ad naturae legem componere, atque adeo uera perfrui felicitate cupit (§ 44 pos. II), tum singulas, quas suscipit omittitque, actiones accuratius examinet, oportet, num legi sint consentaneae, nec ne. Quod fieri non potest, nisi adiutrice ratione, qua, quid honestum, quid turpe, perspicimus, iudicamusque adeo, num actio committenda sit an omittenda. Iudicium hoc de actionum honestate ac turpitudine appellatur *conscientia.*

E. gr. Si quis, artibus ueteratoriis, incautiores argento emunxerit, aut fraude scelestaque malitia animos amicorum dissociauerit, contuberniumque euerterit, is, si iudicat, num recte fecerit, an secus, uim conscientiae in se persentiscit. Scrupulosius paullo minutatimque WOLFIVS in omnes conscientiae formas et species inquisiuit, quarum praecipuas pro instituti ratione, adducemus.

§ 46.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0424
DFG

§ 46.

Si iudicamus prius, quam actio patrata fuerit, num illa suscipienda sit, aut omittenda, tum iudicium hoc uocamus *conscientiam antecedentem*, idem uero post actionem patratam appellamus *conscientiam consequentem*.

Si ante, quam quidpiam suscipimus, de eo tantum iudicamus, num actio suscipienda *bona* sit uel *mala*, tum uero appellatur *conscientia theoretica*. At si de eo disquisitionem instituimus, num actio *patranda* sit, aut *omittenda*, tum conscientia uocatur *practica*.

§ 47.

Si iudicium, quod fers de actionis suscipiendae uel susceptae honestate aut turpitudine, uerum fuerit, conscientia dicitur *uera* uel *recta*, *falsa* autem est uel *erronea*, si iudicium fuerit falsum. Si dubitas, num actio bona sit aut mala, conscientia uocatur *dubia*. Ratio autem illa, quae efficit, ut ambigas, honestumne sit, an turpe factum, dicitur *scrupulus conscientiae*.

Has notiones qui distincte intelligere cupit, is ea repetat, quae de iudicio uero falsoue, itemque de dubitatione in logica attulimus. Ad illustrandas has definitiones accommodata uidentur sequentia exempla. Si quis iusiurandum seruandum putat, uel REGVLVS apud CICERONEM, si quis item, quamuis omnes homines celare possit, nihil tamen auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum, censeat, conscientiam ueram siue rectam ei tribuimus. At si quis, ut Pythius ille, qui argentariam faciebat Syracusis, alterum, utilitatis suae causa, fallere doloque deludere, non modo non nefas, sed honestum quoque et ingenio suo duxerit dignum: Si quis, qui solus, quam

cum

cum altero, regnare mauult, ſpecie utilitatis commotus, fratrem interimi iure poſſe exiſtimauerit, ut ROMVLVS, in eo non minus falſam erroneamque conſcientiam deprehendis, quam in illo, qui, aliorum ſpoliis facultates ſuas auĉturus, ueneno, idque ſine ſcelere, perfici poſſe, opinatur, ut ueri heredes moueantur, ut in eorum locum ſuccedat. Si patriam prodere conatus fuerit pater, reſcieritque id ſcelus filius, dubitet autem, indicandumne hoc ſit magiſtratibus, an ſilendum, tum conſcientia filii eſt dubia. Si quis PAVLLI epiſtolam, ad Corinthios miſſam, legerit, ſapientiamque humanam inuenerit appellari μωρίαν, et ipſos philoſophos a felicitatis aeternae aditu fere excludi uiderit, tum uerba Paullina ipſi ſcrupulum iniiciunt, quo inquietatus ambigere occipit, rectene, et ſine ſalutis dispendio philoſophiae quis operam dare poſſit. Verba ergo PAVLLI ſunt ſcrupuli conſcientiae, qui animum aeque pungunt ac uellicant, ac ſolet ſcrupus ſiue lapillus, qui, cum inciderit in calceum, pedem miſere adfligit preſſusque ſollicitudinem et angorem creat.

§ 48.

Cum iudicium uerum uel *certo*, uel *probabiliter* uerum eſſe, logica doceat (§ 156), intelligitur, conſcientiam ueram uel *certam* eſſe, uel *probabilem*.

Exempl. gr. Si quis, demonſtrationibus fultus, certo norit, tollendum eſſe in rebus contrahendis omne mendacium, ſi quis de eo conuictus fuerit, dedecere uirum bonum, haereditates malitioſis blanditiis officiorum quaerere, tum conſcientia eius *certa* eſt. At ſi uir bonus (quem caſum adducit CICERO Lib. III de Off. c. 12), Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum aduexerit in Rhodiorum inopia ac fame, ſummaque annonae caritate: ſi idem ſciat, complures mercatores ab Alexandria ſoluiſſe nauesque

uesque in cursu, frumento onustas, petentes Rhodum, uiderit, dicturusne sit in Rhodiis, an silentio suum quam plurimi uenditurus. Pro silentio militare uideri poterant hae rationes et περιςάσεις.

1) Sine insidiis ago, inquit mercator, nec uitia in frumento sunt, quae iure ciuili dicere me oporteat.

2) Qui uendit sua, uult omnia quam optime uendere.

3) Adduxi, sic pergit mercator, exposui: uendo meum non pluris quam ceteri: fortasse etiam minoris, cum maior est copia.

4) Cui fit iniuria? non extorqueo emtoribus pecuniam, nec merces meas ipsis obtrudo, cetera.

Ex his circumstantiis conficit probabiliter hanc conclusionem: *ergo licitum est, nec nefas, de nauibus Rhodum petentibus tacere.*

§ 49.

Si quis, rationem ducem secutus, eiusmodi de actionibus uel susceptis uel suscipiendis tulerit iudicium, quod distincta nititur actionis cognitione, tum conscientia dicitur *libera.* Sed si quis affectuum impetu, tanquam turbine, abreptus iudicauerit, ita, ut sensus, fallaces illos pessimosque consultores, potius sequatur, quam rationem, *serua* tunc uocari consueuit conscientia.

Si quis daret hanc uim CRASSO, ut digitorum percussione haeres posset scriptus esse, qui reuera non esset haeres, in foro saltaret, prae gaudio scilicet, quippe qui, sensuum illecebris auaritiaque impulsus, honestum opibus postponeret, conscientiam seruam secutus. Vir autem iustus et bonus nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet, conscientia libera duce et norma usus.

§ 50.

Cum conſcientia conſequens conſentit cum antecedenti, tum conſcientia dicitur nos *excuſare*, at ſi diſſenſio adfuerit antecedentis conſequentisque conſcientiae, *accuſat nos conſcientia.*

E. gr. Iudas ante, quam Ieſum prodebat, mercedulam ſperatam putabat bonam utilemue, quin imo pluris eam aeſtumabat, quam gratiam amoremue Seruatoris ſui. At poſt, quam turpem hanc actionem ſuſceperat, triſtiſſimo poenitentiae ſenſu excruciabatur, proditionemque et pecuniam acceptam exiſtumabat turpem, malam, noxiam et deteſtabilem. Vide conſcientiae antecedentis et conſequentis diſſenſum, quo conſcientiae accuſatio continetur! Cum CICERO, globo Catilinariae coniurationis disiecto, et Catilinam ipſum, et eius ſatellites adminiſtrosque foras proiecisſet, eiusmodi quid ſe ſuſcepiſſe iudicabat, quod reipublicae foret apprime ſalutare. Acto in exſilium Catilina, quamuis ſe innumeris inuidiae calumniaeque telis propoſitum uideret, perſtabat tamen in ſententia, ſeque reipublicae conſeruatorem fuiſſe ſentiebat. Quo ipſo conſcientia Tullium excuſabat, de quo uid. Orat. III Cat. c. 12.

§ 51.

Morſus conſcientiae eſt taedium illud, quod ex accuſatione conſcientiae, ſiue ex conſcientiae antecedentis et conſequentis diſſenſione oritur.

NERO, qui matris caedem bonam adeoque patrandam putabat, atrociſſimo hoc ſcelere admiſſo, aliter ſentiebat, factumque deteſtabatur. Ex quo iudicii uel conſcientiae antecedentis et conſequentis diſſidio mentis cooriebantur turbae, quas ita ſubiicit legentium oculis SVETONIVS: *ſceleris conſcien-*

ſcientiam, quamquam et militum, et ſenatus populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut poſtea nunquam ferre potuit, ſaepe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, uerberibus Furiarum, ac taedis ardentibus.

Eleganter quoque SALLVSTIVS morſus conſcientiae, quibus Iugurthae animus uulnerabatur, hunc in modum deſcripſit: *Neque poſt id locorum Iugurthae dies aut nox ulla quieta fuit, neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori ſatis credere ciues hoſtesque iuxta metuere: circumſpectare omnia, et omni ſtrepitu paueſcere: alio atque alio loco ſaepe contra decus regium noctu requieſcere: interdum ſomno excitus, arreptis armis tumultum facere: ita formidine, quaſi uecordia exagitari.* Bell. Iugurth. c. 72.

§ 52.

Qui diuturno peccandi uſu et exercitatione ita induruit, ut ad id, quod agit, non amplius aduertat animum, nec disquirat adeo, num factum, quod committit, turpe ſit, an honeſtum, ſed ſequatur, quo effrenata ipſum cupiditas rapit, eius *conſcientia* dicitur *dormire*, ut ita *ſomnus conſcientiae* nihil aliud ſit, quam is mentis humanae ſtatus, ubi de eo ne quidem cogitat, utrum actiones, quas homo ſuſcipit, ſint legi naturae ſiue diuinae conuenientes, nec ne.

WOLFIVS ita: *ſomnus conſcientiae appellatur abſentia conſcientiae antecedentis et conſequentis.* Philoſoph. practic. uniuerſal. § 499. E. gr. ſi quis, in omne uitiorum libidinumque genus effuſus ſolutusque, ita iam luxum omnesque uoluptates conſuetas habet, ut ſcortari, comeſſari, otiarique ipſi, quia omnem aetatem in laſciuia, ſocordia et deliciis egit, iam ex conſuetudine in naturam uerterit, tum actionum ſuarum turpitudinem penſitare non ſolet. Quod

ipsum documento est, dormitare conscientiam. Accidit idem conscientiae somno sopitis, quod ebriis euenire solet, quos scimus, de mente deiectos, et ipsis adeo sensibus orbatos, alterum ab altero uix internoscere, et nihil eorum, quae egerunt, nosse.

§ 53.

Si quis, cum dormitauerit conscientia, in actiones praeteritas inquirit, et transacta perpendit, tum dicitur *conscientia euigilare.*

E. gr. Fratres Iosephi, omnium rerum penuria laborantes, inediaque fere confecti, iniuriae, Iosepho olim illatae, memoria perculsi, grauiter se peccasse sentiebant. Mire conscientiae dormientis euigilantisque notionem illustrat exemplum Alexandri M. qui, impotens animi, sensibus mero uictis, Cliti latus hasta transfixit, parum, quamdiu ebrietas noctem quasi menti offuderat, facti turpitudinem perpendens. (*En imaginem conscientiae dormientis!*) At idem ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit, scelusque, ad quod currebat praeceps, sedente impetu, ueris mox pretiis aestimauit. CVRT. L. VIII c. 2.

§ 54.

Qui nullum ex actione patrata taedium sentit, quamuis factum accuratiori examini subiiciat, *perfrui* is dicitur *conscientia tranquilla.* Aegritudo autem et dolor, actionem patratam sequens, turbidam et irrequietam conscientiam efficit.

§ 55.

Qui fruitur conscientia libera, i. e. qui sequitur semper in agendo rationem ducem, nec ad malum quod dissuadet ratio, perpetrandum se induci patitur, is *religiosus* dicitur, at, qui affectuum

ctuum ablatus impetu, id suscipit, quod ratio pensitatis omnibus facti momentis, turpe esse dictitat, idque omittit, quod ratio, bonum honestumque et suscipiendum esse perspicit, *nullius* homo *conscientiae* appellatur. Si quis de eo sollicitus est, ut recta gaudeat certaque conscientia, dicitur *conscientiam custodire.*

E. gr. Regulum in retinenda fide officioque religiosum fuisse, testatur ipsius constantia, qua iusiurandum, Carthaginiensibus praestitum, seruandum existimabat, nullo modo, nullis opportunitatibus, nec ipso mortis crudelissimae subeundae metu a sententia sua dimouendus. Rationem sequebatur, qua magistra, persancte fidem seruandam nouerat, omniaque, quae sensibus lenocinari uidebantur, excelso inuictoque animo spernebat. At nullius erat conscientiae Caesar, qui, teste CICERONE, omnia iura diuina et humana peruertit, propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Lubidini et dominatui, quam rationi et reipublicae, magis seruiebat. Vid. CIC. de Off. L. I c. IX. Pari modo perfuga ille, qui, si praemium sibi propositum esset, Pyrrhum ueneno se necaturum pollicebatur, nullius se conscientiae esse testabatur, de quo CICERO L. III Off. c. 22.

§ 56.

Variis conscientiae formis expositis, euolutisque distinctius, quae huc pertinent, notionibus, perfaciles nunc erunt intellectu positiones, definitionibus allatis superstructae.

I. Vbi est nulla legis naturalis cognitio, ibi non potest locum habere conscientia. Vbi nullum iudicium de actionum honestate uel turpitudine locum habet, ibi non locus

est conscientiae (§ 45). Vbi nulla legis naturalis cognitio reperitur, ibi non potest esse iudicium de actionum uel honestate uel turpitudine. Omnis enim actionum honestas et turpitudo ad legem naturalem exigitur, cui, quicquid consentaneum est, bonum honestumque dici solet; malum contra et turpe, quod eidem est contrarium (§ 36 pos. VI).

Alii ita: Conscientia est applicatio legis ad facta propria (§ 45); lex quomodo ad facta applicabitur, nisi eandem cognoscas? Conscientia ergo, fieri non potest, ut locum habeat sine legis cognitione.

II. Sine ratione nulla potest esse conscientia. Cum enim lex naturae per rationem nobis innotescat (§ 36 pos. VIII), sine legis autem naturae cognitione non locum habere possit conscientia (pos. I), manifestum est, nullam esse posse sine ratione conscientiam.

III. In bruta ergo animantia non cadit conscientia. Bruta enim destituuntur ratione (§ 279 pos. II Met.), quae si abest, non locum habet conscientia.

IV. Fieri potest, ut quis agat contra conscientiam, si scilicet iudicium mutat de actionum honestate uel turpitudine. Si enim, quod quis bonum iudicabat olim, nunc idem, accedentibus momentis quibusdam, antea non cognitis, malum putat, et contra, manifestum est, tum animum, qui ferebatur antea in bonum, nunc auersari illud, et contra. Mutata enim boni maliue cognitione, muta-

mutatur appetitus auerſatioque (§ 230 Met.). Quis ergo neget, hominem id omittere poſſe, quod antea ſuſcipiendum putabat, et id ſuſcipere, quod antea omitti debere opinabatur?

Sunt autem multa, quae efficiunt, ut mutemus iudicium de eo, quod bonum malumue eſt. Nonnunquam in re ipſa circumſtantias quasdam, ſuccedente tempore, detegimus, quae efficiunt, ut quidpiam, quod bonum antea exiſtimabamus, malum, detectis his περιςάσεσι, ducamus.

E. gr. Obedientiam, parentibus praeſtandam, iudicas, bonum quid eſſe. At ſi pater iuſſerit te furari, aut patriam prodere, tum, quam antea patri praeſtandam eſſe putabas, obſequentiam, iam malum quid eſſe exiſtimas. Maxime uero ſenſus et imaginatio, quique ex his oriuntur, affectus turbulentiores, iudicium mentis humanae de bono maloue immutare conſueuerunt. Vnde uſu uenit, ut plerique homines, quod, duce ratione, turpe agnoſcebant, id, ſenſuum et perturbationum animi impetu, tanquam turbine, abrepti, agant. Complures, uoluptatum illecebris ſe perdi, et ſummam ineſſe libidinibus turpitudinem, non ignorant, ſed certo ſciunt, idemque alios perſaepe docent. At, ſenſuum illecti lenociniis, ſi ita ferat occaſio, id agunt, quod damnarunt, neque, quam, tanquam uenenum, fugiendam ſuadebant aliis, uoluptatem deuitant, ſed ei foediſſime ſeruiunt. Videantur ea, quae de pugna appetitus rationalis et ſenſitiui dedimus in pſychologia § 298.

V. Quam diu rationem ducem ſequimur, ſiue, ad conſcientiae liberae decretum actiones ſuſcipimus (§ 49), tamdiu, ſin-

gulis momentis accurate expensis, fieri non potest, ut contra conscientiam agamus. Quamdiu enim quis, rationem magistram siue liberam conscientiam secutus, bonum malumue distincte cognoscit, omniaque actionum momenta accuratius expendit, tamdiu fieri non potest, ut uoluntas uel appetat id, quod mens distincte cognoscit, ut malum, aut auersetur id, quod a ratione bonum habetur (§ 230 Met.).

Si quis distincte certoque nouit, turpe esse, mentiri, fallere, furari, nae is omne mendacium furtumque auersabitur, tamdiu scilicet, quamdiu ratio imperat, nec sensuum affectuumque ui de solio quasi suo deiicitur.

VI. Qui secundum conscientiam erroneam agit, is peccat. Qui enim secundum conscientiam erroneam agit, is, id bonum esse, existimat, quod malum est, et id malum opinatur, quod bonum est (per def. *error.*). Atque adeo id, quod reuera malum est, appetit agitque, quia bonum esse arbitratur, et, quod re bonum est, auersabitur, quia malum esse credit. Agit ergo contra legem naturae, quae bonum faciendum praecipit, malumque a quouis omitti iubet (§ 36 pos. V). Qui agit contra legem, *peccat.* Ergo, qui secundum conscientiam erroneam agunt, peccant.

Si idolorum cultores imaginibus ligneis lapidibusque cultum exhibent diuinum, conscientiae errore ad immolandum supplicandumque idolis inducuntur. Qui uero cultus cum sit turpissimus illicitusque, patet, gentes maximo se scelere obstringere, quandoqui-

doquidem bonum id ſuſcipiendumque ducunt, quod malum eſt, turpe, et deteſtandum.

VII. Qui contra conſcientiam erroneam agit, itidem peccat. Qui enim contra conſcientiam agit, ſiue ſit recta, et uera, ſiue ſit falſa, id ſuſcipit uel ex libidine, uel propter utilitatis ſpeciem, uel quacunque alia de cauſa, quod malum eſſe iudicat, idque omittit, quod bonum cenſet. In quo quantum inſit uitii, intelligis, uel me non monente, maxime ſi expenderis, eiusmodi hominem ſcientem uolentemque id, quod legis decreto praeſcribi putabat, migrare.

Si idolorum cultor eum, quem idolis exhiberi debere exiſtimat, cultum imaginibus non exhibet, peccat, idque non ideo, quia cultum non praeſtat idolis, ſed propterea, quia id, quod bonum putat, omittit negligitque. Indicat enim id et leuitatem et malitiam mentis. Dionyſius, Syracuſis genitus, ſi, quod propius fidem eſt, idola pro ueris Diis habuit, egit contra conſcientiam, licet erroneam, atque adeo peccauit, ſimulacris, ex aere fictis, illudendo, iisdemque ornamenta detrahendo. De quo VALERIVS MAXIMVS plura adfert Lib. I c. 1 de religione.

VIII. Vides ex his, quanti interſit ad hominis felicitatem, mentem, in rebus expetendis fugiendisque, uera boni maliue notione imbui, nec erroribus praeiudicatisque opinionibus de recto tramite detorqueri. Qui enim erroribus ducuntur in agendo, peccant, ſiue actionem ſuſcipiant, ſiue omittant, (poſ. VI, VII).

IX. Qui actionem ſuſcipit, quamdiu con-

ſcientia dubia eſt, peccat. Quamdiu enim conſcientia dubia eſt, tamdiu is, qui actionem ſuſcipere uult, ignorat, an actio committenda ſit nec ne, honeſta ſit, an turpis. Fac ergo, eiusmodi hominem nihilominus actionem ſuſcipere, quamuis, num bona ea ſit, an mala, ambigat, nonne ita honeſtatem, turpitudinemque actionis iuxta aeſtumabit? Nonne ita ſecum cogitabit: „ſiue bona ſit actio, quam ſuſ„cipere uolo, ſiue mala, tamen ſuſcipiam il„lam„. Nonne, ſic ſe gerendo, declarabit, uelle ſe agere contra legem, et peccare? Atqui uero, qui uult peccare, iam peccat. (Lex enim nos obligat, ut actiones bonas committamus, et uelimus etiam committere). Qui ergo actionem ſuſcipit, quam neſcit, bonisne actionibus annumeret, an malis, is peccat, proditque animum Deum offendendi.

E. gr. Si quis adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, cum id reſcierit, et, animo in diuerſa diſtracto, dubitauerit, honeſtumne ſit et licitum eos, ſi cui debeat, pro bonis ſoluere, ſoluat tamen; is magno ſe obſtringit ſcelere. Praeclare, hanc in rem, CICERO, Lib. I c. 9 de off. *Quocirca bene praecipiunt, qui uetant quicquam agere, quod dubites, aequum ſit, an iniquum.* Vid. STEINWEHR diſſert. de obligatione conſcientiae dubiae.

X. Ex quo intelligitur, religioſum non poſſe quicquam ſuſcipere, quod, dubitet, honeſtum ſit, an turpe. Sequitur enim religioſus conſcientiam liberam (§ 55), atque adeo actiones ſuas ad rationis normam et decretum componit. Nihil ergo agit, niſi quod ratio bonum eſſe dictitat, nec omittit quicquam

quam, nisi quod ratio uult omitti. Quod contra fit in iis, qui, animo fluctuantes, ad agendum accedunt, actionem suscipiendam rati, siue sit legi consentanea, siue minus.

XI. Permultum ergo ad tranquillandam mentem interest, certam reddi conscientiam, quod non, nisi demonstratione, effici potest. Est enim demonstratio, id quod in Logica docuimus, praecipuum certae cognitionis adminiculum (§ 159 Log.).

E. gr. Si animus, contrariis rationibus huc illuc impulsus, definire non queat, saltatio num licita sit, tum opus est, ut mens rationes interiores, quae pro defendenda alterutra aut utraque sententia adferuntur, expendat, ponderet, et demonstrationum ui uincatur.

XII. Cum conscientiae scrupuli eam dubiam reddant (§ 47), patet, conscientiae scrupulis eximendis demonstrationes egregie inseruire.

XIII. Qui secundum conscientiam rectam et certam agit, is non habet, quod accusationem conscientiae extimescat. Qui enim secundum conscientiam rectam et certam agit, is id, quod in se bonum est, non modo bonum esse, iudicat, sed certo quoque nouit, illud bonum esse et honestum, (§ 48). Fieri ergo non potest, ut iudicium de bono maloue mutet. Atque adeo nunquam iudicium, post actionem demum latum, a iudicio ante actionem discordabit. Quo ipso manifestum fit, ipsi conscientiae accusationem, quae dissensione iudicii ante actionem et iudicii

dicii post actionem efficitur (§ 50), non esse extimescendam.

Fac, iudicem, qui iustitiam aequabiliter promit et exercet, furem aut latronem in uincula coniici iussisse. Hic iudex agit id, quod certo nouit, reipublicae esse salutare et bonum. Fac porro, furem aut latronem in carceribus sibi uel cultro fauces praecidere, uel laqueo easdem intercludere, num iudicem a conscientia accusatum iri putas? Non putauerim. Conscientia enim consequens ab antecedenti iudicis conscientia non dissentiet?

XIV. Ex quo apparet, ei, qui secundum conscientiam rectam et certam agit, non esse morsus conscientiae pertimescendos. Cum enim morsus conscientiae ex accusatione conscientiae oriantur (§ 51), accusatio autem conscientiae in eo, qui secundum conscientiam rectam certamque agit, locum habere non possit (pos. XIII) intelligas, licet, neque morsus conscientiae illi, qui secundum conscientiam rectam certamque agit, esse metuendos.

XV. Accusatio et morsus conscientiae reddunt hominem infelicem. In omni enim accusatione et morsibus conscientiae innumeri, iique turbulentiores, motus conspirant quasi ad aegritudinem animo conciliandam, mentemque doloribus excruciandam (§ 51). Cum uero is status, quo mens, dolore conturbata, taedium aegritudinemque persentiscit, *infelicitatis* notionem constituat (§ 43), dubitari non potest, accusationem, et, qui eam sequuntur, morsus conscientiae hominem reddere infelicem.

CAP. VII.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0438
DFG

CAP. VII.

De Imputatione.

§ 57.

Si cui quidpiam imputamus, tum eum, cui factum imputamus, pro causa libera et auctore facti declaramus. Vt adeo *imputare*, si generatim hanc uocem sumseris, nihil sit aliud, quam declarare, ad quem tanquam auctorem actio, cum eaque connexa, uel poena, uel praemium pertineat.

E. gr. Si quis opibus, quas honeste habere licet, per luxum lubidinemque abusus fuerit, easque abligurierit, tum helluoni eiusmodi et prodigalitas, et, quae ex ea cooriuntur, mala, paupertas, infamia, desperatio, cetera, tanquam auctori tribuuntur. Ita Dionysio recte imputas uitia, funesta fata, miserrimamque et infeliciſſimam mortem, quam Dionis filius subiit. CORNELIVS haec de eo memoriae prodidit: *Dionysius filium Dionis sic educari iussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero, priusquam pubes esset, scorta adducebantur, uino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Is usque eo uitae statum commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater. (namque appositi erant custodes, qui eum a pristino uictu deducerent) ut se e superiore parte aedium deiecerit, atque ita interierit.* In Dione c. 4.

§ 58.

Ex imputationis notione distincte concipi intelligique possunt sequentes enunciationes.

I. Nulla actio, nisi libera, potest imputari. Si enim actio debet imputari, tum opus est, ut causa

causa libera eam susceperit (§ 57). Causa autem libera facti esse non potest, nisi quae libere agit (per def.) atque adeo nulla actio, nisi libera, imputari potest.

II. Nulla ergo actio imputari potest, nisi quae, penes te est, siue in potestate tua. Actio enim libera debet esse in potestate nostra (§ 6).

III. Quo magis libera est actio, eo magis imputatur.

IV. Fundamentum ergo omnis imputationis est *libertas*, quae quemadmodum uel laxatur, uel restringitur, ita uel magis uel minus imputatio locum habet.

V. Ex his conficitur, actiones, quae uocantur *naturales*, homini imputari non posse. Non enim sunt actiones naturales in potestate nostra (§ 6), neque adeo liberis annumerandae.

E. gr. Si pulmones tui difficulter, nec, nisi cum anhelatione et sono quodam, respirauerint, tum haec pulmonum actio, in se spectata, est eiusmodi, ut imputari tibi non possit. At si intemperantia aut lubidine respirandi uim in pulmonibus labefactasti, haec pulmonum debilitas, omnesque, qui ex ea consequuntur, morbi recte tibi imputantur. Penes te enim fuit, temperanter uiuere, libidinesque et nimiam uenerem fugere.

VI. Actiones furiosorum, delirorum, noctambulonum, alto somno sopitorum, infantum, ipsis imputari non possunt. Non pertinent enim ad actiones liberas (§ 6 pos. V), quippe quae rationis usum postulant,

lant, qui in delirantibus aut infantibus nullus est.

VII. Ea, quae fieri non possunt, siue ἀδύνατα, imputari nobis non possunt. Haec enim non sunt in potestate nostra, neque adeo a libertate dependent.

Vt uero intelligas, quaenam ad ἀδύνατα siue impossibilia referenda sint, ea repetas, quae in Metaphys. § 18 et 19 et supra (§ 23 pos. VII), hanc in rem disputauimus. Sunt nonnulla ita impossibilia, ut uires humanas prorsus transcendant, e. gr. ut quis linguas omnium gentium calleat. Sunt alia uero eiusmodi, ut fieri possint, neque uires humanas excedant, quae uero, si huius illiusue hominis uires spectaueris, sunt ἀδύνατα. e. gr. Infanti philosophiae mathematumque inscitia imputari nequit, quia uires infantis his scientiis capiendis impares sunt.

VIII. Ita uides, an et quatenus ea possint imputari, quae propter impotentiam agendi uiriumque defectum fieri non possunt. Si uirium debilitas et agendi impotentia a libera tua uoluntate dependet, tum ea, quae fieri debebant, at, propter uires debilitatas sublatasque, effici non possunt, tibi imputantur.

Si e. gr. ebrius seruus per ebrietatem ineptum se reddiderit ad ministeria debita obeunda, intelligitur, ipsi intermissionem laborum recte imputari. Poterat enim ebrietatem euitare. Si quis crapulis helluationibusque memoriae robur ac uigorem ita imminuat, ut litteris, et maxime linguis, addiscendis impar sit, ei imputabitur iure memoriae defectus, et, inde coorta, inscitia.

IX. Ex

IX. Ex his quoque definiri potest, quaenam actiones, ex ignorantia et errore prouenientes, imputari queant.

X. Si ignorantia aut error per uires tuas, euitari potuit, facile intelligis, ea omnia, quae ex ignorantia et errore eiusmodi profluunt; tibi imputari. Penes enim te fuit, non errare, et ignorantia falli, si uoluisses, poterat etiam abesse. Liberam ergo tuam uoluntatem et ignorantiae et erroris causam esse intelligis.

Ignorantiam hanc uocant *uincibilem*. E. gr. Si quis, sacrarum qui litterarum studiosus appellari uult, quinque, amplius, annos in academiis commoratus fuerit, nescieritque religionis nostrae elementa; hanc ignorantiam ab ipso euitari potuisse, facile uides. Sibi ergo imputet ea, quae ex inscitia hac proueniunt, incommoda.

XI. Ea autem, quae ex ignorantia errorque, quem uocant inuincibili, proueniunt, imputari nequaquam possunt. Euitari enim non potuit haec ignorantia, errorque non fuit in tua potestate.

E. gr. Commemoratur Harpagus filium suum, ab Astyage, Persarum rege iugulatum, et in frusta concisum, partimque tostum, partim elixatum, et probe conditum sibique appositum comedisse. Ignorans id fecit, neque adeo factum hoc ipsi potuit imputari, quod error uix euitari posse uidebatur. Vid. SENECA L. 3 de ira c. 15. Cum filius in acie, qua confligitur cum hostibus, patrem suum, qui in hostium agmine est, glande plumbea contrucidat, filio id imputari non potest, ob ignorantiam, quae euitari non poterat.

XII. Cum

XII. Cum ſenſiones ſiue eae perceptiones, quae, ope ſenſuum, perficiuntur, non ſint in poteſtate noſtra (§ 145 poſ. V Met.), euidens eſt, ſenſiones nobis non poſſe imputari (poſ. VII).

Fac, te repentino et improuiſo tonitruum fragore ita percelli, ut aures tuae auditus ſenſu priuentur, ſurditas tibi imputari nequit. Si femina grauida, monſtri cuiusdam adſpectu, nec opinato exterrita, partu praematuro foetum excluſerit, ipſi imputari nequit, quod embryo uitae uſuſa frui minus potuerit.

XIII. Fit nonnunquam, ut ſenſionem ſiue perceptionem, modo uelimus, impedire queamus. Quo in caſu ſenſio, et, quae ex ea ſequuntur uel bona, uel mala, imputari poſſunt.

Si quis imaginem obſcenam, quam ſibi oblatum iri nouit, intuetur, nec oculus ab ea, cum poſſit, deflectit, intelligis, eiusmodi homini omnes uel ſpurcas cogitationes, uel malas libidines, inde oriundas, imputari debere.

XIV. Cum imaginatio non ſemper ſit in poteſtate noſtra (§ 189 Met.), ſed ea, nobis inuitis, mentem perſaepe turbet, euidens eſt, imaginationem non ſemper poſſe nobis imputari. Oriuntur imaginationes ex ſenſionibus, quin ipſae ſunt continuatae ſenſiones (§ 189), quid mirum ergo, quod eae imagines perſaepe ad animum occurrant, quae ex ſenſionibus neceſſariis ortum trahunt. E. gr. Si in piis meditationibus uel precibus, Deo nuncupandis, ſumus

cupati, fit haud raro, ut iis mens imaginibus conturbetur, de quibus antea non cogitaramus.

XV. Quandoquidem uero incidunt tempora, cum ſenſiones, ſi modo uelimus, impedire poſſumus (§ 185 poſ. IV Met.), intelligitur, imaginationem quoque nonnunquam poſſe impediri atque adeo nobis imputari, ſi ei non obſiſtimus.

E. gr. Si quis fabulas romanenſes diligenter lectitauerit, uariosque amores, in iis copioſius deſcriptos, deprehenderit, nonne habet, quod ſibi imputet, cum, mentem imaginibus obſcenis inquietari, huc illuc rapi, et libidinum aeſtu incendi, comperit.

XVI. Ex quo iudicare potes, quando ſomnia nobis recte imputentur. Sunt enim ſomnia imaginationes (§ 192 Met.), quas in poteſtate noſtra tum eſſe, diximus, cum penes nos fuit, ſenſiones impedire. Quod idem de ſomniis dici poteſt.

Qui interdiu ſpurcos libros legunt, imaginibusque oblectantur laſciuis, hi ſibi tribuant, ſi, dum ſomniant, ita ſe ſomniare ſenſerint, ut impuriores maculatioresque expergiſcantur.

XVII. Cum omnes affectus ex confuſis ſenſuum imaginationisque repraeſentationibus oriantur (§ 233 Met.), exiſtimari poteſt, quando et quomodo imputari ea nobis poſſint, quae, affectuum ablati impetu, agimus.

XVIII. Quo diutius quis de actione ſuſcipien-

pienda deliberauit, quoque accuratius omnia eius momenta expendit, eo magis et actio et eius consecutiones ipsi possunt imputari. Magis enim libera est actio, si eam ante ponderamus, quam si impetu et aestu ad eam suscipiendam praecipites ferimur. Quo liberior autem est actio, eo magis imputari potest (§ 58 pos. III).

Si quis, irae aestu incensus, in alterum, cum quo rixatur, multa conuicia coniecerit, peccat ille quidem, sed excusatius, quam is, qui librum, multis refertum dicteriis, contra aduersarios scribit, eum legit relegitque, typis excudendum curat, et publicae luci exponit. Diuturnius enim deliberandi spatium nactus erat, quam is, qui, calore animi inflammatus, et ira, tanquam turbine, abreptus, alterum conuiciis proscindit.

XIX. Si factum, quod alter committit, uel omittit, tibi imputari debet, tum id sit eiusmodi, necesse est, ut a libera tua uoluntate proueniat. Vt enim quid tibi imputetur, opus est, ut eius, quod imputatur, sis causa libera (§ 57).

XX. Hinc fluunt haec consectaria:

α) Ergo si alterum uel praemiis, uel pollicitationibus, uel iussu et admonitionibus ad factum induxeris, tibi imputatur.

β) E. Si non impedias actionem alterius, quam impedire et poteras, et debebas, tibi ea imputatur.

γ) E. Si, quo demum cunque modo hoc

fiat, consenseris in alterius factum, tibi imputatur.

δ) E. Si uel nutu, uel signo quocunque alio declaraueris, te uelle, certe non nolle actionem alterius, imputanda tibi est.

ε) E. Si, de actione alterius suscipienda rogatus, taces, idue uultu non mutato, cum non tacendo impedire potuisses factum, non nolle te actionem significas, atque adeo tibi imputatur. Vide ea, quae de causa morali in Ontologia diximus.

Vnico exemplo has propositiones illustrabimus. Nosti, e. g. amicum tuum, Sempronium, patriam uelle prodere. Non impedis scelestum hoc facinus, uerbis potius, aut nutu, aut silentio, non obscure declaras, te non nolle hanc proditionem. Nonne omnia ea, quae ex scelere tanto emergent, mala tibi imputabuntur? Nonne causa es tot direptionum, tot incendiorum, tot aliarum aerumnarum, quas bellum et intestina dissidia adferre scimus.

§ 59.

Supersunt notiones quaedam, huc pertinentes, quas paucis enodabimus. Fit nonnunquam, ut homines quid agant, quod minime agere debebant, omittantque id, quod agendum ipsis erat, idque non consulto, et dedita opera, sed uel ex ignorantia, uel negligentia, quam uitare poterant, ubi scilicet uiribus, quibus ad satisfaciendum officio instructi sunt, non ita, uti par erat, utuntur. Tum ipsis tribuimus *culpam*.

E. gr. Si medicus, artis salutaris nondum satis peritus, aegroto, quem morbo leuare serio uult, medicamen-

camentum porrexerit, quod non modo morbum non tollit, sed eum quoque auget, tum medico culpa tribuitur.

§ 60.

Fit porro, ut nonnulli, destinato consilio et ex proposito, id persaepe suscipiant, quod omittendum erat, idque omittant, ad quod committendum obligati sunt, tum ex *dolo agere* dicuntur.

Si quis e. gr. alteri equum pluris, quam par est, uendiderit sciens, eundemque laudauerit, ut bonum, ut generosum, cum sit morbosus, multisque aliis uitiis infectus, is *dolose agit*. Vide exemplum doli in CICERONIS off. L. III c. 16.

§ 61.

I. Culpa ergo et dolus ita differunt, ut in culpa minus recte agatur, et a regula deflectatur, sed non ex proposito, uerum uel ex ignorantia, uel negligentia. In dolo autem uoluntas et propositum male agendi deprehenditur.

Si quis docentium ueram litteras tradendi rationem ignorat, et ea docet, quae nescisse rectius fuerat, ut Engelbrechtus Maximiliani praeceptor, aut non eam, quam debebat, diligentiam operamque formandis ingeniis impendit, atque adeo discipulos rudiores persaepe, quam accepit, dimittit, *culpam contrahere* dicendus est docens. Sed si, uel ex inuidia, uel alia quacunque de causa, ueram et compendiariam discendi uiam reticet, et, studio deditaque opera iuuenum, sibi concreditorum, animos perdit, in dolo uersatur.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0447
DFG

II. Culpa recte homini imputatur. Cum enim eae actiones, quae ex ignorantia, quam uocant, uincibili, uel ex negligentia proueniunt, imputandae sint (pos. X), culpam recte imputari manifestum est (§ 59).

Medico iure meritoque aegroti mors imputatur, si eam medicamentis, ex ignorantia praeposterе adhibitis, accelerauit, certe non impediuit.

III. Multo magis ergo imputari debet dolus. Dolus enim est deliberata actio, et destinato consilio suscepta (§ 60). Actio autem deliberata, et, quae consulto suscipitur, uel in primis imputari meretur (§ 58 pos. XVIII).

PHILOSOPHIAE PRACTICAE

PARS II.

Institutiones Iuris Naturae.

* *

Prooemium.

§ 62.

Per *ius naturae* ea indicatur disciplina, qua leges naturales, siue enunciata rationis de rebus expetendis fugiendisque, explicantur, ordineque systematico traduntur (§ 3 pos. IV).

Non est, quod multi simus in tollenda ambiguitate, quae uerbis, *Ius naturae*, inesse uidetur. Sunt nonnulli, qui legem ipsam naturae et ius naturae unum idemque existimant. Hinc formulae illae loquendi: *hoc est iuri naturae consentaneum*, *aduersum*, cetera. Idem: *Ius naturae est immutabile*, *aeternum*. Plerumque uero, has uoces ita usurpari ab eruditis, uideas, ut ipsam disciplinam siue systema, quo leges, in natura impressae, distincte explicantur et demonstrantur, significent. Hoc sensu HEINECCIVS *Ius naturae* definit per complexionem legum, ab ipso Deo immortali generi humano per rectam rationem promulgatarum. Si uero *subiectiue* consideraueris ius naturae, i. e. tanquam scientiam, qua mens huius illiusue hominis instructa est, tum appellatur *iurisprudentia naturalis*, quam idem HEINECCIVS ita definit: est habitus practicus uolun-

tatem ſupremi legislatoris ex recta ratione cognoſcendi, applicandique quibusuis ſpeciebus obuenientibus. Vid. Ius natur. et gent. p. m. 10. Cf. KOEHLERVS in Iur. nat. § 753.

§ 63.

Ad intelligendam plenius iuris naturae indolem, pauca haec enunciata addemus.

I. Quandoquidem ius naturae eſt ſcientia legum naturalium (§ 62), in iure naturae leges naturales demonſtrari debent (per def. ſcientiae).

II. Cum demonſtratio id, uel maxime, poſtulet, ut principia praefulciantur, quibus poſitiones, quae demonſtrari debent, ſuperſtrui poſſint (§ 167 Log.), intelligitur, in Iure naturae principia eſſe conſtituenda, ex quibus leges naturales, ſiue enunciata rationis de actionibus committendis omittendisque, deducantur.

III. Lex ergo naturae, ſiue propoſitio, quae primum nobis per rationem innoteſcit, fons eſt et principium, ex quo ceterae leges robur ſuum ac ueritatem petunt.

IV. Principium ergo Iuris naturae conſtituitur haec propoſitio, quam κατ' ἐξοχὴν legem naturae diximus: *fac ea, quae te ſtatumque tuum reddunt perfectiorem, omitte ea, quae te ſtatumque tuum efficiunt imperfectiorem*, ſiue quod idem eſt, *fac ea, quae te reddunt feliciorem, fuge ea, quae te infeliciorem reddunt* (§ 36 poſ. VI).

V. Haec

V. Haec propoſitio ex ipſa natura humana originem ſuam repetit (§ 34). Hinc factum, ut nonnulli ipſam naturam humanam principium Iuris naturae dixerint.

VI. Quandoquidem haec enunciatio: *fac ea, quae te, etc.* per rationem nobis innoteſcit (§ 36 poſ. VIII), non miror, quid ſit, quod quidam eruditorum rationem pro principio Iuris naturae habuerint.

VII. Cum ſupra demonſtrauerimus, hoc enunciatum, *fac ea, etc.* eſſe legem diuinam, et uoluntati ſupremi Numinis maxime conſentaneam (§ 36 poſ. XV), uides, ab iis nos non diſſentire, qui uoluntatem diuinam fundamentum et fontem legum naturalium, atque adeo principium Iuris naturae putant.

VIII. Haec propoſitio: *fac ea, quae te etc.* eſt uerum et adaequatum Iuris naturae principium. Nititur enim ipſa natura humana, et nulla lex, ex ratione quae demonſtrari poteſt, reperitur, quae non hoc enunciato: *fac ea, etc.* contineatur, nullumque officium uel hominum, uel ciuium ad animum occurret, quod non ex prima hac lege fluat.

IX. Euidens quoque eſt et perſpicuum hoc principium. Quia non eruditi modo, ſed quisque etiam, qui ſenſu gaudet communi, facillimo negotio intelligit, quid haec propoſitio indicet: fac ea, quae te felicem reddunt.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0451
DFG

X. Ex his intelligi potest, quid illud sit tandem, quo Ius naturale a ciuili internoscatur. Illud nos recta docet ratio (§ 36 pos. XV), totumque genus humanum obligat (§ 36 pos. XII), at ius ciuile ex scriptione, quae in litteris est, cognoscimus, et interpretamur, nihilque maiores nostri in legibus ciuilibus scribendis aliud propositum sibi habuere, nisi salutem atque utilitatem reipublicae, et ciuitatum singularum.

XI. Ius naturae explicat traditque leges immutabiles et diuinas (§ 36 pos. X). Vnde est, quod nonnulli Iuris naturae scientiam uocitent Iurisprudentiam diuinam.

Vnicum adhuc monendum restat, quod ad logomachias in Iur. Nat. controuersiis euitandas pertinet. A compluribus eae tantum leges ad Ius naturae referuntur, ad quas obseruandas ab aliis possumus in quadam externa cogi. Tales leges sunt e. gr. *Neminem laede, suum cuique tribue, damnum illatum resarcias.* Has leges uocant leges, stricte sic dictas, siue *leges necessitatis.* Ipsum autem Ius naturae, in quo hae leges explicantur, appellant *Ius cogens*, siue Ius naturae externum, quia eius usus in foro praecipue externo naturali conspicitur. Idque ius cogens non, nisi officia necessitatis, aliis praestanda, explicat. De quo uid. KOEHLERVS Iur. N. § 751 seqq. Paullo latius nos sumimus leges naturales, quas explicat Ius naturae, iisque omnes agendi normas morales, quas ratio praescribit, intelligi uolumus, cum eas, ad quarum custodiam externa ui cogi possumus, tum illas, ad quas intrinseca obligatione restringimur, e. gr. *Vt corpus tuum sanum conserues, ut animum perficias, ut famae fortunisque tuis consulas, ut Deum reuerearis in eoque fiduciam colloces.* Ad haec quis te adiget?

CAP. I.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0452
DFG

CAP. I.

De Officiis erga Deum.

§ 64.

Officium dicitur omnis actio, ad quam lege obligamur, siue, quod idem est, quam lex exigit.

§ 65.

Quascunque ergo actiones lex naturae siue ratio, respectu Dei, suscipiendas exigit, eae sunt *officia naturalia erga Deum.*

§ 66.

Age ergo, dispiciamus, quaenam sint illae actiones, quas ratio, si Deum spectaueris, abs te suscipi uult. Visum est, has actiones, respectu Dei suscipiendas, breuibus complecti positionibus.

I. Ad perfectiones diuinas manifestandas lex naturae siue ratio nos obligat. Deus hunc mundum ideo condidit, ut perfectiones ipsius manifestentur (§ 307 Metaphys.).

Vult ergo Deus, ut perfectiones suae patefiant. Voluntas diuina est ipsa lex naturae (§ 36 pos. XV). E. Lex naturae exigit, ut perfectiones diuinae manifestentur.

II. Ad gloriam Dei illustrandam obligamur. Cum gloria Dei sit complexio omnium perfectionum diuinarum (§ 308 Met.), consequens est, ut aut id sit illustrare gloriam Dei, si perfectionibus diuinis maior cumulus adiicitur,

citur, aut id sit illustrare gloriam diuinam, si perfectiones diuinae magis magisque hominibus manifestantur. Prius esse non potest, quia Deus est perfectissimus (per def.), neque adeo ipsius perfectionibus addi quicquam potest, nec demi. Relinquitur ergo, ut *illustratio gloriae diuinae* manifestatione perfectionum diuinarum contineatur. Ad perfectiones uero diuinas manifestandas lege naturae sumus obligati (pos. I). E. ad illustrandam diuini Numinis gloriam lex naturae nos obligat.

III. Cuiusque ergo hominis est, per actiones suas declarare, se habere Deum pro tali Numine, quale reuera est, i. e. pro ente perfectissimo, benignissimo, sapientissimo, iustissimo, sanctissimo etc.

IV. Tum demum autem agendo uere declaramus, nos habere Deum pro tali Numine, quale reuera est, si actiones nostras ita instituimus, ut agendi motiuis utamur attributis diuinis, i. e. si ad agendum impellimur perfectionum diuinarum cogitatione, quae causa est, cur ita agamus nec aliter.

V. Iis actionibus, ad quas homo perfectionum diuinarum contemplatione impellitur, *cultus diuinus* efficitur, et *Deum colere* dicimur, si actiones nostras ita instruimus, ut ratio sufficiens, quae nos ad illas suscipiendas mouet, contineatur in perfectionum diuinarum contemplatione.

VI. Ex

VI. Ex his conficitur, lege naturali nos obligari ad Deum colendum. Lex enim naturae nos obligat ad Dei gloriam illustrandam (pos. II), atque adeo ad declarandum per actiones nostras, nos Deum habere pro tali Numine, quale reuera est, i. e. pro ente perfectissimo (pos. III). Cum uero tum demum agendo declaremus, nos habere Deum pro ente perfectissimo, si agendi motiua desumimus a perfectionibus diuinis (pos. IV), in hoc autem consistat cultus diuinus (pos. V), manifestum est, ratione nos obligari ad colendum Deum.

Permultum interest ad distinctam officiorum, ad quae Deo praestanda obligamur, cognitionem, enodatius explicari, quid sit *gloriae diuinae illustratio*, quid *cultus diuinus*. His enim notionibus, quasi fulcris, nititur uniuersa de officiis erga Deum doctrina. Vt nihil superst obscuritatis, haec exempla subiungam. Cur doctores, qui alios ad diuini Numinis cognitionem informant, dicuntur *gloriam Dei illustrare?* Nonne ideo, quia iis, quos docent, perfectiones diuinas admirandaque Dei opificia notiora faciunt? Cur per coelum, terram, stellas, totumque huius mundi contextum gloria Dei illustrari dicitur? Nonne ideo, quia in toto hoc mundo, tanquam in patentissimo theatro, sistitur nobis animisque subiicitur diuinae bonitatis, potentiae, benignitatis sapientiaeque magnitudo et ubertas. Ex his uides, qua ratione Dei *gloria*

ria possit *obscurari.* Qui ea agit, quibus declarat, se Deum non habere pro tali Numine, quale reuera est, is *obscurat gloriam Dei.* E. gr. Cum quis periurium committit, eo ipso declarat, aut se nullum Deum credere, aut eum non habere pro iustissimo et omniscio Numine. Qui in rebus aduersis nimis debilitatur, et auxilium Dei desperat, nae is luculenter significat, se credere, Deum aut non uelle auxilium praestare, aut non posse. Nonne ita declarat, se Deum non habere pro potentissimo et benignissimo Numine? Quod quid aliud est, quam obscurare gloriam Dei?

Cultus diuini definitionem ut intelligas rectius, hoc habeto exemplum. Fac e. gr. peropportunam tibi occasionem offerri inimico tuo nocendi, et aegre faciendi. At non noces, sed ei potius benefacis. Rationes et causae hic adsint, necesse est, quae te commoueant ad uindictam omittendam, hostique benefaciendum. Si id ideo fit, ut generosi uiri laudem consequaris, aut ut inimicum tibi concilies, aut quia natura placabilis es et timidus, tum nil agis quidem, quod culpandum sit, at nondum uideo cultum Dei. Sed si ideo inimicum non ulciscēris, quia nosti, Deum uelle, ut omnibus hominibus bene sit, quia perpendis, Deum tibi aliisque omnibus, qui ipsi sunt inimicissimi, quotidie innumera largiri bona, tum agis, attributorum diuinorum contemplatione commotus, hisque actibus comprehenditur cultus Dei. Qui, ut hoc

hoc addam, preces uerboſiores recitant, uel quia ita conſueuerunt, uel ut pii aliis uideantur, uel denique ut eloquentiam uerborumque flumen oſtentent, hi precibus ſuis non colunt Deum. At, qui ideo preces Deo nuncupant, quia Deum, et ob benignitatem infinitam uelle, et ob potentiam ſummam poſſe ipſis auxilium praeſtare, hi uero Deum colere cenſendi ſunt. Non enim precati eſſent, niſi perfectionibus diuinis, bonitate ſcilicet, et potentia, ad precandum impulſi fuiſſent.

Si actiones, quarum cauſa eſt diuinarum perfectionum cognitio, externae ſunt, geſtibusque, uoce, et corporis motibus conſpiciuntur, tum cultus externus hinc exiſtit.

VII. Lege naturae obligati ſumus ad ueram certamque diuini Numinis cognitionem acquirendam. Cum enim ad colendum Deum nos obſtringat lex naturae (poſ. IV), colere autem Deum non poſſimus, niſi ad agendum perfectionum diuinarum cognitione impellamur (poſ. V), euidens eſt, ad cognitionem diuini Numinis acquirendam nos lege naturali obligari. Haec cognitio debet eſſe *uera*, alias enim Deum non pro tali Numine haberemus, quale reuera eſt, quod tamen ad cultum diuinum requiritur (poſ. III). Debet eſſe *certa*. Incerta enim, et cum metu errandi coniuncta cognitio, quam uim habebit ad actiones conformandas, cultumque Dei producendum?

VIII. Deum amore, eoque ſummo, complecti

plecti debemus. Qui Deum eiusque perfectiones recte cognoscit, eius animus, non potest fieri, quin iucundissimo uoluptatis sensu expleatur (§ 219 Met.) Voluptas haec, ex contemplatione perfectionum oriunda, uocatur amor (§ 238 Met.). Ergo cum uera distinctaque diuinarum perfectionum cognitione, indissolubili nexu, copulatur amor erga Deum. Cum itaque obligati simus ad Deum cognoscendum (pos. VII), consequens est, ut eum quoque amore complecti debeamus, eoque summo, quia omnes in Deo sunt perfectiones, quae cogitari tantum possunt. Summa ergo sit, necesse est, uoluptas, ex summarum perfectionum cognitione orta.

VIII. Deum debemus reuereri, aut, si mauis, timere. Si quem amamus, tum solicite cauemus ea omnia, quae ei, quem amamus, displicent (§ 239 Met.). Solicitudo haec, qua cauemus, ne quicquam, quod Deo displicet, agamus, aut, quod ei probatur, omittamus, dicitur *reuerentia* siue *timor Dei*. Ergo cum ad Deum amandum simus obligati (pos. VIII), intelligitur, ad eum quoque reuerendum siue timendum nos lege naturae adstringi.

Amor reuerentiaque ex eo potissimum nascitur: α) Si animus perpendit, Deum benignissimum esse, humanique generis et cuiusque hominis rationibus egregie consultum uelle. β) Si sanctitatis diuinae cognitione imbutus est, imperiumque Dei, quo continentur, et gubernantur omnia, rite consideauerit. Atque haec reuerentia, ex studio benignissimo numini placendi orta, dicitur *metus* Dei *filialis*. Filiorum enim id postulat pietas, ut parentibus,

bus, quibus uitam fortunamque suam in acceptis ferunt, morigerentur, idque non propter poenas et uerbera, sed quod innumeris beneficiis a parentibus fuerunt affecti. Si quis uero Deum timet, ut seruus solet domini et exactoris poenas extimescere, tum iste *metus* uocatur *seruilis*. Quod quidem timoris genus quamuis cultu diuino prorsus indignum sit, rei tamen securitatisque publicae interest, homines, licentia efferatos praefractosque, metu Dei seruili nonnunquam compesci, et ad officium cogi.

X. Summa in Deo fiducia ponenda est. Theologia naturalis nos docuit, Deum ita rebus humanis prouidere, ut et conseruet omnia, et uelit omnium creaturarum rationibus optime consultum. Ex quibus omnibus, recte consideratis expensisque, non potest non oriri spes, eaque non lubrico constituta fundamento, sed firma, stabilis, et ab omni, quae animum distrahat, dubitatione remota, Deum ita omnia administraturum, ut nihil, quod ad ueri nominis felicitatem acquirendam conseruandamque pertineat, nobis deesse possit. Quae spes cum dicatur fiducia (§ 252 Met.), consequens est, ut, quia ad Deum eiusque perfectiones et sapientissimam adeo huius mundi administrationem penitius perspiciendam sumus obligati (pos. VII), debeamus quoque fiduciam in Deo collocare.

Fiduciam autem ponere in Deo nemo potest, nisi α) distincte certoque cognitum habuerit, Deum *nihil* eorum, quibus uel prematur calamitatibus, uel indigeat auxiliis, *fugere*, β) nisi perspiciat, *Dei potentiam*, nullis definitam limitibus, et omnibus malis tollendis minuendisque, et omnibus bonis

largiendis parem esse, nisi denique γ) de eo conuictus fuerit, Deum esse *benignissimum, et uelle* eiusque salutem promotam amplificatamque. Vt ita ex his uideas, fontes fiduciae, in Deo collocandae, recte allegari scientiam, sapientiam, potentiam et bonitatem Dei. Qui nouit, quibus indigeam rebus, qui facultate est instructus omnia dirigendi ad salutem meam, qui potest ea, quae salutaria sunt, mihi largiri, qui uult denique rationibus meis prospectum, ab eo nonne auxilium opemque certo sperem? In eo nonne fiduciam, sine dubitatione et metu, collocem?

Duo fere sunt, quae fiduciam, quam ipsa ratio in Deo iubet collocari, nonnunquam in hominis animo, minuere solent. Alterum eius impedimentum oritur ex eo, quod ii saepius, qui integerrime uiuunt, omni calamitatum genere sint circumsessi, nullis, ut putant, bonitatis diuinae documentis exhilarati, cum contra ea pessimus quisque persaepe sit fortunatissimus. Alterum, quod obstat, quo minus homines complures opem cum fiducia a Deo exspectent, illud potissimum est, quod malefactorum conscientia conturbati perterrefactique, se omni auxilio gratiaque diuina indignos sentiant, nihilque sit mali, quod non a iustitia, scelerum uindice, extimescant. In quo quidem, dici non potest, quanta uis insit ad animum debilitandum, fiduciamque imminuendam. Permultum interest ad animos infractos erigendos et fiduciam in iis excitandam, haec duo e medio tolli obstacula, quibus uero remouendis, cum impar sit ratio, philosophia, hac quidem in re, non potest non desiderare religionis Christianae adiumenta.

XI. Quandoquidem fiducia, in Deo ponenda, oritur ex distincta certaque sapientiae prouidentiaeque diuinae et bonitatis cognitione (*pos.* X), palam est, non posse seiungi a fiducia eum mentis statum,

ſtatum, quo in *uoluntate diuina conquieſcit*, moderateque et patienter, quicquid ipſi acciderit, ferre ſolet. Si enim mens nouit, nihil fieri, niſi quod diuino ſit prouiſum conſilio, ſi expendit, quicquid rerum humanarum agatur, id ſapientiſſime a diuino numine gubernari, et ita adminiſtrari omnia, ut ad ſalutem hominum unice referantur, non poteſt fieri, quin, ex turbido deducta in tranquillitatem, plene in diuina conquieſcat uoluntate, eiusque conſilio et imperio ſe totam permittat. Qui fructus prouidentiae diuinae, accuratius cognitae expenſaeque, eſt dulciſſimus, et ad felicitatem humanam uberrime redundans.

XII. Vides ergo, rationem unumquemque docere, acquieſcendum eſſe in uoluntate diuina. Docet enim, fiduciam eſſe in Deo ponendam (poſ. X), a qua is mentis ſtatus, quo in diuina acquieſcit uoluntate, ſeiungi nequit (poſ. XI).

XIII. Noua hinc exoritur cultus diuini ſpecies, quae continetur *precibus*. Si quis enim nouit, Deum et perſpectas habere calamitates, quibus unusquisque urgeatur, et poſſe eas tollere, et uelle denique, quae nocitura ſint, declinare, adeoque, his quaſi cogitationum ſubnixus fulcris, confidit, Deum omnia ipſi largiturum, quae ſaluti ſuae amplificandae ſint accommodata (poſ. X), abeſſe non poteſt, quin interno quodam deſiderio commoueatur opis diuinae impetrandae.

Hoc desiderium mentis, quo fertur in auxilium diuinum, dicitur *inuocatio Dei interna*. Patet ergo, pari ratione, qua ad fiduciam in Deo collocandam obstringimur, unumquemque etiam teneri ad Deum inuocandum.

Haec interna mentis inuocatio, quae, nexu necessario, ex iis, quae iam attulimus, consequitur, si uerbis, ore prolatis, significatur et exprimitur, tum PRECATIO siue PRECES dicitur. De precum necessitate et utilitate uaria non inutiliter disputantur, quae uero omnia hic adferre, quid attinet? Haec ergo pauca obseruabimus.

a) *Ratione Dei* externa inuocatio siue preces non uideri poterant necessariae, quia Deus, qui mentis humanae recessus latebrasque perscrutatur, et calamitates, quibus afflictamur, et opem, qua indigemus, optime intimeque perspicit.

b) Quandoquidem uero, ob arctissimum corporis animique nexum, serium auxilii diuini desiderium internum externa uerba comitantur, maxime si nullum adfuerit impedimentum, quod externorum uerborum usum impediat, fit, ut preces a sensu calamitatum, et serio opis diuinae desiderio non facile seiungantur. Quod uel maxime tum apparet, ubi, in praesentissimum coniecti periculum, serio auxilium desideramus. Nonne, uel inuiti, quanta maxima fieri potest, uociferatione desiderium auxilii diuini declaramus?

c) Si uerbis, ore prolatis, desiderium auxilii diuini significamus, tum alii de nostra, in Deo collocata, fiducia certiores fiunt, uidentque adeo, nos Deum pro tali habere numine, quale reuera est, i. e. pro benignissimo, sapientissimo, potentissimoque. Quo ipso et excitantur ad similem cultum Deo exhibendum, et gloria Dei mirifice illustratur. Illud quoque addo, quod recte addi potest, per preces externas impediri, quo minus sensus et phantasia mentem

tem nimium turbent. Dum enim uerba noſtra audimus, iisque attendimus, fit, ut aliarum rerum, ſenſibus obuerſantium, minus nobis ſimus conſcii. Quia ſenſatio fortior pellit et obſcurat debiliorem (§ 185 poſ. III).

d) Quia preces continentur externa deſiderii, intus incluſi, ſignificatione, conſequitur, ut preces illae, quibus aut nulla ſubiecta eſt ſententia, aut quae plane non intelliguntur a precantibus, non pro ueris ſint habendae precibus. Vt adeo pateat, plerumque preces, quas uocant *formularias*, quae nuda uerborum recitatione efficiuntur, eſſe ſuſpectas. Raro enim cum iisdem deſiderii interni ſignificationem copulatam uideas. Aut enim, quae recitantur, certisque adſtricta ſunt formulis, uerba non intelliguntur, aut per conſuetudinem et diuturnum uſum recitantibus tam familiaria euadunt, ut, iis auditis, praeter ſonum, nihil fere cogitent.

e) Si precibus amorem erga Deum, quem beneficiorum, ab ipſo in nos collatorum, contemplatio excitauit, ſiue, quod idem eſt, gratum animum teſtificamur, tum preces dicuntur *gratiarum actio*, quae non magis a certa ueraque diuinae bonitatis cognitione abeſſe poteſt, quam uoluptas animi a ſenſu perfectionum ſeiuncta eſt.

f) Quae hic adferri ſolent de cultu externo, de diebus feſtis, de cerimoniis ſacris, ſunt fere eiusmodi, ut de iis nihil ratio certi ſtatuere poſſit. Quicquid enim uel ad cerimonias ſtabiliendas, uel ad dies feſtos aſſerendos, ex ratione adferri ſolet, id omne probat utilitatem cultus externi, neceſſitatem non demonſtrat.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0463
DFG

CAP. II.

De Officiis hominis erga se ipsum.

§ 66.

Quae sibi debet homo officia, rectius intelliges, si hominem consideraueris

α) *ratione animi* siue *mentis*;

β) *ratione corporis membrorumque*, ex quibus corpus coagmentatum est;

γ) *ratione status externi*, ad quem pertinent *opes*, *honor*, *et fortuna*.

§ 67.

Triplici ergo ratione officia hominis erga se ipsum diuiduntur. Alia sunt officia erga *animum*, alia erga *corpus*, alia denique, quae *ratione status externi* sunt obseruanda.

§ 68.

Cum anima multo nobilior sit corpore, ab iis, quae animae debentur, officiis recte ordimur. Et quia mens humana instructa est facultate cognoscendi, et appetendi, siue ueterum stilo, intellectu et uoluntate (per princ. psychol.), duo officiorum genera inde exsurgunt. Alia officia deposcit intellectus, alia uoluntas.

§ 69.

Prius uero, quam haec officiorum genera explicamus, de officiis hominis erga se ipsum praemittenda putabimus enunciata quaedam, intelligendis

gendis iis, quae speciatim uel de mentis cultura, uel de cura corporis studioque honoris, et opum custodia adferenda sunt, subseruitura.

I. Vnusquisque, qui officia erga se ipsum obseruare uult, id agat, ut se perficiat.

II. Atque adeo in eam curam toto pectore incumbat, ut se suaque bona accuratius noscat. Nisi enim quis compertum habuerit, quam curam cultumque uel corpus uel anima requirant, quibus mens instructa sit uiribus, quibusue adminiculis corpus mensque humana coli perficique queant, non uideo, quam inire is possit rationem officii obseruandi.

III. Summa cautio prouisioque adhibenda est, ne officia, quae cohaerere debent, diuellamus a se inuicem, et uel soli corpori seruiamus, animum negligamus, uel menti colendae intenti simus unice, corpus incultum relinquamus, uel honoris opumque simus auidi, neglecta interim corporis sanitate, rationisque perficiendae studio. Dici non potest, quantum ex infausta hac officiorum discissione oriatur damni. Si quis enim, ut hoc utar, corradendis opibus unice operetur, negligatque, quid de se quisque sentiat, nonne is dissolutus haberi debet? Si quis dies noctesque libris impallescit, ut ingenium excolat, eruditionisque copia et uarietate instructus, prae aequalibus exsplendescat, ualetudinem uero corporis parum

rum curet, nonne is αὐτόχειρ iure appellandus erit?

IV. Fit perſaepe, ut, cum omnia, ad quae praeſtanda lex naturae nos obſtringit, officia obſeruare nequeamus, ob quandam, quae incidit, pugnam et colliſionem. Tum uero id praeferendum eſt alteri, ad quod magis obligamur, id quod ſupra cap. de obligatione demonſtrauimus.

Ita officia, quae menti debes, in colliſione praeferenda ſunt officiis erga corpus, et officia erga corpus anteponenda ſunt officiis iis, quae ratione opum ſunt obſeruanda.

CAP. III.

De Officiis erga Animum.

§ 70.

His, quae generatim de officiis erga nosmet ipſos monenda uidebantur, praemiſſis, nunc, quae ſint erga *intellectum* ſiue *facultatem cognoſcendi* officia obſeruanda, ſpeciatim indicabimus.

§ 71.

Paucis ergo poſitionibus complecti iuuat ea, quae intellectui debentur.

I. Cum lex naturae iubeat, nos ſtatumque noſtrum reddere perfectiorem (§ 32), conſequens eſt, ut eadem uelit, ut quam poſſumus emendatiſſimam efficiamus uim noſtram intelligendi.

II. Prima

II. Prima ergo haec lex in officiis erga intellectum obseruandis, sanciatur: PERFICE FACVLTATEM COGNOSCENDI, QVOQVO MODO POTERIS.

III. De acquirenda ergo rerum uel ueritatum cognitione, eaque distinctissima, solicitus esto, omnemque ignorantiam pellito ex animo et diligentissime fugito.

IV. In primis uero id age, ut animus distincta *boni maliue* cognitione imbuatur. Qua enim si destituta fuerit mens humana, non potest non in eligendo bono fugiendoue malo labi et decipi. Confusis ita et inter se commixtis honesti turpitudinisque notionibus, abesse non potest, quin a regia felicitatis uerae uia detorqueatur, et pro thesauris, quod aiunt, carbones inueniat et pro Iunone nubem amplectatur.

Infinita est earum rerum multitudo, quae sciri possunt. At uires intelligendi, quibus mens humana instructa est, tam exiguis sunt definitae limitibus, ut ex tanta rerum, quae cognosci possunt, uarietate et copia uix paucae percipiantur ab hominibus, plurimaeque ueritates, quae cognoscuntur, confuse admodum et obscurius perspiciantur. Quaeritur ergo, cum lege naturali unusquisque ad ueritatum cognitionem obligetur, omnes autem cognosci non possint, quibus regulis ueritatum cognitio sit conformanda. Paucis, quae hanc in rem adferri merentur, habeto.

a) Cognitio ueritatum *intensiua* semper est *extensiuae* praeferenda, i. e. cum omnium rerum cognitio nostris, quae, sentimus, quam sint exiguae, uiribus

acquiri non possit, non tam de eo soliciti simus, quam *multa* discamus, sed quam *bene*, quam *distincte*, quamque *solide* ea, quae discimus, cognoscamus. Satius est, pauca distincte nosse, quam multa confuse.

β) Ex magna earum rerum, quae disci capique possunt, uarietate, primo loco, et uel in primis, unicuique est id discendum, quod est maxime necessarium. *Necessaria* enim sunt semper in ingenii cultura praeferenda *utilibus*. E. gr. Si quis in academia theologiae operam dederit, tum, si rationem sequi uelit, id agat enixius, ut codicem sacrum, hebraea, graecaque lingua exaratum, intelligat, ut perspecta habeat religionis christianae praecipua capita, cetera. Haec enim sunt necessaria Theologo. At, si idem in academia sibi explicari iuris ciuilis praecepta patiatur, aut multum temporis tribuat arti salutari excolendae, tum in *utilibus* rebus occupatur ille quidem, quae uero *necessariae* appellari non possunt.

γ) *Vtilia* in discendi ordine sunt praeferenda iis, quae sunt *iucunda*. Minus e. gr. iuris prudentiae studiosus rationi conuenienter agit, si arti saltandi, equitandi, uitra poliendi, pingendi denique plus temporis tribuerit, quam uel linguae gallicae, uel historiae. Iucunda enim praefert utilibus.

Dici uix potest, quanti ad ueram mentis ingeniique culturam interfit, regulas has obseruari rite et applicari. Plurimi, qui in academias, tanquam ad bonarum artium mercatum, commeant, has migrant leges, profectusque studiorum nimium quantum morantur. Vtilia multi, plurimi iucunda, pauci necessaria discunt.

§ 72.

Quae de modo ac ratione perficiendi intellectus dicenda sunt, ea infra in Ethica uberius disputabuntur.

CAP. IV.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0468
DFG

CAP. IV.

De officiis erga uoluntatem.

§ 73.

Officia erga uoluntatem dicuntur illae actiones, ad quas homo, respectu uoluntatis, obligatur.

§ 74.

Praecipuae regulae, quae in officiis erga uoluntatem obseruandae sunt, his continentur propositionibus.

I. Voluntas hominis, quoquo modo fieri poterit, est perficienda. Nititur hoc enunciatum generali illo Iuris naturae principio: *Fac ea, quae te statumque tuum reddunt perfectiorem* (§ 32).

II. Cum uoluntas humana tum demum perficiatur, si ita dirigitur, et inflectitur, ut nunquam non feratur in id, quod est uerum bonum, consequens est, ut in eo elaborare unusquisque debeat, ut uoluntatem ad uerum bonum appetendum et malum auersandum inclinet.

III. Voluntas ita conformanda est, ut in plurium bonorum delectu illud semper cupiat, et ceteris praeferat, quod optimum est, uel praestantissimum.

IV. Affectus, siue uehementiores animi commotiones sunt, quanta maxima fieri potest diligentia, refrenandae et compescendae,

scendae, efficiendumque adeo id, ut ratio imperet, appetitus obtemperet. Affectus ortum suum trahunt ex confusis boni maliue repraesentationibus (§ 232 Met.). Eos ergo qui duces sequitur, facile specie recti decipitur, malumque pro bono eligit, seque imperfectiorem reddit, quod est contra § 32. Patet itaque, affectus esse coercendos.

§ 75.

Specialiorem modum uoluntatis emendandae affectuumque refrenandorum, trademus in institutionibus Ethices.

CAP. V.

De officiis erga Corpus.

§ 76.

Per officia erga corpus intelligimus omnes illas actiones, ad quas suscipiendas, respectu corporis nostri, lex naturae nos adstringit siue obligat.

§ 77.

Officia erga corpus percommode his includuntur enunciatis.

I. Vitam tuam tuearis quam potes diligentissime, declinesque ea, quae nocitura uideantur. Haec lex tam alte in mente cuiusque hominis, quin etiam in omnium animantium natura impressa est, ut uitae conseruandae studium nemini non hominum cum brutis

brutis sit commune. Adde illud, quod nemo mentem perficere, uoluntatemque emendare possit, (ad quod utrumque nos obligat lex naturalis § 32), nisi uita conseruetur, corporique suus constet uigor, suum robur.

II. Omnia ergo fuge uitae pericula temeraria. Studio deditaque opera addo uocem: *temeraria*. Neque enim id semper rationes nostrae ferunt, ut omnia fugiamus pericula, quibus saepius capita nostra obiiciamus, oportet, uel patriae conseruandae causa, uel ut eum, qui nos uiolento modo aggreditur, propulsemus, uel ob plures alias, easque sat idoneas, rationes.

III. Ex his conficitur, nihil esse rationi adeoque legi naturali tam aduersum, quam αὐτοχειρίαν, cum quis, ui sibi illata, occupat fata, non exspectat.

IV. Curandum est, ut ualeas, et inconcussa aequabilique sanitate corporis perfruaris. Lex enim naturae uitam conseruari iubet (pos. 1), quod fieri non potest, nisi cures, ut ualeas. Lex naturae porro praecipit, ut perfectionibus uel corporis uel animi tuendis augendisque sis intentus (§ 32). Perfectio uero corporis uel maxime continetur commoda ualetudine siue sanitate. Perfectio enim, generatim spectata, nonne efficitur consensu et harmonia uariorum? Sanitas uero corporis est is corporis status, quo membra singula iis functionibus, ad quas diuinitus destinata sunt,

sunt, expediendis sunt accommodatae et inter se consentiunt.

Ex quo intelligas licet, quid sit *morbus*. Cum in eo sunt statu membra, ut ad expediendas functiones suas inepta sint, tum is status dicitur *morbus*. Sanitatis morbique definitionem hoc exemplo illustrabimus. Si e. gr. stomachus tuus cibos ingestos bene concoquit, et in succum et sanguinem conuertit, tum stomachus tuus sanus est. Omnia enim, quae in stomacho concurrunt, eo referuntur, et ad id uelut conspirant, ut concoctio promoueatur. Si podagra quis ita uinctus lectoque affixus fuerit, ut pedem efferre domo aut museo non possit, pedes in statu sunt morboso. Omnia enim in pedibus aduersantur fini, quem Deus intendit, cum pedes corpori iunxit. Finis enim est, ut de loco in locum mouere nos queamus.

V. De eo non modo cogitandum est, ut corpus sit sanum uegetumque, sed ut agilitate quoque et decora quadam elegantia gaudeat. Tantum enim, lege naturali admonente, perfectionis nobis acquirere debemus, quantum obtinere possumus (§ 32). Iam uero cum agile corpus fuerit elegansque, plus in corpore conspicitur perfectionis, quam si sanum tantum fuerit et robustum. E. praeter sanitatem, de corporis agilitate et decentia elegantiaque acquirenda cogites, necesse est.

VI. Quandoquidem totum corpus sanum conseruari debet (pos. IV), consequens est, ut singula quoque eius membra integra et illaesa debeamus tueri.

VII. Cum lex naturalis unumquemque ad tale-

ualetudinem corporis conſeruandam obliget (poſ. IV), eadem quoque obligabit hominem ad ſubſidia et adminicula adhibenda, quibus uigor ſanitasque corporis ſtabiliatur.

VIII. Inter haec corporis ſani conſeruandi remedia primo loco referendi ſunt, CIBVS et POTVS, quibus, tanquam fulturis, ſuſtentatur corporis compages.

IX. Naturae ergo lege obligamur ad tantum cibi potusque capiendum, quantum ad deſideria naturae explenda, et ad corporis uires reficiendas ſatis eſt.

X. Cum uero multa ciborum genera ſint, quorum nonnulla ſanitati corporis non modo non proſunt, ſed eidem etiam officiunt, uiresque labefactant; uidendum eſt, ut eos eligamus cibos potusque, qui ualetudini ſeruiunt, gulae contra irritamenta, quae plerumque dulcedinis ſpecie fallunt, ſolicite uitemus.

XI. In cibo potuque capiendo ratio denique habenda eſt ſtatus noſtri externi, opum ſcilicet et dignitatis, quae prout alia aliaue fuerit, ita alio alioue modo uictus eſt inſtruendus. Ad perfectionem hominis referenda ſunt omnia (§ 32). Perfectio autem hominis requirit conſenſum et harmoniam ſtatus interni externique, praeſentis, praeteriti, ac futuri. Qui conſenſus locum habere nequit, ſi cibus potusque non cuius-

que

que dignitati opibusque conuenienter fuerit instructus. Minus ergo conueniens fuerit, opulentiores, et in excelso uitam agentes, uiros tenui parabilique uictu, quem homines pauperioris humiliorisque sortis capiunt, ita uti, ut famis sitisque sedandae tantum habeant rationem, de decentia uero parum cogitent.

XII. Non modo cibus potusque ad sanitatem fulciendam referendi sunt, sed cum uestimenta quoque, quibus corpus tegitur, et aedes, quas incolimus, ad frigus caloremque nimium et ad ceteras tempestatis iniurias propulsandas et a corporis membris arcendas sint accommodatae, cuiusuis esse, intelligitur, id operam dare, ut uestibus domiciliisque utatur salubribus, commodis, et dignitati opibusque seu fortunae conuenientibus.

XIII. *Somni* praeterea in ualetudine tuenda uel maxime habeas rationem, ut eo nec nimio, nec parco nimis raroque utaris. Quantam enim modicus somni quietisque usus uim habet ad uires corporis instaurandas, tantum languoris detrimentique affertur membris, si plus iusto indulseris somno.

XIV. Quia uictus ad conseruandum corpus ualetudinemque tuendam plurimum adfert adiumenti (pos. XI), consequens est, ut eas quisque actiones suscipere debeat, quibus uictus paratur.

XV. Actio-

XV. Actiones, quibus uictus parari potest, dicuntur *labor*.

XVI. Vt ergo ex his lucide appareat, ad laborandum quemque esse lege naturae obligatum. Accedit illud, quod laboribus corpus agitetur, et continuo motu indurescat, et roboretur. Quo motu si destitutum fuerit corpus, et iners iaceat, fieri non potest, quin, sanguine corrupto collabefactoque robore, tota nutritio uitium capiat, fere, ut aqua, quae, si minus mouetur, putrescit, uermibusque scatet.

Tria sunt, quae his subiungenda puto. α) Ex his uides, *otiari* illum, qui actiones prorsus omittit, quibus uictus parari potest. β) Quod de uictu potuque monuimus, rationem habendam esse status externi, opum, ac dignitatis, idem ualet de labore, qui ita est instituendus, ut decentia seruetur. γ) Modus in labore est adhibendus, ne uires nimia contentione frangamus.

XVII. Cum omnia corporis membra a uiolenta laesione sunt defendenda (pos. VI), tum uel maxime earum corporis partium, quibus sentimus, ut oculorum, aurium, nariumque conseruandarum ac perficiendarum debemus esse perquam studiosi. Quantum enim anima praestat corpori, tantum sensuum instrumenta, quae admirabilem menti nostrae praebent usum, antecellunt ceteris, ex quibus corpus coagmentatum est, membris.

XVIII. Quemadmodum uita et sanitas conseruari debent, ita omnes morbi, si pos-

ſunt, caueri propulſarique debent, et, cum corpus adorti ſunt, eorum uis, medicamentorum ſalubrium uſu, atterenda eſt et frangenda. Haec fere ſunt, quae corpori debentur, officia. Quae de temperantia et ſobrietate dici hic debere nonnullis uideri poterant, ea uero explicabimus infra in Ethica.

CAP. VI.

De officiis hominis erga ſe, quoad ſtatum externum.

§ 78.

Ad ſtatum hominis externum referimus α) *Opes* et *facultates*, β) *Honores*, γ) *Fortunam*. Triplicia ergo inde exſurgunt officia, quae homo obſeruare debet. Alia ſpectant ad ipſius facultates, alia ad honores, ad fortunam denique alia. Ab opibus ſiue facultatibus ordiamur.

§ 79.

Omnia ea, quae pertinent ad uictum cultumque corporis, et quibus indigemus ad uitae neceſſitates expediendas, ad commoditates item, et ſuauitates, uocantur *facultates* ſiue *opes*. Vt ergo *opes* nihil aliud ſint, quam apparatus earum rerum, quibus homo indiget ad uitam degendam, ad oblectationem, et decentiam.

§ 80.

Vides ex definitione hac, triplicis generis eſſe opes. Aliae pertinent ad praeſentem uitae neceſſita-

ceſſitatem expediendam uitamque degendam, quae Germanis dicuntur ein Zehr-Pfennig. Aliae ad eum finem comparantur, ut futurae neceſſitati proſpiciatur. Has facultates dicimus einen Noth-Pfennig. Aliae denique ſeruiunt oblectationi, commoditati ac decentiae, quas recte appellaueris einen Ehren-Pfennig.

§ 81.

His notionibus diſtinctius euolutis, perfaciles erunt intellectu poſitiones, ad quarum praeſcriptum in rei familiaris rationibus conſtituendis moderandisque ſuas quisque actiones componat, neceſſe eſt.

I. Ad opes acquirendas acquiſitasque conſeruandas ſumus obligati. Cum enim uitam noſtram conſeruare debeamus (§ 77 poſ. I), de iis quoque rebus, quibus ad uitam ſuſtentandam indigemus, ſoliciti ſimus, oportet. Quae res cum dicantur opes (§ 79), ad opes acquirendas tuendasque ſumus obligati.

II. Cum in omnibus hominum ſtatibus conſenſus, qui ab hominis perfectione ſeiungi non poteſt, ſit quaerendus (§ 32), non modo de iis opibus parandis cogitemus neceſſe eſt, quae ad quotidianum uictum pertinent, ſed commoditati quoque et decentiae conſulendum eſt.

III. Quemadmodum uariae opes, in ſuas deſcriptae claſſes, uarium nobis praeſtant uſum, aliae maiorem, minorem

aliae; ita in iis acquirendis uarie quoque uersari debemus.

IV. Maximam curae partem depoſcit praeſens neceſſitas uictusque quotidianus. Prius enim, quod nemo dubitat, de uitae ſuſtentatione, quam de eius commoditate ac decentia cogitandum eſt.

V. Si tantum tibi acquiſiueris opum, quantum ad neceſſarium uictum, famemque ac ſitim quotidianam ſedandam opus eſt, tum futuris uitae neceſſitatibus proſpicias, neque committas adeo, ut, ſi omnia profuderis, tibi aliquando cum fame conflictandum ſit.

VI. Denique, ſi et praeſenti et futurae neceſſitati conſulueris, uide, ut commode decenterque uiuere queas.

§ 82.

Si quis ea opum affluentia et copia gaudet, ut plures poſſideat facultates, quam ad neceſſitates uitae, cum praeſentem, tum futuram, expediendas et decentiam requiruntur, tum ei tribuimus *diuitias ſiue Opulentiam.* Si uero eiusmodi opum copia adfuerit, quae ad uictum quotidianum, ad futuras uitae neceſſitates, et decentiam denique obſeruandam ſufficit, tum *lautitiam* (ein reichliches gutes Auskommen) adeſſe dicimus. Si denique tantum quis poſſidet, quantum ad uitam ſuſtentandam uictumque quotidianum parandum ſufficit, *ſufficientiam* habere dicitur (ein nöthiges Auskommen). At ſi ne ea quidem

quidem ſuppetunt, quae ad praeſentes uitae neceſſitates poſtulantur, tum adeſt *paupertas* (Armuth).

§ 83.

Vt adeo ex his perſpicias:

I. Non eum eſſe ſtatim *pauperem* appellandum, qui non eſt, diues neque illum inter diuites referendum, qui non pauper eſt.

II. Ex his intelligitur porro, opes non propter ſe, ſed propter neceſſitatem commoditatemque uitae eſſe expetendas. Sunt enim illae res, quibus indigemus ad uitae ſuſtentationem et decentiam neceſſariae.

III. Cum labor ſit praecipuum uictus acquirendi ſubſidium (§ 77 poſ. XV), manifeſtum eſt, ad opes, quippe quibus uictus paratur, acquirendas eſſe opus labore. Cum ergo ad opes acquirendas ſimus obligati (§ 81 poſ. I), ad laborem quoque nos obligatos eſſe, patet.

§ 84.

Status externus complectitur quoque *honorem*. Eſt autem *honor* nihil aliud, quam aliorum de noſtris perfectionibus iudicium.

E. gr. Si Titius opinatur et exiſtimat, Caium eſſe uirum cultae et doctrinae et uirtutis, tum Caius, honore afficitur, et Titius, qui de Caii uirtutibus et dexteritate iudicat, honorat Caium.

§ 85.

Ex definitione honoris haec fluunt enunciata.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0479
DFG

I. Honor nititur, tanquam fundamento, perfectionibus noſtris.

II. Cumque omnes perfectiones, de quibus alii iudicant, uel uerae ſint, uel opinatae (§ 227 Met.), patet, omnem honorem uel eſſe uerum, uel putatitium. Ille nititur perfectionibus ueris, hic commentitiis. Ille efficitur iudicio uero ac ſolido de noſtris perfectionibus, hic falſo et erroneo.

III. Verus honor a nemine nobis tribui poteſt, niſi ab eo, qui perſpectas habet perfectiones noſtras. Qua enim ratione quis de perfectionibus iudicare poteſt, quas non intelligit?

IV. Pluris ergo faciendus eſt honos, qui a prudentibus laudatisque uiris nobis decernitur, quam qui tribuitur a rudi inficetaque plebe.

V. Honor non ita eſt in poteſtate noſtra, ut eum ab aliis inuitis extorquere poſſimus. Quis enim ita mentibus aliorum imperabit, ut eos, a quibus honorari cupit, poſſit ad bene honorificeque de ſe ſentiendum cogere?

VI. Quare recte ueteres: honor eſt honorantis, non honorati.

VII. Quamuis alios ad nos honorandos externa ui compellere nequeamus (poſ. V), poſſumus tamen uirtutem conſectari, perfectionesque noſtras luculentis declarare ſpeciminibus, aliorumque oculis ſubiicere.

VIII. Non

VIII. Non quaecunque perfectiones nobis honorem conciliant, sed eae demum, quae sunt *nostrae*, i. e. quae nostris uiribus, nostra opera laboribusque partae sunt.

Ita splendor natalium gloriaque maiorum, in se spectata, non cedit nobis honori, sed, quam ipsi peperimus nobis uirtute recteque factis nobilitatem, eam demum uero honore dignam esse, luculenter patet.

IX. Vt sciri possit, quinam sint honore digni, siue de quorum uirtutibus honorifice existimandum sit, moris est, internum mentis iudicium de aliorum perfectionibus per signa quaedam declarare. Quam externam honorum significationem dicere Germani solent Ehrenbezeigungen.

Huc pertinent tituli, siue uerba illa, quibus declaramus, de altero nos bene honorificentiusque sentire. Referuntur huc salutationes, acclamationes et plausus, itemque illud, quod uiris, quos honore dignos iudicamus, assurgamus, locum cedamus, cetera.

X. Dedecus opponitur honori, quod nihil aliud est, quam iudicium aliorum de nostris imperfectionibus seu malefactis.

Si, quae de honore axiomata proposuimus, recte intellexeris, facile nunc perspicies, quid nobis sit dedecori, quidue minus. α) *Nihil nobis dedecus adferre potest, nisi eae imperfectiones, quarum auctores sumus.* E. gr. uitia, ignorantia, quam euitare poteramus, et debebamus, libidines, morbi item et rei familiaris detrimenta ex libidine et prodigalitate orta. β) *Ea ergo, quae nostra culpa non fuerunt commissa, sed quae euitari non potuerunt, non sunt nobis dede-*

dedecori, e. g. deformitas faciei, humilis obſcurusque ortus, paupertas, cetera.

XI. Cum dedecus ſignificamus per externa uerba, facta, uel geſtus, tum dicitur *opprobrium* ſiue *ignominia* (Germanis Beſchimpfung).

XII. Ex his omnibus patet, ad honores aſſequendos, et dedecus euitandum quemque eſſe obligatum. Cum enim quisque teneatur perfectiones, quoquo modo poterit, conſectari, uirtutemque colere, uitia contra, omniaque ea, quae turpia ſunt, euitare (§ 32), intelligitur, cuiusque eſſe, honores ſequi et dedecus effugere. Quia honoris fundamentum eſt uirtus (poſ. I), a qua honor non magis ſeiungi poteſt, quam a corpore umbra.

His tanquam cancellis, ſi continetur honoris cupiditas, nihil habet uitii, ſed potius commendanda eſt, et ab ipſo Paullo ad Philippenſ. IV commendatur. Honorem enim conſectari nolle, eſt uirtutem reſpuere, eſt bene praeclareque facta faſtidire.

§ 86.

Iis, quae de honore et ignominia protulimus, affinia ſunt, quae nunc de *laude* dicenda ſunt. *Laudare* alterum dicimur, ſi eius perfectiones enumeramus, et *laus* nihil eſt aliud, quam enumeratio perfectionum alterius. Sic, ſi dixeris, Eugenium eſſe ducem fortem, prudentem, moderatum, felicem, laudas Eugenium, quia enumeras eius uirtutes et perfectiones.

§ 87.

Si uero alterius imperfectiones enarras, tum alterum

alterum uituperas. *Vituperatio* enim est enumeratio imperfectionum alterius. Si uitia alteri tribuis, quibus non est obnoxius, et imperfectiones eius enumeras, quas non habet, tum *criminari* siue *calumniari* alterum diceris.

E. g. Si ebrietatis uitium tribuis Caio, aut Atheismi crimine, quo uacat, ipsum accusas, calumniaris Caium.

§ 88.

De laude, uituperatione et calumnia sequentes teneto propositiones.

I. Cum alteri eas, quibus reuera gaudet, perfectiones, uel sermonibus uel scriptis tribuimus, tum adesse, scito, *ueram laudem*, cum uero talibus alterum, qualibus non praeditus est, perfectionibus exornatum esse dicimus, *falsa est laus*, nulloque, lubrico certe, nixa fundamento.

II. In iis, qui ad laudandum quidpiam se accingunt, id uel maxime requiritur, ut uirtutes perfectionesque eius rei, in qua collaudanda uersantur, perspectas habeant exploratasque. Qua enim ratione quis alicuius rei uirtutes perfectionesque, quas ignorat prorsus, enumerabit? Qui fieri poterit, ut rerum imperiti, suo quodque pretio aestumare nescii, ea, quae laudant, digne laudent. Hi enim dum, ob inscitiam suam, uel ea, quae adumbratam tantum uirtutis effigiem habent, ipsam, credunt, esse uirtutem, uel perfectiones, in re quapiam obuias, tanti, quanti debebant, aestumare nequeunt, dubi-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0483
DFG

tari non poteſt, quin eorum laus uana ſaepius ſit, falſa, et perridicula.

III. Hinc eſt, ut prudentiores laudem, ab imperitis profectam, non adeo magni faciant, rideantque eos, qui, cum ab hominibus, ſed infrunitis, rudibus, rerumque ignaris eximie collaudantur, quantiuis ſibi uidentur pretii.

IV. Iudicari ex his poteſt, quid ſit, quod nemo non omni, qua poteſt, animi contentione connitatur ad laudem acquirendam. Cum enim perfectionis ſenſus pariat in nobis uoluptatem, tunc uero, cum commemorantur perfectiones noſtrae, fieri non poſſit, quin ſentiamus easdem, patet, omnem laudem, qua quippe noſtrae commemorantur perfectiones, nos iucundiſſimo uoluptatis ſenſu explere. Id omne autem, quod gratum nobis eſt, ſuauiusque animum afficit, appetimus (§ 230 Met.).

Mirum ergo non eſt, tanto quemque maiori animi impetu ad laudem ferri, quo plus habet ſuauitatis.

V. His praeſtructis, intelligi nunc poteſt, an ad laudem appetendam ſimus obligati. Si haec uerba hanc uim habent, quod laudem aliis extorquere debeamus, et poſtulare ab aliis, ut nos noſtrasque uirtutes laudent, tum non nego, neminem, niſi qui ipſe omni laude indignus ſit, impotentem eiusmodi immoderatamque laudis cupiditatem poſſe approbare. At, ſi ita laudis ſtudium interpreteris, ut per illud intelligas uirtutis doctri-

naeque

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0484
DFG

naeque cultum, iam, si culpas laudis cupidinem, ipsam uirtutem, a qua uera peti laus solet, eiusque studium culpas.

VI. Si calumniae tela in nos a maleuolis coniecta senserimus, nostrum est, α) innocentiam nostram quoquo modo poterimus, declarare, β) calumnias re magis factisque, quam uerbis, refellere. Postulat id honoris studium, ad quod naturae lege obligati sumus. Si enim ad honorem consectandum dedecusque omne euitandum obligati sumus (§ 86 pos. XII), id quoque declinare et impedire debemus, quod aliorum de nostris uirtutibus opinionem iudiciumque imminuit. Cum uero calumniae, maxime si a uiris magnae auctoritatis multaeque fidei profectae fuerint, magnam uim habeant ad aliorum opinionem iudiciumque de nostris uirtutibus deminuendum, atque adeo honorem tollendum (§ 87), euidens est, cuiusque esse, calumnias confutare, et earum falsitatem turpitudinemque uel factis, uel uerbis demonstrare.

Cum calumniae ab hominibus infimae sortis, sceleratis, et in omne nefas proiectis, et quibus iam turpitudinis inusta est nota, ortum suum traxerint, tunc satius est, tacere, quam irritam operam in commentis refutandis insumere.

§ 89.

Deuenimus iam ad *fortunam*, quam, supra diximus, multa improuisa nec opinata nobis, propter obscuritatem ignorationemque causarum laten-

latentium efficere. Est enim *fortuna* concursus complicatioque causarum, quas is, ad quem pertinent, praeuidere non potuit. Haec fortuna dicitur *secunda*, quae statum nostrum perficit, *aduersa*, quae perfectionibus finibusque nostris est contraria.

§ 90.

I. Quia fortuna non est in potestate nostra (§ 89), ineptum est, animo nimis angi et desperare, si ea minus secunda usi fuerimus.

II. Porro, quamuis fortuna secunda nos perficiat (§ 89), perfectiones tamen siue bona fortunae non sunt nostra bona, i. e. non nostris studiis operaeque sunt tribuenda. Atque adeo, cum ad id, ut honorem quid adferat, requirantur perfectiones nostrae, i. e. studio nostro acquisitae (§ 85 pos. VIII), intelligitur, fortunae bona, in se spectata, nihil ad honorem laudemque adferre adiumenti. In rebus ergo prosperis et ad uoluntatem nostram fluentibus superbiam, fastidium, arrogantiamque magno opere fugiamus necesse est.

CAP. VII.

De officiis erga alios generatim.

§ 91.

Est cuiusque hominis felicitas tam arcto connexa uinculo cum aliorum incolumitate, ut, nisi

niſi iis, qui tecum eadem uita, eodemque ſpiritu et aëre fruuntur, ſaluis, non poſſis te tuumque ſtatum perficere, feliciterque res tuas agere. Atque adeo opus eſt, ut in dandis recipiundisque beneficiis, quod quisque minus per ſe ipſe poteſt, id accipiat ab alio uiciſſimque reddat.

§ 92.

Hinc naſcuntur mutua officia, quae homo homini debet, quaeque alter praeſtabit alteri, ſi rationem rectricem patiatur, et ad legis naturae praeſcriptum actiones ſuas componere cupiat.

§ 93.

De officiis erga alios ſi recte exiſtimare uelis, ſequentes poſitiones obſeruabis.

I. Officia erga alios, generatim conſiderata, ſunt eiusmodi actiones, ad quas ſuſcipiendas, reſpectu aliorum hominum, lege naturae obligamur.

II. Officia erga alios percommode in tres deſcribuntur claſſes, fere, ut cuiusque hominis officia erga ſe ipſum partiti ſumus. Alia pertinent ad animum, ad corpus alia, alia denique ad ſtatum externum fortunasque aliorum perficiendas.

III. Quod uero unusquisque alteri officia, ex legis naturalis praeſcripto, debeat, id uaria ratione probari ſolet. Primum ſcilicet lex naturae nos iubet, perfectiones quascunque conſectari (§ 32), atque adeo, cum ſuas quisque perfectiones promouere non poſſit,

sit, nisi simul aliis consultum cupiat (§ 91), de aliorum quoque salute et felicitate debemus cogitare. Deinde, si aliorum perfectiones promouemus, in aliis sensum perfectionis siue *uoluptatem* excitabimus (§ 219 Met.). Ex quo exardescat, necesse est, aliorum amor erga nos (§ 238 Met.), cumque semper coniunctum sit cum amore studium promouendi felicitatem eius, quem amamus (§ 239 Met.), consequens est, ut, si aliis officia praestamus, alios incitemus ad nos perficiendos, felicitatemque nostram promouendam. Cum ergo lege naturali obligemur ad adferenda et conquirenda omnia ea, quae ad nostras perfectiones felicitatemque communiendam quocunque modo spectant (§ 32), intelligitur, nos debere aliis officia praestare.

IV. Praecipua ergo, quae ceteras omnes complectitur, regula in officiis erga alios obseruandis haec est: ALIORVM INTERNVM EXTERNVMQVE STATVM PERFICE QVAM POTES DILIGENTISSIME.

Quam quidem propositionem cum temperamento quodam accipi uolo. α) Si in uiribus nostris positum non est, ut alios perficiamus, et opem auxiliumque iis feramus, tum non obligati sumus ad aliorum statum perficiendum. Ad ea enim, quae ex ἀδυνάτων genere sunt, nemo obligatur. β) Si officia erga te ipsum cum officiis erga alios pugnauerint, ita, ut et tua et aliorum perfectio simul obtineri nequeat, tum opus est, ut, quod in collisione officiorum solet, perfectionem maiorem praeferas minori, i. e. ut tuam salutem aliorum felicitate potio-

potiorem ducas. γ) Si, quod alter abs te depoſcit, officium ipſe ſibi praeſtare poteſt, uiribusque inſtructus eſt, ſibi opem auxiliumque parandi, non es obligatus ad alium iuuandum.

V. Alii ſunt amandi. Cum enim alios perficere lege naturali tenearis (§ 91), aliorum quoque perfectionibus oblecteris, neceſſe eſt. Alios enim qua ratione perficies, niſi ſenſu perfectionum ſiue uoluptate, ex aliorum perfectionibus capienda, complearis. Quod cum ſit, amare alios (§ 238 Met.), euidens eſt, alios eſſe amandos.

Amor princeps eſt ad officia mutua praeſtanda, beneuolentiamque coniungendam, quo ſublato, tolletur omne officium, ipſumque communitatis uinculum diſſoluetur. Is ipſe amor, quem aliis debes, idem exaequare debet amorem tui ipſius, ad quem, tanquam cynoſuram et regulam, exigendus eſt amor erga alios. Cum enim alius, quem amare debes, aeque ſit homo, ac ipſe es, cum eadem, qua tu, ratione corporeque, artificioſe contexto, inſtructus ſit, cum eadem uita ſpirituque contineatur, eadem, qua ipſe frueris, ueſcatur aura, eundem ſpiritum ducat, non uideo, cur non eundem, quem tibi praeſtas, amorem ſibi depoſcere debeat.

VI. Intelligitur ergo ex his, noſtrum eſſe, aliorum animos, quantum ſitum eſt in nobis, uera boni malique cognitione imbuere, eos ad omne officii munus humanitatemque inſtruere, errorum, quibus inuoluuntur, caliginem diſſipare, a uitio-

uitiorum illecebris abstractos in uirtutis uiam reducere, denique nihil intermittere, quod uel ad uires intelligentiae rationisque acuendas ac perficiendas, uel ad uoluntatem moresque conformandos pertineat.

VII. Quod ad aliorum corpus attinet, caueas, ne uim cuiquam inferas, aliorumque sanguine manus polluas. Caueas, ne aliorum ualetudinem labefactes, uiresque et uigorem corporis atteras, uel temere irritando, uel ad uoluptates uenereas ebrietatemque alliciendo, uel membra uulnerando et mutilando, uel aliis quibuscunque modis.

VIII. Famae quoque et honori aliorum seruias, idque omne uitabis, quod ad laudes aliorum obterendas imminuendasque spectare uideatur.

IX. Denique id cauendum sedulo est, ne alterius rem familiarem opesque minuamus, sed eas potius custodiamus, augeamus, amplificemus.

X. Quae omnia, hactenus allata, docent, nullius esse statum imperfectiorem reddendum, NEMINEMque adeo, quisquis hic, et cuias fuerit, ESSE LAEDENDVM. *Laedere* enim alterum dicimur, si alterius statum reddimus imperfectiorem. Malum autem illud, quod ex laesione ortum est, dicitur *damnum*.

XI. Ne-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0490
DFG

XI. Nemini ergo damnum est inferendum. Cum enim nemo sit laedendus, quo demum cumque modo illud fiat (pos. X), nemini quoque inferendum est damnum, quod a laesione seiungi non potest (per defin.).

XII. Si uero alteri damnum a nobis fuerit illatum, tum illud resarciendum est. Fac enim, te damnum, alteri illatum, non compensare, tum alterius laesio manet, nec tollitur (pos. X): cum uero nemo laedendus sit (pos. X), manifestum est, damnum, illatum alteri, esse resarciendum, ut laesio cesset.

Sunt quaedam cautiones, in damnis sarciendis necessariae, quarum hanc unam producendam puto. Si quis tibi damnum, ex improuiso illatum, restituere debet, quod uel resarcire non potest, uel, si resarciat, infelicissimus euadit, et ad incitas redigitur; tum perinique agis, si ipsum ad damnum resarciendum cogas. Tuum potius erat, aut nullam damni restitutionem, aut aliquam, non plenam poscere.

XIII. Ad id obligati sumus, ut omnibus simus amici, nemini inimici. Cum enim ad alios amandos simus obligati (pos. IV), is autem, qui alterum amat, sit alteri *amicus* (per def.), consequens est, ut debeamus esse aliis amici, nemini inimici. *Inimici* enim sumus aliis, si alios odimus.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0491
DFG

CAP. VIII.

De officiis erga amicos et inimicos.

§ 94.

Officia erga amicos his includi possunt regulis.

I. Amici sunt amandi. Cum enim omnes homines, quiqui fuerint, amandi sint (§ 93 pos. IV), uel me non monente intelligis, eos uel maxime amore nostro dignos esse, qui nos amant. Iam uero cum amici ii sint, qui nos amant (per def.), manifestum est, amicos prae primis esse amandos.

II. Id caue, ne amicis, si quid in te imprudentes delinquunt, grauiter irascaris, amoremque in odium conuertas. Neque enim, si aegre nobis feciſſe uidetur interdum amicus, id consulto deditaque opera feciſſe putandus est. Cum enim amicus sit is, qui nos amat, quique adeo felicitate nostra oblectatur (§ 238 Met.), credi non potest, ipsum ea studio susceperum, quae alterius amici uoluptatem turbent, ipsique aegritudinem contrahant.

Peruerse igitur et perinique ii cum amicis suis agunt, qui eorum dicta factaque scrupulose nimis minutatimque examinant, et omnia ad uiuum resecant. Quo quidem hominum genere ad amicitias colendas nihil est ineptius.

III. Quicquid amici tui uel animum uel corpus

pus uel fortunas honoresque laedere poteſt, id omne a tuis dictis factisque abeſſe iubeto. Poſtulat id cum lex naturae (§ 32), tum ſpecialius amor ille, quem amicus, qui te amat, iure quodam ſuo poſtulat.

IV. Neque eum, qui eſt tibi inimicus, laedito. Inimicus enim nos odit, atque adeo felicitatem noſtram uel aperte, uel tecte, et, cuniculis uelut actis, ſubuertere allaborat (§ 240 Met.). Si ergo inimicum laedis, eiusque ſtatum imperfectiorem reddis, tum odium eius ingraueſcit et exacerbatur, maiorique flagrabit cupiditate te infelicem reddendi, et malum malo compenſandi. Ita felicitatem tuam ipſe deſtruis, et inimico quaſi arma ſubminiſtras, quibus in te ſaeuiat. Quod quam ſit legi naturae contrarium, luculenter uides.

V. Neque odio ſunt proſequendi inimici. Si enim odio inimicos proſequeris, ſtudio et cupiditate concitaberis, inimicorum tuorum felicitatem deſtruendi, ſtatumque eorum imperfectiorem reddendi (§ 240 Met.). Quo ipſo laedis inimicum (§ 93 poſ. X), cum uero inimicus laedendus non ſit (poſ. IV), conſequitur, ut nec odiſſe eum debeamus.

VI. Ignoſcendum eſt inimicis. Cum enim inimicus non ſit odio proſequendus (poſ. V), patet, omnia ea ex animo delenda eſſe, quae cauſa odii uideri poterant, materiemque quaſi ei ſubſternunt. Atque adeo iniuriam, qua te inimicus affecit, obliuione ſepelias, et conſideres eam, ac ſi non illata eſſet. Quod cum

sit, *ignoscimus inimicis.* Ergo patet, inimicis esse ignoscendum, i. e. ipsos esse ita considerandos, ac si nos non laesissent.

VII. Sublata ita e medio iniuria, tanquam causa odii, eodem inimicum loco nunc habebis, quo ceteros homines. Atque adeo inimico eadem, quae reliquis hominibus, debebis officia.

VIII. Ergo, cum omnes homines amandi sint (pos. V § 93), inimico amorem, quem aliis debes, denegare non potes.

IX. Inimicorum, si quando nos uiolenter adoriantur uitamque petant, furor et impetus cohibendus et frangendus est, ne nobis damnum inferre queant, salutemque nostram destruere. Cum enim quanta maxima quisque potest diligentia et ardore, suis rationibus prospicere debeat, salutemque et res suas in tuto collocare (§ 32), intelligitur, unumquemque esse ad id obligatum, ut, si, uitae suae ab inimico insidias strui, senserit, si, fortunae famaeque suae periculum ab hoste instare, uiderit, omnem ineat rationem expediendae salutis, iisque adminiculis utatur, quibus uim inimicorum possit propulsare, tela retundere, et damna, quae minitabatur hostis, auertere.

X. At in cohibendis inimicis repellendisque iniuriis una haec cautio est necessaria, ne uel nobis uel inimico ipsi, si fieri potest, detrimento simus. Videndum est,

ut

ut et noſtra felicitas ſeruetur inconcuſſa, et *inimicus uel leuiſſimo uel nullo damno afficiatur.*

In cohibendo inimico repellendisque iniuriis haec nobis ſuadet recta ratio, ut α) prius conſilio uerbisque experiamur omnia, quam ad duriora periculi propulſandi remedia progrediamur, β) ut, ſi nihil uerba admonitionesque effecerint, uitam noſtram ab inimici impetu uiolento defendamus, quocunque demum modo id fiat.

XI. Hinc exiſtit MODERAMEN INCVLPATAE TVTELAE, quod nihil eſt aliud, quam corporis ac uitae contra uiolentum aggreſſorem defenſio.

XII. Lex ergo naturae praecipit, ut moderamine inculpatae tutelae utaris, uimque ui repellas, ſi uita tua in diſcrimen uocata fuerit. Cum enim lex naturae praecipiat, ut, ſalutis uitaeque noſtrae conſeruandae cauſa, hoſtium impetum reprimamus (poſ. IX § 94), intelligitur, per eandem nos obligari ad uim ui repellendam, uitamque contra uiolentum aggreſſorem defendendam, atque adeo iure inculpatae tutelae utendum.

Idem hac ratione oſtendi poteſt. Fac, te, ſi uitam tuam ferro petierit hoſtis, corpusque tuum telo adortus fuerit, fac, inquam, te tibi uitam eripi pati, quam conſeruare defenſione poteras, nonne hac ratione αὐτόχειρ eris? Nonne, quod tibi diuinitus cuſtodiendum commiſſum erat, nobile depoſitum turpiter negligis? Nonne naturalem illum uitae conſeruandae inſtinctum, quem non ſine ſapientiſſima ratione Deus in mente tua altiſſime impreſſit, tollis prorſus et deprimis?

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0495
DFG

Recte hanc in rem CICERO: *Est haec non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut, si uita nostra in aliquas insidias, si in uim, si in tela aut latronum, aut inimicorum, incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis.* Pro Milone Cap. IV.

Varie disputatum est de moderamine inculpatae tutelae inter recentiores, quorum alii aliis finibus ius hoc, a natura concessum, circumscribunt. Paucas has cautiones addere iuuat: α) Moderamen inculpatae tutelae locum non habet, nisi in *statu naturali*, ubi nullus est superior, cui te tutandum permittas. β) Locum habet tum, cum uitae tuae uis infertur, γ) cum nec fuga salutem petere possis, nec quis adfuerit, qui te periculo liberet, δ) in moderamine inculpatae tutelae a lenioribus defendendae uitae modis progrederis ad duriora subsidia, i. e. si uulnere infligendo latronis uim propulsare potes, non opus est caede, sed, si nullo modo reprimi potest aggressoris impetus, satius est, latronem interire, quam te.

CAP. IX.

De officiis hominis ratione Dominii siue possessionis.

§ 95.

Cum genere humano nunquam tam bene actum est, ut alii alios sincero semper ueroque amore complectantur, atque adeo alter alterius rationibus, ut suis, prospectum cupiat. Quare fieri non potest, ut multis, uel omnibus, unam eandemque rem ad usus proprios adhibendi facultas

cultas concedatur. Potentiores rapturi forent ad se omnia, ignaui, quod diligentiores labore lucrati essent, in otio et desidia consumturi essent, summaque omnium rerum foret confusio, summa perturbatio.

§ 96.

Si plures uel omnes rebus, in hoc mundo obuiis, facultatibusque ita uti possent, ut neuter ab earum rerum, quibus ad uitae commoditates, suauitatesque indigemus, usu excludi posset, tum hoc ius multorum uel omnium unam eandemque rem ad usus proprios adhibendi dicitur *communio*. Sed si quis re quapiam ita utitur, ut ab eius possessione usuque alii excludantur, tum hoc appellamus *Dominium* siue *Possessionem*. Et is, qui rem aliquam ita possidet, ut ab eius usu alios excludere possit, dicitur eius rei *Dominus*.

E. g. Si quis librum magni pretii possidet, et ita quidem, ut alter, quicunque fuerit, ab eius usu excludatur, tum *dominus* est libri.

§ 97.

Quae de dominio et communione merentur obseruari, his complectemur positionibus:

I. Nostra aetate fieri non potest, ut communio bonorum locum habeat. Proscriptus enim est ex communitate humana amor candorque, quo sublato, tollitur ipsa communio (§ 95). Quamuis non negemus, in orbis huius primordiis, cum pauci homines terram incolerent, earumque rerum in hoc uniuerso

affatim esset, quae ad usus humanos uitaeque opportunitates pertinerent, omnia omnibus potuisse esse communia. Qui status rerum semper futurus fuisset, si, quibus primum oriebatur genus humanum, iisdem finibus contentum terminatumque fuisset, nec tam magnis processisset spatiis, et in immensum excreuisset.

II. Communio tamen earum rerum, quarum magna est copia, quaeque opera et studio hominum parari non debent, adhuc locum habet. E. gr. aquae, aëris, solis, et in nonnullis regionibus ferarum auiumque, quarum magna adest abundantia.

III. Priscam ergo illam consuetudinem habendi omnia communia coacti fuerunt homines deserere et dominium introducere, ita, ut suae cuique facultates, tanquam propriae, attribuerentur.

IV. Prima regula, quae in officiis circa dominium obseruanda est, hac continetur propositione: *Suum cuique tribuendum.*

V. Nemo unquam temere in dominio suo turbandus est. Cum enim neminem laedere debeamus (§ 93 pos. X), eos uero, quos in dominio turbamus, uel maxime laedamus, intelligitur, neminem esse in dominio turbandum.

VI. Ex quo manifestum fit, omne furtum esse euitandum. Quia enim per *furtum* aliis, insciis et inuitis, id, quod suum est, auferimus,

rimus, intelligitur, alios per furtum in dominio suo turbari. Cum uero nemo in dominio suo turbandus sit (pos. V), intelligitur, furtum esse omni modo euitandum.

VII. A rapinis et latrociniis itidem abstinendum est. Cum enim per latrocinia, quibus alteri, conscio quidem, sed tamen inuito, id, quod suum est, diripimus, alios in dominio nimium quantum turbemus, manifestum est, a latrociniis esse abstinendum.

VIII. Quod idem ualet de *fraudibus*, quibus aliorum dominia turbamus. *Fraus* enim est nihil aliud, quam eiusmodi actio, qua aliis, consciis quidem, sed falsis tamen rationibus ad assensum deductis, res suas auferimus.

IX. Quemadmodum alii in dominio non sunt turbandi, ita sollicitissime illud cauendum est, ne rebus, quae nostrae sunt, male praeposterequeutamur, sed legitime iis, officiisque nostris conuenienter utamur. Vtimur uero legitime dominio tum demum, cum illud, tanquam subsidium, adhibemus, nostram aliorumque salutem promouendi et constabiliendi. Si uero iis rebus, quas possidemus, ita fuerimus usi, ut eas uel ad nostrum uel ad aliorum damnum conuertamus, tum dicimur iis abuti.

§ 98.

Sequitur, ut de modis dominia acquirendi in statu naturali pauca adferamus. Praecipui

uero modi hi fere sunt. α) Res, quae nullius sunt, aut quae pro abiectis aut derelictis habentur, *occupamus*. β) Res amissas, si forte fortuna *inuenimus*, tunc efficimus, ut eae nostrae fiant.

Obseruandum uero hic est, res illas, quas inuenimus, *nullius* esse debere, et a domino suo pro derelictis haberi. Quare omnium eorum, qui res inueniunt, est, de exquirendo legitimo domino sollicite cogitare, nec eas prius in suos conuertere usus, quam ubi nullus, multo licet labore adhibito, exquiri potuit dominus.

§ 99.

De acquisitione dominii has teneto propositiones:

I. Si, quae alter deseruit, quaeque nullius sunt, occupaueris, illud uide, ut, quae occupas, tibi sint emolumento.

II. Quas tibi acquisiuisti facultates, de iis augendis, amplificandisque cogitato, sed ita, ut ne aliorum damno locupletior fieri studeas.

III. Dominium tuum ita tueri debes, ut iis, qui te in eo, nefario ausu, et uiolento modo turbant, quanta potes maxima animi corporisque contentione, obsistas, et ea, quae nocitura uidentur, propulses.

Quam quidem regulam tam late patere nolumus, ut, iis, qui facultates nobis uel per uim eripiunt, uel imminuunt, ipsam uitam eripi posse, existimemus.

§ 100.

Quandoquidem non omnes iisdem opibus instructi sunt, sed alter iis rebus, quae ad uitae necessita-

ceſſitates expediendas, commoditatesque pertinent, abundat, alter contra indiget, intelligitur, ſi generis humani rationibus proſpici debet, ut debet omnino, alterum alteri ſaepius impertiri id, quod ſuum eſt, debere, et communicandis recipiendisque dominiis ſocietatem humanam conſeruandam. Ex quo manifeſtum eſt, opus eſſe inter homines *alienatione*, quae in eo poſita eſt, ut, quae poſſidemus, in alios transferamus, aliisque res, quae, noſtrae ſunt, poſſidendi et in uſus ſuos conuertendi, facultatem concedamus.

§ 101.

Duplici uero modo proprietates noſtras in alios transferimus α) *donatione* β) *permutatione*.

§ 102.

Donamus alteri quid, cum in alterum dominium noſtrum transferimus, gratis, ſine pecunia, ſine opera.

§ 103.

De donatione ſequentia enunciata expendi uolumus.

I. Donum ad ea pertinet, quae alter, cui donatur, nullo iure exigere poteſt. Atque adeo ad donationem nemo perfecte obligatus eſt, ſiue cogi poteſt.

Quod ita tamen intelligi uolo. Si quis affluit rebus, quibus alter ad ſalutem ſuam amplificandam indiget, tum uero omnibus uel perſonarum, uel rerum momentis rite expenſis, rationis honeſtatis-

ſtatisque leges ſibi ſequendas eſſe intelliget, animaduertetque, an et quantum alteri donandum ſit.

II. Si quis plus boni ſe effecturum uidet, cum dona opum indigis largitus fuerit, quam efficere poſſit, ſi opes facultatesque retineat, quibus ipſe frui non poteſt, tum uero ad dona alteri tribuenda obligatus eſt.

III. Quod iis, qui omnibus facultatibus exhauſti ſunt, ad uictum quotidianum uitaeque neceſſitates expediendas conferimus donum, dicitur *eleemoſyna*, ad quam erogandam obligatos nos eſſe, tanto minus dubitare poterimus, quanto diligentius in eo elaborare debemus, ut aliorum, in quibus nihl eſt opis, ſaluti proſpiciamus.

§ 104.

Alter modus transferendi dominium, eſt *permutatio*, quae in eo conſiſtit, ut, quibus egemus, uel ad uitam, corpus, ualetudinem fortunasque conſeruandas, res accipiamus ab aliis, et reddamus, quod alter e re ſua futurum putat.

§ 105.

Cum non omnes, qui rebus facultatibusque noſtris indigent, tam nudati ſint opum praeſidiis, ut iis, a quibus dominium accipiunt, reddere nihil queant, facile patet, hos tanto magis ad compenſanda ea, quae acceperunt, obligatos eſſe, quanto pluris omnium intereſt, prouidere, ne quid res familiaris capiat detrimenti.

§ 106.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0502
DFG

§ 106.

I. Vt in permutatione dominiorum minus sit fraudis, rebus certum pretium statuendum est, quod est mensura arbitraria, ad quam res, quae ab altero in alterum transferendae sunt, exigi possunt.

E. gr. Si libro quodam indigeo, tum, ut necessitati meae consulatur, bibliopola librum illum, quem, ut suum, possidet, in me, facultate eum in usus meos conuertendi concessa, transferet: Sed quomodo, aut quibus conditionibus, transfert? Nullo iure a bibliopola exigere possum, ut mihi libri usum gratis concedat, detrimentumque rei familiaris patiatur. Ne ergo, qua opum deminutio per me bibliopolae attrahatur, opus est, ut ad damnum resarciendum, aut aliud quidpiam bibliopolae reddam, aut, in quo plus est securitatis, minusque fraudulentiae, certam pecuniae summam ipsi soluam.

II. In permutatione rerum aequalitas et compensatio iusta obseruanda est. Secus enim si fit, abesse non potest, quin alteruter res permutantium damno afficiatur. Quod cum legi naturae aduersetur (§ 93 pos. X), euidentissimum est, aequalitatem et compensationem iustam in permutandis rebus debere habere locum.

III. Quod idem ualet de operis et laboribus, quos pauperes opumque indigi impendunt, ut opulentiorum necessitati perfectionibus consulant.

IV. Laboribus atque operis merces est statuenda. MERCES est pretium laborum. Demas mercedem, nonne ita indigus laborem operam-

operamque suam opulentiori gratis commodabit? nonne hac ratione status eius, qui diurno opere uictum quaeritat, imperfectior redditur, cum, quod uitae alendae sufficere poterat, laboris pretium ipsi subtrahitur.

Quod idem hac ratione ostendi potest, a) qui aliis operam suam laboremque commodant, ii uero id ideo faciunt, ut, quantum ad uictum quotidianum acquirendum uitaeque commoditates sufficit, tantum labore lucrentur. b) Si ergo mercedem laboranti subtraxeris, subtrahis ipsi alimenta, et, quae fundamenti loco in officiis circa dominium posita fuit regula, uiolatur: *Suum cuique tribuendum.*

§ 107.

Cum in alios transferimus dominium ita, ut alii determinatam pecuniae summam pro eo, quod accipiunt, reddant, tum dicimur dominium *uendere*, alter uero, qui, soluta pecunia, dominium accipit, dicitur illud *emere*.

Quod ut intelligatur plenius, haec habeto. Genus humanum ubi ab exiguis initiis eo creuit, ut tota terra, quanta quanta est, hominum multitudine nunc redundet: rerum permutatio minus commoda fuit rationibus singulorum necessitatibusque expediendis, cum, quod plurimi ne habent quidem, quae inter se commutent, tum quod res permutandi consuetudo a fraudibus seiuncta esse non potuit. Atque adeo de inuenienda quadam re maiores nostri soliciti fuerunt, quae mensura esset communis pretii omnium rerum. Hanc ad mensuram constituendam elegerunt metalla, aurum potissimum et argentum, et uocarunt *pecuniam*, quam recte dixeris communem mensuram pretii omnium rerum. De pecunia haec pauca obserues. α) Nulla aptior pecuniae constituendae poterat esse materia, quam aurum

aurum et argentum. Quia haec metalla sunt et rariora, atque adeo maioris pretii et durissima, nec facile corrumpi possunt. β) Opus est notis quibusdam, quibus uera ac solida pecunia ab adulterina possit internosci. Particula haec metalli, notis certis insignita, dicitur *Moneta*.

CAP. X.

De officiis Hominum in sermonibus, Pactis et contractibus.

§ 108.

Duo sunt, quae in hoc capite explicanda sunt. Alterum spectat ad officia in *sermonibus*, alterum pertinebit ad ea, quae in pactis contractibusque nos obseruare iubet ratio.

§ 109.

Qui aliud loquitur, aliud cogitat, is *falsiloquium* committit. FALSILOQVIVM enim est sermo, a mente alienus. Qui sermo, a mente alienus, si uel in nostrum, uel aliorum damnum directus est, dicitur *mendacium*.

§ 110.

Ex his definitionibus sequentia enunciata deducimus.

I. Falsiloquium cum mendacio non est commiscendum. Ad mendacium enim non modo requiritur, ut sermo a mente discordet, sed id quoque, ut uel loquenti uel aliis damnum inferat (§ 109), *falsiloquium* autem non semper cum damno copulatum est.

II. Fieri

II. Fieri nonnunquam potest, et fit persaepe, ut falsiloquium non modo nihil adferat damni, sed etiam ad perfectionem status nostri uel aliorum plurimum ualeat.

III. Atque adeo incidunt tempora, cum falsiloquium et licitum est, et ipsa lege naturae praecipitur. Lex enim naturae praecipit, ut cum nostram, tum aliorum perfectionem promoueamus (§ 32). Quod cum fieri possit et fiat persaepe, per falsiloquiorum usum (pos. II) intelligitur, ad falsiloquia adhibenda nos interdum lege naturae obligari.

IV. Nunquam uero fieri potest, ut mendacium uel status nostri uel aliorum perfectiones promoueat, quippe quod semper aut cum nostro aut aliorum damno coniunctum est (§ 109), adeoque nunquam mendacium debemus adhibere, sed semper ad illud euitandum sumus obligati. Nemini enim debemus damnum inferre (§ 93 pos. X).

V. Ex quibus patet, non semper illum rationi legique naturae conuenienter agere, qui uerum ubique dicit. Potest enim quis per id, quod uerum dicat, se aliosque in funestissimum detrudere exitium. E. gr. omnes proditores patriae uerum dicunt. Sed nonne patriam, ciuesque omnes summis miseriis inuoluunt?

VI. Quare nonnunquam opus est, ut ueritas reticeatur, eorumque, cum quibus res nobis

nobis est, persaepe refert, nec uerum dici, nec falsum.

Quae omnia rectius intelliguntur, si in uita actionibusque tuis nonnunquam eiusmodi casus inciderint, qui non, nisi ex temporis, loci, personae, ceterarumque rerum, huc pertinentium, indole et ratione definiri diiudicarique possunt.

VII. Cauendum est in omni sermone, ne, quas alter celari uult, res, uetularum more, effutiamus, neu existimationi alterius criminando obsimus.

VIII. Vt paucis multa complectar: *Ita loquendum est, semper et ubique, ut aliis nobisque non noceamus, sed prosimus.*

§ III.

Cum fidem uerbis sermonibusque nostris conciliare, aliosque de sinceritate nostra studioque uerum dicendi conuincere uolumus, uti solemus dictionibus quibusdam, loquendique formis, quas dicimus *contestationes aut asseuerationes* (Betheurungen).

E. gr. Ita me DEVS amet! ita saluus sim! ita uiuam! ita feliciter agam, etc.

§ 112.

De Contestationibus has obseruabis regulas:

I. Contestationes frequentius et in rebus leuibus non sunt adhibendae. Quo enim sunt frequentiores, eo magis uilescunt, neque adeo, quam habere debebant, uim adferunt, ad fidem auctoritatemque uerbis nostris conciliandam.

Dudum prudentiores experentia docuit, quanto quisque frequentioribus utatur conteſtationibus, tanto eſſe plerumque leuioris animi et ad fallendos alios inſtructiorem.

II. Quamdiu leuiores aſſeuerationes ad fidem uerbis noſtris conciliandam ſufficiunt, tamdiu non opus eſt grauioribus, quas uir bonus non, niſi ſumma adactus neceſſitate, adhibet, ubi ſcilicet aut famae conſulendum eſt, aut aliorum ſalus conſtabilienda.

§ 113.

Eae conteſtationes, quibus DEVM, tanquam teſtem ac uindicem, inuocamus, dicere ſolemus *iuramentum*, ſiue latinius, *iusiurandum*, quod CICERO per affirmationem religioſam explicat. de Off. L. III c. 29.

E. gr. Si dixeris, ita me DEVS adiuuet, ut hoc illudque uidi, feci, uel iuſſi, cetera.

§ 114.

Ex definitione iurisiurandi patet

I. Quae cautiones in conteſtationibus adhibendis neceſſariae ſunt, easdem in iurisiurandi uſu eſſe obſeruandas (§ 112).

II. Intelligitur ex his, neminem, niſi qui credat DEVM eſſe, Sacramentum dicere poſſe.

III. Ius ergo iurandum in ludibrium uertetur, ſi illud aut Atheo deferatur, aut hominibus de Epicuri grege, quos, conſtat, negare, DEVM curare res humanas, uirtuti-

tutibusque praemia et uitiis poenas proponere.

IV. Quemadmodum asseuerationibus non nisi extrema coactus necessitate, utitur uir bonus (§ 112): ita iureiurando non uti debet quisquam, nisi necessitate compulsus, tum scilicet, cum uel eius, qui iurat, uel aliorum, uel rei denique publicae interest, ueritatem ad liquidum perduci et patefieri.

V. Iusiurandum cuiusque religioni attemperandum est. Secus enim si fit, is, qui iurat, nullo metu iustitiae uindicis uel a malo absterrebitur, uel ad uerum dicendum, bonumque faciendum promissumque seruandum concitabitur.

Recte HEINECCIVS: *Ne iurisiurandi quidem nomen meretur adseueratio per res, quarum nulla mentem uincit religio.* Lib. I § 207 Iur. Nat. Idem recte monet, formulas ritusque eorum, qui, ex suae religionis praescripto, iurant, non tendere debere in ignominiam ueri, quem colimus, quique religiosissime perreuerenterque ab omnibus colendus est, Dei.

VI. Nemo se iureiurando ad res turpes legeque prohibitas deuinciat. Ad ea enim omnia fugienda ipse Deus nos obligat. Ad ea ergo facienda se obligare iureiurando, quid sceleſtius esse potest?

VII. In omni iureiurando cauillationes, et quas uocant, reseruationes mentales uitandae sunt. Cum enim reseruationes mentales, quibus formulae iurisiurandi alio sensu,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0509
DFG

quam quem iusiurandum postulat, recitantur, eo referantur, ut uis iurisiurandi eludatur; uides, eos, qui reseruationum mentalium integumento improbitatem suam tegere ac uelare cupiunt, in re seria ludere, Deoque, qui intimos mentis recessus latebrasque perscrutatur, non debitam reuerentiam exhibere, neque adeo ipsum pro tali numine, quale reuera est, habere. Quod aduersatur iis, quae supra diximus § 65.

VIII. In primis cauendum est, ne periurium committamus. Est autem PERIVRIVM iuramentum pro confirmando mendacio praestitum. Iam uero, cum mendacium committere non debeamus (§ 110 pos. IV), multo minus ad id confirmandum iustitiam Dei uindicem inuocare debemus. Neque uideo, an quicquam Deo indignius et ad ipsius gloriam obscurandam accommodatius admitti possit, quam si proterue, et studio, ipsius iustitiam et uindictam nobis exposcimus.

IX. Si quis iurauit, se rem turpem et legi contrariam facturum, is ad iusiurandum seruandum non obligabitur. Nemo enim ad id, quod legi aduersatur, committendum obligatur.

§ 115.

Exsecrationes siue *maledictiones* nihil aliud sunt, quam oratio, qua declaramus, cupere nos, ut alteri male sit.

§ 116.

Nemo non intelligit, exsecrationes legi naturae

rae et rationi prorsus aduersari. Cum enim ad id lege naturae obligemur, ut alios amemus, iisque bene cupiamus (§ 93 pos. IV), patet, omnia illa uerba, omnes sermones, quibus significamus, nos aliis male cupere, esse legi naturae contrarios.

§ 117.

Hactenus de officiis in sermonibus. Nunc de *pactis* commentabimur. Pactorum uero natura et indoles intelligi non potest, nisi, quid sit *promissio*, antea distinctius explicatum dederimus.

§ 118.

Est igitur *promissio* nihil aliud, quam oratio, qua in aliorum gratiam aliquid uel facturos uel omissuros nos esse, dicimus.

§ 119.

Ex definitione hac sequentes conficiuntur propositiones.

I. Nihil homo homini promittere debet, nisi quod legi naturali consentaneum est. Fac enim, quempiam promittere quid alteri, quod legi sit aduersum, tum uero promissor dicit, se facturum quid, quod legi est aduersum. Cum uero ad omne id simus obligati, quod legi est conforme, et ad omne id fugiendum, quod eidem aduersatur (§ 32), euidens est, non promittere quempiam quid alteri debere, quod legi est aduersum.

II. Atque adeo promissa, quibus quid polliciti sumus, legi contrarium, sunt irrita, nec seruanda.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0511
DFG

III. Sequitur ergo, ut omnia promissa debeant esse eiusmodi, ut nec cum officiis erga nos, nec cum officiis erga Deum et erga alios pugnent, sed potius cum lege consentiant. Talia cum fuerint, dubitari non potest, promissis esse standum. Obligatus enim es ad id, quod lege praecipitur (§ 32), obligatus ergo etiam es ad promissa seruanda, quibus, te quid facturum, quod legi sit consentaneum, pollicitus es. Neque uideo, si non expleueris promissa, quomodo ab animo alios laedendi immunis pronunciari queas. Multiplici enim modo laeditur alter, cui quid promisisti, nec seruas promissum. Cum uero nemo sit laedendus, promissa quoque seruanda esse, patet.

IV. Ea, quae sunt ἀδύνατα, nec uiribus nostris praestari possunt, promitti non debent, et, si promissa sunt, ad ea seruanda non datur obligatio. Ludibrio habes eum, cui promittis impossibilia. Dicis enim, te facturum ea, quae nec tuis, nec fortasse cuiusquam alius uiribus effici queunt. Quod quid aliud est, quam dicere, te non facturum ea, quae promisisti? Cumque ad ea, quae sunt ex genere eorum, quae fieri non possunt, non detur obligatio (§ 20 pos. VII), intelligitur, ad promissa impossibilia seruanda non dari obligationem.

§ 120.

Ita nunc intelligis, quid sit *pactum*. Pacta sunt promissa mutua de factis sibi praestandis.

§ 121.

§ 121.

Quas ergo de promiſſis demonſtrauimus propoſitiones, in doctrina de pactis quoque ualent.

I. Paciſci nihil debemus, niſi quod legi conforme eſt, et ea pacta ſeruanda ſunt (§ 119 poſ. I).

II. Eorum uero pactorum, quibus illicitas res legique aduerſas promiſimus, nulla uis eſt, nulla obligatio (§ 119 poſ. II). Quod idem ualet, de iis pactis, quibus ea, quae fieri non poſſunt, promiſimus (§ 119 poſ. IV).

III. Pacta perficiuntur mutuo conſenſu. Vtraque enim paciſcentium pars promittit quidpiam, et alter alteri uerbis declarat, ſe in eius gratiam quid praeſtiturum uel omiſſurum (§ 118), ad quod mutuus conſenſus requiritur.

IV. Hic conſenſus deſinit eſſe conſenſus, ſi uel minis, uel ui, uel dolo alter ad paciſcendum compellitur induciturque. Is enim, qui metu doloque ad pactum perficiendum commouetur, uerbis quidem externis ſignificat, ſe in alterius gratiam quid praeſtiturum, ſed mente negat. Atque adeo pactum eiusmodi conſenſu mutuo deſtituitur.

V. Pactum ergo, uel metu extortum, uel elicitum dolo, ſeruari non debet. Quia eiusmodi pactum plane non eſt pactum (poſ. I et IV).

VI. Quemadmodum pacta mutuo conſenſu perficiuntur (poſ. III), ſic mutuo con-

ſenſu quoque ſolui poſſunt, ſi ſcilicet ex eo, quod diſſoluitur pactum, non aliquid prouenit, quod legi naturae eſt aduerſum. Si enim utraque paciſcentium pars, ad id, quod pacti ſunt, obligati ſunt etiam ſine pacto, ab officio recedere non poſſunt, quamuis mutuus conſenſus adſit ad ſoluendum pactum.

VII. Pactum de dominio in alios transferendo, dicitur contractus ſiue conuentio.

VIII. Emtio ergo et uenditio ad contractus pertinent (§ 107).

IX. Cum nemo ſit laedendus (§ 93 poſ. IX), neminique damnum inferendum (§ 93 poſ. X), neque emtor uenditorem, neque uenditor emtorem damno afficere debet.

Quae regula, generalius enunciata, complectitur omnes ſpecialiores, quae in emendo uendendoque obſeruari debent.

X. Mutuo conſenſu, tanquam fundamento, nituntur omnes contractus, qui, ſi acceſſerit mutuus conſenſus, tolli diſſoluique poſſunt. Pactum enim mutuo conſenſu perficitur (poſ. III), reſcindique poteſt mutuo conſenſu (poſ. VI).

§ 122.

Si aliis rerum facultatumque noſtrarum uſum concedimus, idque *gratis*, tum dominium noſtrum alteri *mutuum*, damus, et is, qui mutuum accipit, dicitur mutuari.

§ 123.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0514
DFG

§ 123.

I. Ad alteri res suas mutuas dandas nemo cogi potest, nemo perfecte obligatur. Nemo enim tenetur detrimentum rei familiaris propriae facere, ut alterius rem familiarem augeat. Perfectiones enim status nostri potiores nobis esse debent perfectionibus aliorum.

II. Cum uero fieri possit, ut alter, ad perfectionem status sui salutemque amplificandam, rebus iis, quibus affluo, indigeat, tum sensus humanitatis amorque, qui aliorum perfectionibus promouendis nunquam non intentus est, suadent, ut aliis rerum mearum usum gratis, idque ad tempus concedam.

III. Is, qui mutuum accepit, domino rem commodatam, constituto tempore, reddat, eamque integram et illaesam. Nisi enim restituat, dominus, qui rei suae usum alteri concessit, damno afficitur, detrimentumque rei familiaris patitur. Nemo uero damno est afficiendus (§ 93 pos. X).

IV. Is, qui rem commodatam accepit, eam nec uendat, nec alteri cuipiam mutuam det, nisi id fiat domino consentiente. Secus enim si fit, dominus rei familiaris detrimento afficitur.

V. Si rerum nostrarum usum alteri non gratis, sed pro certa pecunia, concedimus, locamus res nostras alteri, et is, qui promittit pecuniam, conducere eas dicitur.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0515
DFG

VI. Locatoris et conductoris officia disci aestumarique possunt ex iis, quae de pactis generatim diximus. Summa regularum omnium, hic obseruandarum, haec est: Neque locator conductori, neque conductor locatori damnum inferat, sed alter alterius utilitati consulat.

VII. Si aliis pecuniam mutuam damus, tum appellamur *creditores*, et is, qui pecuniam mutuam accepit, dicitur *debitor*.

VIII. Si alteri pecuniam mutuam des, de eo sollicitus sis, ut certissimus fias, pecuniam commodatam non perditum iri. Obligatus enim es ad opes tuas conseruandas (§ 81 pos. 1).

IX. Duo ergo sunt, de quibus tibi prius, quam pecuniam commodaueris alteri, prospicias. Primum num possit is, cui das, reddere, quod debet, siue num sit soluendo, deinde, num uelit restituere, i. e. num uir sit bonae fidei.

X. Documentis ergo fidei certioribus opus est, quibus caueat de pecunia is, qui mutuam illam accipit. Alias enim is, qui dedit mutuo, periculo pecuniam amittendi expositus est, detrimentumque rei familiaris patietur.

Cautionum autem, quibus securitati creditoris prospicitur, haec fere sunt genera, quorum alia aliis maiorem ad securitatem praestandam habent uim. α) Huc spectat *obligatio*, qua litteris scriptis profitetur debitor, quantum pecuniae acceperit, et quo tempore cum foenore rem commodatam restituere uelit,

uelit. β) *Pignus*, cum rem quandam mobilem, e. gr. pretiosa, monilia, libros, uestes, uasa argentea, cetera, in securitatem crediti tradit debitor creditori, ut, si nomen non expunctum fuerit, retineat ea creditor, si uero aes alienum dissoluerit debitor, reddat. γ) Cum denique immobili bono, e. g. agris, pratis, hortis, aedibus, de pecunia cauet debitor, audit *hypotheca*. δ) Si quis alius se soluturum ad diem constitutum pecuniam dixerit, cum debitor non soluat, tum eum dicimus *fideiussorem*, *praedem*, *cautorem*.

XI. Si alteri pecuniam commodat creditor, tum alter, cui commodatur, insigne lucrum facere potest, quod non feciſſet, si pecuniam non accepiſſet mutuam. Eodem uero lucro cum se locupletiorem reddere potuiſſet creditor, nisi pecuniam alteri mutuam dediſſet, patet, iure quodam suo, creditorem ab debitore annuum quendam fructum pecuniae commodatae repetere posse. Qui fructus siue emolumentum pecuniae dicitur *usura*, quam, patet, rectae rationi non repugnare.

Disputatum est inter recentiores et theologos et philosophos, num creditor sibi praemium aliquod pro pecunia commodata, et forte concessa a debitoribus stipulari possit. Qui adfirmant, has adfirmandi rationes adferunt. α) Si debitor locupletior fit pecunia creditoris, nonne interim creditor fructu et emolumento pecuniae carebit? Nemo uero alterius damno locupletior fieri debet. β) Cur non creditor a debitore mercedem aliquam pro magnitudine periculi exigat? Magnum enim periculum adit is, qui debitori pecuniae suae usum fructumque concedit. Qui usuras damnant, scripturae sacrae testimoniis nituntur Psalm XV, 5, Luc. VI, 34 seqq.

seqq. Sed hic mordaces immodicasque usuras, a legitimis usuris distinguas. conf. Deut. XXIII. v. 19, 20.

XII. Vsura semper debet esse eiusmodi, ut nec creditor nec debitor ex eius solutione damnum capiat.

XIII. Pecunia, siue sors, ex qua fructum emolumentumque lucri capit debitor, si ad statutum tempus restituendum est, tantundem, non modo ratione quantitatis, sed etiam qualitatis reddi debet, quantum debitor accepit, nec mora soluendi nectatur. Plurimum enim damni creditor saepe accipit ex mora solutionis.

§ 124.

Ex his manifestum fit, id, quod apud nos ab aliis ad custodiam est *depositum*, sine tergiuersatione iis, qui deposuerunt, si reposcatur, esse reddendum.

Quod alter nobis custodiendum asseruandumque commisit, id ita debemus nobis habere commendatum, ut nec nostra culpa perdatur, nec detrimenti quid capiat. Secus si sit, damnum, nostra culpa rebus depositis illatum, compensari a nobis debet. Sed si damnum rei depositae infertur, quod euitari nec nostra nec cuiusquam diligentia potuerat, tum damnum praestare non tenemur.

)o(

PHILO-

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0518
DFG

PHILOSOPHIAE PRACTICAE

PARS III.

Institutiones Ethicae

siue

Philosophiae Moralis

stricte sic dictae.

* *

Prooemium de Ethica in genere.

§ 125.

Quamuis supra iam luculenter ostendisse uideamur, quae sit differentia iuris naturae et Ethices (§ 1), paullo tamen nunc distinctius eas propositiones euoluemus, quae ad naturam Ethices explicandam, eandemque a iure naturae internoscendam pertineant.

§ 126.

I. Ius naturae leges explicat, docetque quid homini sit faciendum omittendumue (§ 3 pos. IV). Ethica uero rationem uiamque nobis ostendit, legibus naturae obsecundandi (§ 3 pos. IV). Recte ergo non-

nonnulli ius naturae theoriam Ethices uocarunt.

II. Ethicae est, docere, qua ratione mens nostra firmam quandam recte faciendi facilitatem consequatur, habitumque actiones honestas, quarum praecepta dat ius naturae, suscipiendi sibi acquirat.

III. Ethica ergo, uel in primis, in eo occupatur, ut modum uirtutis assequendae demonstret. VIRTVS enim est habitus actiones suas legi naturali conuenienter instituendi.

IV. Ethicae id propositum est, ut inclinet flectatque uoluntatem ad recte faciendum, ita ut quis libenter summaque cum uoluptate honestas actiones suscipiat, turpesque fugiat, quamuis nec praemiis incitetur, nec poena a uitiis reuocetur.

V. Ethica itaque in emendanda tota mente operam insumit, moribusque corrigendis intenta est. Hoc enim est emendare uoluntatem, cum ea a turpitudine ad honestatem, a uitiis ad uirtutem reuocatur. Quod cum fieri non possit, nisi uera ueri boni cognitione imbuatur, euidens est, ethicam quoque in emendando intellectu, ratione, cognitione boni, atque adeo in tota mente occupari.

VI. Munit praeterea sui cultoribus ethica uiam ad ueri nominis felicitatem, quae interna mentis uoluptate et tranquillitate conti-

continetur (per defin.) Cum enim ethica rationem uirtutis conſequendae doceat (poſ. I), uirtus autem ſit medium felicitatis (§ 46), palam eſt, Ethicam quoque felicitati uerae impetrandae inſeruire.

Quo ipſo perſpicitur denuo, quantum a iure naturae differat Ethica. Illud externam quietem urget, in eoque acquieſcit, ut doceat, neminem eſſe laedendum, ſuum cuique tribuendum, cetera. Haec uero efficit, ut homo interna felicitate perfruatur, uirtutisque praemiis exhilaretur.

VII. Hoc denique addendum eſt, in ethica quoque doceri debere, quomodo tollantur e medio uirtutis impedimenta, quae ſalebras ſaepius hominibus, ad felicitatem graſſaturis, ex transuerſo obiiciunt. Quomodo enim Ethica rationem aſſequendae uirtutis docere poteſt, niſi oſtendat, quomodo remoueantur impedimenta uirtutis culturae obſtantia.

VIII. Atque adeo cum uitia ſint maximum uirtutis impedimentum, eamque peſtifero quaſi ueneno enecent, Ethicae eſt, oſtendere, quomodo mentis uitioſitas exuatur, fonsque tot actionum turpium obſtruatur.

)o(

CAP. I.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0521
DFG

CAP. I

Regulas quasdam generaliores de uirtutis ſtudio eiusque conſequendae adiumentis et ſubſidiis explicans.

§ 127.

Regulas de uirtute colenda ſequentibus concludemus axiomatibus, ex unica fere uirtutis definitione deductis.

I. Qui ueram uirtutis conſequendae rationem inire uult, id agat impenſius, ut recte faciendi facilitatem, actionesque ſuas ad legem naturae componendi habitum acquirat. Eſt enim uirtus habitus actiones ſuas legi naturae conformandi (per def.)

II. Qui ergo uirtutis conſequendae ſtudio ducitur, nae is, oportet, regulas, iure naturae traditas, perſpectas habeat. Alias enim ad earum praeſcriptum actiones dirigere non poteſt.

III. Inprimis de eo uirtutis ſtudioſus ſollicitus eſto, ut eius animus boni maliue cognitione imbutus ſit. Rectum enim qui facere poteris, niſi, quid rectum ſit, cognitum habueris?

IV. Cum uero, quid bonum malumue ſit, ex cuiusque actionis effectis conſequentiisque perſpiciatur, idque, adiutrice ratione,

tione (§ 10), intelligitur, uirtutis conſequendae uel praecipuum adiumentum eſſe rationis culturam, quam quo diligentius perfeceris, hoc ad uirtutem colendam te aptiorem ſenties.

V. Non requiritur autem ſolum qualiscunque boni maliue cognitio ad uirtutis ſtudium, ſed ea quoque, neceſſe eſt, diſtincta ſit et uiua, i. e. eiusmodi, ut uoluntatem flectat, et ad bonum inclinet. Cum enim non in eo poſita ſit uirtus, ut quis recte faciat, ſed ut libenter et cum uoluptate quadam honeſte, et legi conuenienter uiuat, et interno quodam ſtudio conſtantique recte faciendi uoluntate gaudeat (§ 44), conſequens eſt, ut animus non poſſit uirtutem aſſequi, niſi ea boni maliue cognitione inſtructus fuerit, quae eſt uiua, i. e. quae mentem uoluntatemque, ſtimulis uelut incitatam, ad bene faciendi propoſitum alliciat, flectat, et exſuſcitet.

VI. Quanti ergo intereſt ad uirtutem conſequendam, in mente noſtra uiuam boni malique cognitionem gigni, tanti quoque refert, diſtributius a nobis explicari, quo modo, quibusue adminiculis uiuam acquiramus faciendorum ac fugiendorum cognitionem.

VII. Primum ergo ad uiuam eius, quod honeſtum ac turpe eſt, cognitionem acquirendam permultum ualet illud, ut ad ea, quae ex bonis aut malis actionibus conſequun-

sequuntur, quam possumus diligentissime attendamus, atque ita praestantiam uirtutis opportunitatesque, et funestos uitiorum euentus, uel nobis uel aliis sub oculos subiiciamus.

VIII. Quod, nescio, an utilius commodiusque fieri possit, quam si ad ea, quae experientia nos condocet, acrius contemplanda animum, uirtutis cupidum, conuertamus. Ea enim est mentis humanae natura, ut iis, quae ante oculos sunt constituta, multo uehementius percelli soleamus, quam recte uiuendi praeceptis, maxime si paullo subtiliori dicendi genere proponuntur. Dudum eruditi experientiam uirtutis rectequе agendi magistram uocarunt.

IX. Cumque experientia sit uel propria, uel aliena, consequens est, ut uel per propriam uel per alienam experientiam uiuam acquiramus cognitionem.

X. Experientiae propriae adminiculo tum demum cognitionis uiuae reddimur participes, cum ipsi dulcissimum bene factorum fructum, et funestos scelerum libidinumque euentus persentiscimus.

Vnde saepius factum, nouimus, ut ii, qui in omnia uitia sese ingurgitarunt, procedente tempore, resipuerint, cum scilicet tristes poenitendosque uoluptatis ac flagitiorum fructus, labesque et uulnera conscientiae ita senserunt, ut ferre non amplius potuerint. Ex quo ortum prouerbium: *Piscator ictus sapit*, mit Schaden wird man klug. Quae uero

uero prudentia multis et corporis cruciatibus et animi angoribus tormentisque haud raro redimitur.

XI. Per experientiam alienam uiua cognitio parari solet, cum historias ueteres recentioresque in consilium adhibemus. Hoc enim, monitore LIVIO, praecipue in historia et cognitione rerum gestarum salubre est, ac frugiferum, ut inde nobis, quod imitemur, capiamus, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod uitemus.

Sunt autem multae cautiones, ad quas animum quam possumus acerrime intendamus, oportet, si per exemplorum usum mentes uiua boni maliue cognitione imbuere, easque ad uirtutis amorem concitare uoluerimus. Quarum nonnullas, operae fuerit pretium, hic adducere.

α) Si quos habes, quorum mentem proponendis exemplis ad uirtutem incendere cupis, id, uel maxime, tibi negotii datum existimato, ut eorum, quos ad recti bonique studium uis perduci, uires explores, soliciteque inquiras, num, quae imitari iubes, exempla sint eiusmodi, ut imitari possit is, qui iubetur. Quemadmodum enim illum, cui poplites neruique sunt incisi, frustra ad eundum saltandumque cohortaris, mille licet exempla per forum et circum tabernas ipsi proponas, licet ipsos proferas Hemerodromos, quos ingens, uno die, spatium legimus cursu fuisse emensos: ita nihilo plus agis, quam si des operam, ut cum ratione insanias, si eos, qui debiles sunt, omnibusque recte agendi uiribus destituti, eiusmodi uirorum exempla imitando effingere cupis, quos aut excellens ingenium, aut quoddam uirtutis uigorisque ingeniti robur, aut occulta denique praepotensque diuini Numinis uis et gratia ad summa quaeque et praestantissima armauit.

β) Demonstrandus est modus, quo alterius, quem imitandum proponis, animus ex lubidinum scelerumque sordibus emerserit, et quo pacto quam expeditissime tolli possint obstacula, quae iis, qui mentem ex foedissima flagitiorum seruitute ueram in libertatem assertum eunt, ex transuerso obiiciuntur. Nec reticeri par est medicinam, qua alii, quorum exempla proferuntur, interni uim morbi infregerunt, et ex qua suum animus uigorem, et salubritatem recuperauit. Secus si feceris, quid aliud agis, quam ut aegrotum ideo conualescere cupias, quia alii plures ante ipsum ex morbo fuerunt recreati? Quid te, putas, effecturum, si a sutore, scriniario uel quocunque alio machinarum confectore postulaueris, ut speculum causticum conficiat, idque ideo, quia TSCHIRNHAVSENIVS tale coagmentauit, poliuit, et ad flammam concipiendam aptum reddidit? Exemplum hoc proponis mechanico uel sutori tuo, quod ipsum iubes imitari. At rideberis ab ipso, nonne omnia uerba tua, quibus ad simile speculum constituendum incitas mechanicum, quibus eiusdem usum et praestantiam praedicas, incassum perdentur, et tanquam in pertusum congerentur dolium? Nonne, dic, quaeso, inquiet sutor, quibus artibus TSCHIRNHAVSENIVS speculum eiusmodi confecit?

γ) Permultum praeterea ad uiuam uirtutis cognitionem impetrandam interest, ut certo sciat is, qui a uitiis ad uirtutem reuocandus est, *uere* factum esse, quod narratur, quodque, tanquam exemplum, imitandi causa ob oculos ponitur. Quod si enim falsi quid subesse, comperit is, cuius animus exemplis ad honestatem inflecti debet, et ad legem componi, tantum abest, ut eiusmodi commentis moueatur, et ad rectum incitetur animus, ut potius ludi se et fraude circumueniri, arbitretur.

δ) Denique, quoties uirtutes aliorum excellenterque facta, uel uitia etiam commemoras, et dedecora, toties eam exempla proponendi rationem ineas, ut

bene

bene et male factorum consecutiones effectaque ostendas, et, quae cum quaque actione fuerit connexa uel felicitas, uel poena, eam animis subiicias. Illud quoque commonstrandum est, homini, quem, tanquam exemplum, ob oculos ponis, bonum malumque propter has actiones, non alias contigisse. Fac, Caium, aeris prodigum, suas profundere opes, remquae suam epulis, opipare instructis, strenue conficere. Hunc, ut ad frugalitatem se recipiat, cohortaris, et Titii, ad incitas redacti, exemplo doces, profusionis certissimam esse poenam paupertatem. Caius egestatis, qua afflictatur Titius et urgetur, causas alias adfert. Ergo tuum est, demonstrare, non aliunde, quam ex opum profusione, Titii mendicitatem suum trahere ortum. Contra si feceris, ualde uereor, ne exempli allati uis deminuatur.

XII. Proximae historiis sunt fabulae, maxime illae, quae in theatris ludisque scenicis proponuntur. Quibus tantam uim ad igniculos amoris erga uirtutem in spectatorum animis accendendos, uiuamque cognitionem excitandam tribuunt nonnulli, ut in theatris scholam quandam uirtutis aperiri existiment.

XIII. Haec de cognitione uiua, eiusque acquirendae modis. At eadem, quae ad uirtutis studium alendum ualere debet, recti cognitio distincta praeterea sit, oportet, i. e. eiusmodi, ut uirtutis interiorem praestantiam pulchritudinemque penitius exquirat, atque ita amorem eius in animo excitet. Si enim bonum distincte cognoscimus, tunc eius pulchritudinem praestabilitatemque non ex praesenti uolupta-

te, ac taedio aestumamus, sed longe in posterum prospicimus, et, quam uberes amplique sint fructus, ex uirtutis studio, post multos demum annos, in nos redundaturi, perspicimus. Quo ipso uirtus admirabiles sui concitat amores, non profecto concitatura, si eam, primo aspectu asperam, et paullo horridiorem, confuse, et sensibus, qui fallaces saepenumero sunt iudices, contuitus fueris.

Distincta haec, quam in uirtutis studio tantopere commendamus, boni maliue cognitio dispellit, tanquam nebulas, praeconceptas opiniones, quibus infecti complures, non modo non dulcem, et fructuosam, sed etiam permolestam et sterilem uirtutis culturam existimant. Haec, quae uirtutis impedimenta maxima sunt, praeiudicatae opiniones sequentes fere sunt.

α) Virtutem illud cumprimis impedit, quod malos et improbos uideamus persaepe in omnium rerum affluentia uiuere, resque suas ex uoto agere, contra bonos, quique uirtutum cultores habeantur, omnibus aerumnis circumsessos, fortunaeque iniquioris iactatos procellis, uitam miseram miserandamque uiuere. Quod quidem praeiudicium, si accesserit distincta uirtutis cognitio, dispellitur, propterea, quod, qui distincte uirtutem felicitatemque intelligunt, eam non ex iis, quae uirtuti adiunctae sunt, acerbitatibus, sed ex liquido illo perennique gaudio, quod ex uirtutis amore cooritur, aestumare consueuerunt.

β) Altera praeiudicata opinio, quae uirtutis studio fraudi est, in eo consistit, ut multi sibi persuadeant, difficile admodum esse, quin etiam ἀδύνατον, uirtutem ita consequi, ut nihil admixtum sit uitii, nihilque corruptelarum. Sed sit difficile. Num ideo in uirtute colenda uitiisque exstirpandis nullum laborem insumemus? Quotusquisque est, qui eruditio-

ditionem, omnibus numeris absoluram, consequi possit? At num ideo eruditioni acquirendae nullum tempus operamque impertiemur?

XIV. Virtus acquiritur diuturno usu ac exercitatione, neque uno, uel die, uel mense uitia ex animo radicitus extrahi possunt. Cum enim uirtus uitiumque sit habitus (per def.); habitus uero non, nisi diuturno usu, et actionibus, crebrius repetitis, acquiri possit, (per def. habitus) intelligitur, uirtutem non acquiri posse, uno momento, sed diuturniore exercitatione et usu, neque uitia tam cito, quam uulpes pyrum comest, ex animo posse exstirpari.

XV. Ex quo conficitur, iuuenes, quin etiam pueros, a teneris statim unguiculis, exercitationibus, quibus propius ad uirtutis habitum accedimus, uimque uitiorum imminuimus, ita esse assuefaciendos, ut sensim paullatimque, uirtutis amorem, induant, et uitia eiurent.

XVI. Atque adeo iuueniles animi, quoad eius fieri potest, sunt uera distinctaque boni maliue cognitione imbuendi, erandicandaeque ex teneris puerorum mentibus omnes praeiudicatae opiniones, quas de uirtute ac uitio imbibere solent.

XVII. Efficiendum est, ut in pueris ex continuis bonis actionibus nascatur consuetudo recte faciendi, quae procedente tempore uertet in naturam, maxime si oc-

si occasionem male faciendi ipsis subtraxeris.

XIIX. Quandoquidem pueri, adolescentulique, ratione consilioque non satis firmati, bonum malumue ex euentibus aestumare et dignoscere nondum didicerunt, opus est, ut praesentem dolorem, nonnunquam, cum ipsorum actionibus malis connectamus, et actionibus eorum bonis suauitatem quandam et praemia, tanquam irritamenta, adiungamus. Ducuntur enim iuuenes rerum praesentium specie et tantum, quantum sensibus mouentur, ad id, quod adest, se applicant.

Ex quo uides, quid de plagis uerberibusque, quibus puerorum animos a malo absterrere cupimus, sit sentiendum. Nunquam plagae et argumenta lignea cient appetitum boni, neque iis efficietur, ut quis actionem malam auersetur. Voluntas enim ad appetendum bonum malumque auersandum non nisi rationibus, quas intellectus proponit, moueri flectique debet. Atque adeo perabsurda est eorum opinio, qui uerberibus, uirgisque uoluntatem emendari, uirtutisque amorem instillari posse putant. At id negari non potest, dolorem ex plagis in puerorum animis, qui sensibus tantum reguntur, id efficere, ut, quia dolor cum actione mala iterum iterumque fuit connexus, actionem deinde malam omittant, non quia eius interiorem distincte uident turpitudinem, sed quia dolorem ex ea commissa oriundum recordantur.

XIX. Ex his omnibus apparet, non posse quemquam uirtutem consequi, nisi diu multumque in uoluntate emendanda occupetur. Cum enim uirtus requirat non qualem-

qualemcunque externam conuenientiam actionum cum lege naturae, ſed internum ſtudium, ardorem conſtantemque uoluntatem bonum faciendi malumue omittendi (§ 45), conſequens eſt, ut is, qui uirtutem aſſequi cupit, efficere debeat, ut uoluntas appetat uerum bonum, et auerſetur uerum malum. Efficere, ut uoluntas appetat bonum malumue, (loquor autem de uero bono ac uero malo) eſt *emendare uoluntatem*, E. qui uirtuti operam dat, debet in emendanda uoluntate occupari.

XX. Emendatio uero intellectus emendationem uoluntatis praecedere debet. Quod luculenter patet ex natura uoluntatis, quae in eligendo bono, maloque ſemper intellectum conſultorem ſequitur. Qui ergo, quicquid, tanquam bonum, proponit uoluntati, id ea appetit, quicquid, ut malum, repraeſentat, id auerſatur. Si ergo erroribus praeiudicatisque opinionibus intellectus, ſiue facultas cognoſcendi ita impleta fuerit, ut bonum habeat pro malo, et malum pro bono, quid mirum, uoluntatem ſpecie recti decipi. Permultum ergo intereſt ad emendandam uoluntatem, intellectum emendari, ut, errorum nebulis disiectis, clarius diſtinctiusque boni maliue naturam perſpiciat, nec erret, et in iudicando labatur aut decipiatur.

XXI. Denique ad uoluntatem emendandam uirtutemque conſequendam uel maxime illud requiritur, ut affectibus uim ſubtrahas. Affectus enim omnem diſtinctam

boni cognitionem impediunt, lumenque rationis extinguunt (§ 232 Met.). Cum uero ad uirtutem consequendam rationis cultura et distincta cognitio postuletur (pos. XIII), manifestum est, in consequenda uirtute opus esse, ut affectibus, impetu eorum represso, uim subtrahas.

Quod qua ratione fieri queat, id speciatim indicabitur in capite de Moderandis, compescendisque affectibus.

XXII. Denique in emendanda uoluntate et uirtutis studio nihil proficies, nisi in eam incubueris curam, ut consuetudines malas exuas, quibus maxime, si uetustate adultae fuerint et corroboratae, persaepe uoluntas ad turpes actiones suscipiendas impellitur et tantum non rapitur.

Consuetudines, quas recte dicimus habitus agendi, ex determinationibus praeteritis, malas non uno ictu, ut ita dicam, deiicimus, sed tempore, opera, conatu saepius repetito, patientia opus est. Vim consuetudinum infringimus, α) si id agimus, ut quotidie uel de numero, uel de uehementia actionum, ex quibus consuetudo paullatim contracta fuit, quid deminuamus, deque grandi quasi inclinationum propensionumque acerbo singulis diebus granula aliquot demamus, idque tam diu continuemus, donec, quod demi possit, nihil amplius superst. β) Vt quanta maxima possumus solicitudine, deuitemus occasionem eiusmodi actiones suscipiendi, ex quibus, tanquam elementis suis, composita est consuetudo. γ) Vt ardor quidam in animo excitetur, innoueturque quotidie, ea agendi, quae consuetudini sunt contraria. δ) Qui ardor, cauendum est, ne tepescat, sed lumini quasi oleum infillandum est,

quo

quo alatur, et conseruetur. ε) Vt uero hic ardor mentis recte agendi exsuscitetur in dies magis, augeaturque, adhibenda sunt adiumenta quaedam, in quibus commendari illud, uel inprimis, meretur, ut signa quaedam nobis constituamus, quae in memoriam nobis redigant propositum, quod cepimus, bene agendi, unde omnes cerimoniae ortae sunt, et nos excutiamus solerter, mentisque latebras exquiramus, ut ita pateſcat nobis, quid desit nobis ad recte uiuendum, in quo lapsi simus, quid denique actum sit, quidque agendum fuerit. Quod quidem conscientiae examen, Pythagorae iam olim aliisque ueteribus philosophis tantopere probatum, non rectius instituitur, quam uel maturino tempore, quo actiones diurnas aggredimur, uel uespertino, quo, operis diurnis confectis, seriem continuationemque eorum, quae per diem bene maleque facta sunt, perspicere, et reuocatis a negotiorum strepitu cogitationibus ad normam diuinitus praescriptam, et dicta et facta, sine interpellatoribus exigere possumus.

XXIII. Quae de uia ac ratione consequendae uirtutis hactenus commentati sumus, ea omnia uiam quoque, ac modum ostendunt, potiundi summo bono ueraque felicitate. Cum enim uirtus sit medium felicitatis summique boni (§ 45), sequitur, ut, qua quisque uia ad uirtutem contendit, eadem ad ueram felicitatem summumque bonum perueniat. Ostensa ergo et expedita uia ad uirtutem, eo ipso demonstratum est, quomodo felicitatis uerae fruitione possimus exhilarari.

CAP. II.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0533
DFG

CAP. II.

De Modo intellectus perficiendi ac emendandi.

§ 128.

Cum, qui ethicam docent, id unicum ſuſcepe-rint negotium, ut rationem uiamque com-monſtrent, uirtutis conſequendae (§ 126 poſ. I), uirtutem autem non poſſit quisquam adipiſci, niſi et intellectum emendauerit (§ 127 poſ. XXI), et perturbationes animi in gyrum rectae rationis duxerit (§ 127 poſ. V), conſequens eſt, ut nunc regulas exponamus intellectus emendandi, et rationem commotionum animi refrenandarum demonſtremus.

§ 129.

Cum copioſe ſatis, ſufficienter certe, in Logi-ca de ratione perficienda et intellectu emendan-do expoſuerimus, nunc nobis licebit eſſe bre-uioribus. Quare praecipuas dotes, aut, ſi ma-uis, uirtutes intellectus carptim ſtrictimque addu-cemus, et quibus quaeque adminiculis perfici poſſit et in maius prouehi ſoleat, commonſtra-bimus.

§ 130.

Generatim ergo illud obſeruandum eſt, ut, quas de quaque re animo informamus, notiones efficiamus diſtinctas, neque, niſi interiore rerum, quas animo ſubiicimus, natura proprietatibus-que cognitis conquieſcendum nobis putemus.

Quod

Quod quomodo fiat, a nobis dilucidius in Logica fuit expositum in Cap. de ideis.

§ 131.

Acumen (Scharfsinnigkeit) est facultas, plura in una re discernendi (§ 209 Met.), et is, qui plura, quae in re quapiam occurrunt, discernere nouit, dicitur *acutus*.

§ 132.

Modi acumen acquirendi hi fere sunt.

I. In eo elabores, ut, quicquid cogitas, id distincte cogites, i. e. ita, ut notas, quibus quaeque res ab altera internoscitur, sigillatim animo fistas, de eoque solicitus sis, ut exquiras, quid res sit. Vid. Log. p. 19.

II. Pueri, inde a prima infantia, sunt ita adsuefaciendi, ut ad res obuias acriter attendant.

III. Quod efficies, si uerbis, articulate et ordine prolatis, enarrare iussi fuerint, quid in quaque re notatu dignum obseruarint.

IV. Res, sensibus usurpatas, describant pueri, et partes corporum, notas, magnitudinem, compositionem, figuram, motum, ita delineent, ut appareat, ipsos imaginem rei uisae uel auditae animo cogitationibusque depinxisse.

V. Quare perutile est pueris, distincte acuteque cogitandi arti adsuefaciendis, ut, in tempore et quam maturrime, matheseos,

seos, et in primis Geometriae, studio uacent, discantque res, sub aspectum subiectas, cerussa aut minio delineare. Quod magnam uim ad attentionem conseruandam habere putatur. Quare Plato, nisi Geometriae peritum, neminem ad scholas suas admitti, uolebat. Repetantur hic ea, quae et in Logica de Ideis distinctis, et in Psychologia de attentionis adminiculis p. 253, copiose disputauimus.

VI. In primis uero facultas, id, quod bonum malumque est, acutius peruidendi excitatur, et augetur, si in nostris aliorumque actionibus cum ad ea, quae ad agendum animum impulerunt, tum ad minutissima quaeque actionum effecta attendimus, et omnibus, quae rem circumstant, momentis recte ponderatis, solicitius exquirimus, quis actionem suscipiat, quid agatur, quo loco aut tempore, quibus item adminiculis, quem denique in finem hoc illudue suscipiatur. Ita paullatim consuescunt adolescentuli cogitare acute, et rem in partes secare, partesque in minutiora uelut elementa soluere, quod plurimum adfert adiumenti ad *profunditatem intellectus* (Tiefsinnigkeit) perficiendam. Est enim *profunditas* nihil aliud, quam ea intellectus facultas et perfectio, qua notas notarum possumus distincte allegare. Vid. Log. p. 21.

VII. Ad acumen acquirendum apprime utile illud est, ut quis uerba in promptu habeat,

beat; linguamque, qua res et cogitata enunciari debent, percalleat. Cum enim acumini inseruiant ideae distinctae descriptionesque ac definitiones (§ 66 Log.), ideae autem distinctae ac definitiones formari non possint, nisi notas ac proprietates rerum definitione comprehensas, uerbis enunciare queas (§ 37 pos. II Log.), euidens est, uerborum ac linguae ope, acumen acquiri.

§ 133.

Hactenus de acumine. Nunc noua intellectus uirtus et perfectio explicanda est, quam *intelligentiam* dicimus. Est *intelligentia* nihil aliud, quam prima disciplinarum elementa comprehendendi habitus, qui efficitur per id, ut distinctas quarumcunque rerum notiones consequamur. Vid. Log. l. c.

§ 134.

Quemadmodum, ope *intelligentiae*, quid quaeque res sit, perspectum habemus, ita, *scientia* adiutrice, rationes rerum expiscamur, et, cur unumquodque sit, indagamus. Est enim *scientia* nihil aliud, quam habitus asserta sua demonstrandi.

§ 135.

Cum scientia, sine dubio, ad praecipuas utilissimasque intellectus perfectiones pertineat, operae pretium facturi sumus, si uiam modumque aperimus, scientiam assequendi.

§ 136.

Ad scientiam peruenire licet hunc in modum.

I. Cum

I. Cum omnis habitus acquiratur exercitatione (per def.), scientiam quoque non posse, nisi continuo exercitio, parari, lucide apparet (§ 134).

II. Legito libros, a uiris solide doctis, apta connexaque ratione, demonstratos. Ita sensim assuefies demonstrationibus, habitumque propositiones ex propositionibus nectendi acquires.

III. Demonstrationes uirorum eruditorum, artificiose connexas, resoluas in sua principia, et, syllogismorum ope, nexum propositionum, sicubi latet, ostendas. Quod exercitationis genus, dici non potest, quantos adferat fructus.

Innotuerunt mihi uiri iuuenesque, qui WOLFII scripta ita legerunt, ut omnes demonstrationes, quae nexum celant, syllogismorum adminiculis resoluerint in prima sua elementa, quo factum, ut, ex quo fonte profluxerit cuiusque asserti ueritas, nullo negotio perspexerint.

IV. Ipse experiaris uires, et enunciata, quibus nulla demonstratio adiuncta est, tua demonstratione communias. Quod exercitium commendaui iuuenibus, solidioris doctrinae cupidis, in praefatione, philosophiae recens controuersae, praemissa.

V. Matheseos studium uiam munit ad demonstrandi habitum. Quia in Mathesi elegantissimae deprehenduntur demonstrationes, quarum contextum qui resoluerit, nae is laborem,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0538
DFG

borem, quem impendit, largissimo fructu compensari deprehendet.

VI. A scientia dependet *soliditas* (Gründlichkeit), quae ea est mentis perfectio, qua ratiocinia ita quis connectere nouit, ut alteram propositionem ex altera, omnes autem ex suis principiis, deducere facillime possit.

Qui ergo solide doctus est, is α) omnia, quae demonstrari possunt, demonstrat, β) ab aliis eorum, quae uel affirmant uel negant, demonstrationem postulat, γ) inquirit in principia solertissime, ex quibus asserta demonstrata sunt, δ) nexum propositionum, quam longus est, facile perspicit, ε) et, quae uerisimilia aliis sunt, ea ut certo cognoscat, allaborat, ζ) denique in scriptis aeque, ac sermonibus eo refert omnia, ut et se et alios de iis, quae docentur, conuincat, lectoribusque et auditoribus, demonstrationum ui, assensum extorqueat.

§ 137.

Iam deuenimus ad *sapientiam* et *prudentiam*, quas reginas ceterarum, quibus praeditus est intellectus, uirtutum recte dixeris.

§ 138.

Sapientia posita est α) in delectu finium, eorumque nexu cum fine, qui princeps est, et ad quem, quicquid uspiam actionum humanarum suscipitur, referendum est, β) in excogitatione remediorum, caussarumque, quibus, aptis inter se et nexis, is, qui quaeritur, finis obtinetur.

§ 139.

Cumque finis, ad quem referenda sunt omnia uel cogitata, uel dicta, uel facta, sit perfectio sta-

tus noſtri, ex eaque oriunda felicitas, patet, cur nonnulli cum LEIBNITIO definiant ſapientiam per ſcientiam felicitatis. Quae definitio non diſcrepat ab illa: *Sapientia* eſt habitus, finem et media rite inuicem connectendi.

§ 140.

Quae ad ſapientiam parandam ſpectant, his continentur propoſitionibus.

I. Sapientiam acquirimus, ſi legi naturae obſequimur. Cum enim ſapientia ſit ſcientia felicitatis (§ 139), felicitas autem obtineri non poſſit, niſi lege naturae cuſtodienda (§ 71), patet, non poſſe quemquam ſapientiam acquirere, niſi legi naturae obſequatur.

II. Sapiens ergo non eſt, qui contra officium facit. Cum enim is contra officium faciat, qui actiones ſuſcipit, legi naturae contrarias, (per def. officii), ſapiens uero actiones ſuas ad legis naturae praeſcriptum comparet (§ 140 poſ. 1), manifeſtum eſt, ſapientem non eſſe, qui contra officium faciat.

III. Qui ſapientiam acquirere uult, ita actiones ſuas inſtruat, ut finium, quos uocant, intermediorum, et finis ultimi aptus ſit conſenſus.

IV. Sapientiam ergo aſſecuturus, ad omne id, quod agit, acerrime attendat, uideatque, ne quid amittat, quod felicitati eiusque incrementis officere poſſit.

V. Cum ſapiens cum finibus connectendi remedia habitu gaudere debeat (§ 138), eorum

eorum autem, quae fini consequendo inseruire uideri poterant, alia aliis maiorem habeant uim ad felicitatem parandam, euidens est, sapientem in eo debere curas uigilandique laborem exprimere, ut ea eligat ex pluribus, quae optima sunt, finibusque suis conuenientissima.

Ex quo factum, ut nonnulli *sapientiam* definiuerint per habitum eligendi optimum.

VI. Ex quo consequitur, ut sapiens eam remedia eligendi ineat rationem, quae *simplicissima* est ac *breuissima*, neque adeo opinionum commentis tortuosis per anfractus circumduci se patiatur.

VII. Vt ergo quis uia non labatur, sed in delectu remediorum ita se instruat, ut felicitatem quam facillime indipiscatur, opus est, ut aliena exempla in consilium adhibeat, in eaque, tanquam in speculum, intueatur. Ex his enim, quo quidque consilio sit susceptum, quibus adminiculis artibusque res ad optatos peruecta fuerit euentus, perspiciet, indeque, quod imitetur, capiat.

VIII. Cum plurima, ex transuerso, obiici possint impedimenta, quae optimis nonnunquam consiliis intercedant, sapientis est, de obstaculis, quae interuenire queant, cogitare, et, quibus tollantur adminiculis, dispicere.

IX. Haec impedimenta cum ab homine non praeuideri certo possint, nec penes

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0541
DFG

nos semper sit, ut iis obuiam eamus, intelligitur, fieri posse, ut remediis, acute excogitatis, non semper optatus respondeat euentus, qui intercipitur persaepe a caussis, aliunde et extrinsecus accedentibus. Vt adeo magno in errore uersari putandi sint, qui sapientiam ex euentu aestumant.

X. Quia sapientia est scientia felicitatis (§ 139), sequitur, ut sapientiam adiuuent regulae felicitatis assequendae. Cum uero regulae felicitatis assequendae sint eaedem cum his, quae rationem uirtutis consequendae ostendunt (§ 69), manifestum est, idem, quod uiam pandit ad uirtutem, munire nobis eam ad sapientiam.

XI. Recte ergo illi, qui, non posse quemquam sapientiam adipisci, putant, nisi idem uoluntatem emendet.

§ 141.

A sapientia ita differt *prudentia*, ut, quae sapienter excogitata sunt remedia ad finem consequendum, iis adhibendis et promte exsequendis operam det prudentia. Quare prudentiam definiunt nonnulli ita: *est habitus, media sapienter excogitata, promte exequendi, ut finis, qui quaeritur, obtineatur.*

§ 142.

Ad prudentiam perueniendi, non unica est uia. Ex multis has aperiemus.

I. Cum

I. Cum prudentia non tam in mediorum ad finem conſequendum excogitatione, quam in eorum applicatione poſita ſit (§ 141), conſequens eſt, ut prudens ad omnia ea, quae actionem circumſtant, tempus, locum, cetera, animum aduertat, ingeniisque aliorum ac moribus ſeruiat, nec opportunitatem rei bene gerendae dimittat. Fieri enim poteſt, ut ex conditione loci, aut temporis, aut perſonarum multa oboriantur impedimenta, quae finem, acutiſſime licet et ingenioſiſſime excogitatum, intercipiant.

II. Atque adeo ad prudentiam ſiue mediorum applicationem talem, qualis fini ex uoto conſequendo accommodata eſt, non ſufficit, ut quis ſit eruditus, aut ſcientia inſtructus, (eruditiſſimum enim quemque futurorum latent cauſſae), ſed requiritur uſus et experientia, quam recte dixeris prudentiae magiſtram. Quo enim quis magis uſu ſubactus eſt, quo diutius in difficillimis impeditisque negotiis expediendis uerſatus fuerit, hoc melius diſcit, quid huic uel illi rei, quam alius, cito perfici poſſe, opinetur, obſtet aut propter tempus, minus idoneum, aut ob loci rationem. Nouit idem, quibus artibus adminiculisque, quo item loco temporeque, haec illaue res bene et ex ſententia proceſſerit. Si ergo ſimiles in negotio aliquo expediendo περιςάσεις et cauſſae concurrerint, quae olim adfuerunt, eundem ſub-

secuturum euentum, auguratur. Vt adeo, casuum similium exspectationem sapientiae plurimum inseruire, pateat. Quae tamen exspectatio quantopere nobis imponat interdum, demonstratum dedi in peculiari dissertatione *de fallaci casuum similium exspectatione.*

III. Cum historia nos doceat facta, indicetque factorum euentus uel prosperos, uel aduersos, nec reticeat causas aut impedimenta, quibus uel consilia et coepta promota fuerint, uel inhibita, intelligi potest, in historia rite addiscenda magnam uim, magnumque momentum positum esse ad prudentiam parandam.

§ 143.

Ars est habitus per mentis aut corporis uires efficiendi ea, quae solius naturae beneficio sine studio nostro effici nequeunt, e. gr. Ars disputandi, perorandi, saltandi, fidibus canendi.

§ 144.

Ad artem comparandam nihil est aptius utilliusque frequentissimo exercitio et usu, quod et experientia nos docet et natura habitus. Vt adeo dudum recte dixerint ueteres: *Vsus facit artificem.*

)o(

CAP. III.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0544
DFG

CAP. III.

De Regendis moderandisque affectibus.

§ 145.

Quae de domandis affectibus nunc adferemus, non eo pertinere uolumus, ac si omnes animi commotiones prorsus exstirpari radicitusque extrahi uellemus. Neque enim, quamdiu in his corporis compagibus sumus inclusi, id fieri potest, neque, si fieri posset, homini utile foret. Hominem enim ex homine tollit, qui effici debere putat, ut ipsae affectuum fibrae euellantur. Truncum et lapidem mihi nominas, non hominem, si sine sensu, sine sapore, sine gaudio aut tristitia quempiam fuisse aut esse, affirmas.

§ 146.

Cum, iam in Psychologia, nonnulla protulerimus, quae rationem affectuum refrenandorum non obscure indicent, non copiosi nimis hic erimus, sed generales regulas tecum, lector, paucis his succinctisque propositionibus communicasse nobis sufficiat.

I. Praecipuum adiumentum animi commotiones compescendi, siue, quod est idem, sub potestatem rationis redigendi, in eo consistit, ut distinctam tibi boni maliue cognitionem acquiras. Omnes enim affectus oriuntur ex sensuum imaginationisque repraesentationibus (§ 232 Met.), quas si per

distinctam cognitionem suppresseris, ipsam affectuum uim franges et eludes.

II. Ex quo fluunt multa consectaria. Omnibus uiribus summaque ope connitere, ut res omnes, non ut tibi apparent, sed, ut in se sunt, cognoscas. Ita fiet, ut animi perturbationes temperentur, et, uti riuuli, exsiccentur, fonte, ex quo prosiliebant, exhausto.

III. Atque adeo permultum ad uim affectuum frangendam facit, si ea, quae animum conturbant, uerbis, ordine prolatis, enarramus aliis. Ita enim, quae confusae antea erant, eae fiunt distinctae notiones, distributiusque euoluuntur. Quod efficit, ut affectuum aestus detepescat, omniaque, quae turbidiori motu animum agitarant, resedisse uideantur.

E. gr. Cum animus nimio dolore et aegritudine conturbatus est, tum dolorem imminui senties, si, quae te angunt, ea uerbis cum aliis communicaueris, distincteque causas doloris euolueris.

IV. Sensus externi, tanquam affectuum ianuae, quoad eius fieri potest, sunt occludendi, ut ne uel uideant, uel audiant ea, quae affectus ciere possint.

V. Inprimis uero omnem externam fugito occasionem, quae affectus, igne concepto, possint inflammare. Obiecta, ut est in prouerbio, mouent sensus, sensibus uero suscitantur affectus.

VI. Cum in affectuum impetu, tam sui impotens sit saepe homo, ut distincte, quid agat,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0546
DFG

agat, cogitare nequeat, opera danda est, ut ii, qui mentem conturbant, affectus per contrarios tollantur, metus per spem, tristitia et aegritudo per laetitiam, inuidia per commiserationem. Contrarii enim affectus non bene conueniunt, nec in una sede morantur.

VII. Perpendendum est, quae mala oriantur ex affectuum imperio, quibusque miseriis et mentem et corpus affligat perturbatior cupiditatum impetus.

Quae quidem incommoda si speciatim penitiusque perspicere uis, ea legas, quae in Psychologia de funestissimis nonnullorum affectuum consequentiis diximus.

VIII. In primis id ad affectuum impetum, si non comprimendum plane, reprimendum certe, multum ualet, si principiis obstamus, cauemusque adeo, ne scintillulae, animo conceptae, in flammam erumpant, quae, latius dispalata, deinde non queat exstingui.

IX. Vt, hoste debellato, uictor abeas, opus est, ut audentior contraeas, obsistasque cupiditatum uiribus, quantum potes. Victoria semel iterumque reportata, facilior procedet labor, qui magna uoluptate amplissimoque tranquillitatis internae fructu pensabitur.

Non attinet hic, et longum foret, speciatim singulas enumerare regulas, quibus uel gaudium, uel tristitia, uel inuidia, uel metus, uel ira denique et desperatio imminui et perdomari queant. Videas ea, quae in Psychologia de affectibus diximus.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0547
DFG

X. Cum affectus radicitus exstirpari non possint, eam, si quando iis animus commouetur, ineamus rationem illos moderandi, ut in instrumenta uirtutis uoluntatisque emendandae conuertantur.

CAP. IV.

De Temperantia.

§ 147.

Quamuis unica tantum sit uirtus, siue habitus, actiones suas ad legem naturae conformandi, pro diuersitate tamen officiorum, quae praestari uult ius naturae, alias aliasque habebis uirtutis formas, quae aliis aliisue nominibus insigniri solent. Hae formae et species non sunt noua uirtus, sed surculos iure dixeris, qui a uirtute, tanquam stirpe, ducti, succrescunt. Scilicet cum ius naturae uaria erga animum, corpus, statumque externum nobis iniungat officia, uarios quoque modos ostendamus oportet, iis officiis obsequendi. Ex quo existit doctrina illa de uirtutibus, quas uocant, moralibus.

§ 148.

Obligati sumus ad uitam seruandam, ualetudinemque curandam, membra item a laesione defendenda, cibumque et potum, quibus, tanquam fulcris, corpus sustentatur, comparandum rectequе adhibendum, etc. (§ 77). Habitus ergo cibi et potus usum sanitatis legibus attemperandi,

di, dicitur *temperantia*, cum contra *intemperans* faciat contra officium in cibo et potu capiendo.

§ 149.

Qui edendi bibendique appetitum ad legem naturae conformat, siue, qui temperans est, haec duo cauenda solicite putat.

I. Ne plus uel minus cibi potusque sumat, quam aut corporis ualetudo, aut naturae necessitas requirit. Mensuram autem cibi potusque, qui capiendus est, ex eo aestumabit temperans, si tantum edit bibitque, quantum ad uires reficiendas, non opprimendas, sufficit.

Alii quoque iustam cibi potusque mensuram hanc adferunt: *Tantum edas, vt cultus Dei et officii ratio prompte adhuc possit obiri. Quod his impedimento est, id mensuram excedit.*

II. Ne tales cibos et potus secum sumat, qui gulae sint irritamenta quidem, at corpus lento quasi ueneno enecant, uiresque labefactant.

§ 150.

Plurima sunt, quae nos ad temperantiae studium irritare queant, ex quibus haec nunc adduxisse sufficiat.

I. Nihil aptius est ad uires corporis firmandas, ualetudinemque aequabilem inconcussamque conseruandam temperantia. Nihil contra magis eneruat corpus, effoetumque reddit, quam intemperantia.

Cogi-

Cogitemus ergo, quam ſtolidum ſit, et rationi inimicum, breues conſectari uoluptates, quae gulam irritent, et iacturam faciant ſanitatis. Qua deſtructa, quis eſt, qui ad munia rite obeunda aptus ſit?

II. Temperantiae certisſimus fructus eſt, animus hilarior et tranquillus, quem in iis mirum quantum conturbari uideas, qui largius ſe inuitant, et in perpetuis luſtris helluationibusque uiuunt.

III. Illud quoque praetereundum non eſt, omnes eos, qui frugaliter uiuunt, et ſe ab immodico cibo potuque abſtinent, plus uoluptatis capere ex eſcis, quas parcius ſumunt, et potionibus, quam eos, qui intemperantius uiuunt, quique non niſi cum faſtidio ad coenam dubiam accedunt. Copia enim faſtidium parit.

IV. Denique perpendas uelim, quanta opum deminutio, quanta famae exiſtimationisque iactura, quam horrendae conſcientiae labes ac uulnera, quam deteſtabilis uitiorum ſcelerumque copia ex intemperantia oriatur.

Neque audiendi ii ſunt, qui multos, licet epulis, opipare exquiſiteque apparatis, quotidie exſaturati fuerint, licet temulenti comiſſantesque raro conuiuiorum crapulam exhalarint, robuſto tamen uegetoque fuiſſe corpore, et ad ſummam uixiſſe ſenectutem. His enim plures opponas, qui mortem ſibi, intemperanter libidinoſeque uiuendo, acceleraruntque, cum, ob naturae bonitatem extremae aetatis apicem potuiſſent attingere, fata occuparunt.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0550
DFG

parunt. Addo, quod hic recte addi poteſt, non omnes iisdem inſtructos eſſe uiribus, atque adeo ab unius intemperantia, quam ſenectus conſecuta eſt, non uideo, quomodo ualeat conſequentia ad tuam alteriusque uitam intemperantem.

§ 151.

Intemperantiae ſpecies eſt *ebrietas*, quam recte dixeris intemperantiam in eo potu capiendo, quo caput turbatur, homoque ad negotia officiumque obeundum ineptus redditur.

§ 152.

Quae intemperantiae, generatim ſpectatae, adduximus incommoda, eadem cum ebrietate connexa eſſe dubitari nequit. His tamen accedunt alia, quae ebrietati uel ſoli adiuncta eſſe cernimus.

I. Ebrietas hominem de mente quaſi deiicit, eamque dono, quo praeſtabilius generi humano diuinitus nihil dari potuit, ratione priuat, et in brutum conuertit. Quin etiam ipſis brutis perſaepe ebrius fit deterior miſeriorque, cum ſenſibus orbetur.

II. Rationis gubernaculo deſtitutus ebrius, quid eſt tam abſurdum, tam flagitioſum et deteſtabile, ad quod ſuſcipiendum non coeco impetu proruat? Quicquid retineri, diſſimulari et mente premi ipſius et aliorum intereſt, temere inconſiderateque effutit, rimarumque plenus, hac atque illac perfluit, tamque emotae eſt mentis, ut inter ſobrios uinolentus bacchetur, et in propria haud raro ſaeuiat uiſcera.

III. Ac-

III. Accedit, quod, ebrietate discussa, mens pudore et poenitentia adeo conturbetur, ut uix a desperatione ad spem, a turbidiore statu ad quietem reuocari posse uideatur.

§ 153.

Quantum mali uel animo, uel corpori, uel famae fortunisque infert ebrietas, tantum commodi opportunitatumque ex sobrietate sperare licet. Est autem *sobrietas* nihil aliud, quam uirtus, actiones nostras in potu capiendo legi conformiter dirigens. Easdem, quas temperantiam adferre diximus, utilitates in nos diffundit sobrietas.

CAP. V.

De Castitate.

§ 154.

Quemadmodum, temperantia rectrice, ita actiones in edendo et bibendo instruimus, ut legi naturae faciamus satis, ita castitas dirigit appetitum uenereum ita, ut, quae lex naturalis praecipit, obseruemus. *Castitas* est uirtus, appetitum ueneris legi naturae attemperans.

§ 155.

Castitas ergo uult, ut ne libidinibus corporis uires atteramus, et exhausto succo uitali, effoetum corpus tradamus senectuti. Haec enim in officiis erga corpus prima lex est, ut corpus, et, quibus eius sanitas fulcitur, uires conseruemus.

§ 156.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0552
DFG

§ 156.

Multa sunt, quae castitatem commendare possint unicuique. Ex quibus haec teneto:

I. Voluptatis auidae libidines, temere et effrenate ad potiundum incitatae, omne animi lumen extinguunt, nec, libidine dominante, quicquam agitare mente, aut ratione et cogitatione consequi potes.

II. Inprimis corpus, libidinis oestro inflammatum, horrendum quantum eneruatur, et coeco obscureque serpente igne consumitur, castitatisque contemtum praematura plerumque foediſſimaque morte uindicari uidemus.

III. Quantam turpitudinis notam sibi famaeque suae inurant ii, qui, quo rapit ipsos libido, sequuntur, uel me non monente intelligitur.

IV. Rei denique familiaris detrimentum opumque iactura a uita, libidinosius acta, non potest seiungi. Quae omnia, in unum collecta, si rectius expenderis, dubitari non potest, castitatem, utpote uirium mentis et corporis, opum item et famae conseruatricem magni esse aestumandam, et, represso libidinis impetu, perdiligenter colendam.

§ 157.

Quare tuum est

I. Omnes libidinis illecebras et irritamenta, ut scopulos, euitare.

II. Ve-

II. Veneri ſubducas alimenta, cibos, nimis exquiſite affluenterque apparatos, potumque, aeſtui libidinis excitando accommodatum. Sine Cerere enim et Baccho friget uenus.

III. Eorum conſuetudinem et familiaritatem, qui caſtas aures obſcenis conſceleraſſent ſermonibus, fugito.

IV. Libros, quibus ars amandi traditur, de manibus deponito, et poetas ſpurcos, nequiſſimosque amorum magiſtros, caue, in familiaritatem tuam adſciſcas.

V. Laboribus corpus fatigabis, et continuo motu exerceas, in quo, mea quidem ſententia, praeſentiſſimum efficaciſſimumque remedium aduerſus lubidinem latet.

LIBIDO, quae caſtitati opponitur, et cuius in poſitionibus praemiſſis mentionem feci, nihil eſt aliud, quam impetus animi, quo ad actiones, caſtitati aduerſas, abripitur. Maior libidinis gradus dicitur *ſalacitas* ſiue *laſciuia*.

CAP. VI.

De Diligentia, Liberalitate et Parſimonia.

§ 158.

Hactenus de uirtutibus egimus, in quarum cultura referuntur omnia ad corpus conſeruandum ualetudinemque tuendam. Nam eas explicabimus, quarum ſtudium inſeruit maxime facul-

facultatibus aut opibus uel parandis, uel seruandis, uel exaggerandis.

§ 159.

Diligentiam dicimus uirtutem, quae dirigit actiones nostras in laborando ad legis naturalis praescriptum. *Pigritiam* dicimus fugam siue eam intermissionem laborum, ad quos, lege naturali, sumus obligati.

A qua tamen pigritia siue otio distingui uolumus *laxamentum* siue *otium honestum et innocuum*, quod est, cum liberaliori quadam animi remissione nonnunquam quotidianos labores dispungimus, ut uires, quae perpetuam contentionem ferre non possunt, reficiantur.

§ 160.

Αὐτάρκεια (Vergnüglichkeit) est earum opum iusta cupiditas, quae ad uitae necessitates expediendas decusque pertinent. Haec cupiditas si mensuram, a lege naturae praescriptam, excedit, dicitur *auaritia*, quae est immoderatior cupiditas plures opes corradendi, quam quae et ad uitae necessitates et ad decentiam requiruntur, quaeque, pro conditione nostra, ne acquiri quidem possunt. Si quis de opibus parandis plane non solicitus est, tum eiusmodi hominem *incuria* (Sorgloſigkeit) laborare dicimus.

§ 161.

Quas hactenus recensui uirtutes, uel uitia, maxime ad acquirendas opes pertinent. Nunc, quam possumus breuissime, ostendemus, quae uir-

tutes aut uitia in dispensandis opibus expendendaque pecunia notari mereantur.

§ 162.

Sunt permulti, qui in expendendis numis modum excedunt, quos dicimus *prodigos*, uitium autem illud, quo modus exceditur in expensis, uocatur *prodigalitas* siue *opum profusio*. Cum uero quis expensa legi naturali conuenienter instruit, *parcus* uocatur, et prudentiam expensa moderandi appellamus *Parsimoniam*. Praeter hos alii sunt, qui minus, quam debebant, aut decentia postulat, expendunt, quos *tenaces* dicimus. Ipsa autem *tenacitas* (Kargheit) est uitium minus expendendi, quam aut uitae necessitates, aut decorum requirit, quae si paullo maior fuit et restrictior, nominatur *sordities* (Filzigkeit).

§ 163.

Ex his notionibus, distinctius euolutis, sequentes deducemus positiones.

I. Laborioſi siue diligentis haec fere sunt indicia. Non reformidat ille quidem labores, sed eum tamen in laborando tenet modum, ut ne nimiis, et quibus exantlandis impar sit, laboribus uires corporis frangat. Labores enim instituit legi naturali conuenienter (§ 159). Lex autem naturae praecipit, ut corpus ualetudinemque conseruemus, aut amissam instauremus (§ 77).

II. Atque adeo laborioſus tantum, quantum ad reficiendas uires satis est, sumit sibi

sibi nonnunquam laxamenti, quod uero, diligenter cauet, ne in otium illiberale degeneret (§ 159).

III. Laborioſus non ſordidos ſubit labores et indecoros, ſed tales, qui dignitati ſuae fortunisque reſpondeant. Poſtulat enim id lex naturae (§ 77 poſ. XVI).

IV. Vere diligens non eſt auarus. Quamuis enim, dum laborum moleſtias deuorat, eo actiones ſuas referat, ut opes, ad uictum cultumque neceſſarias, paret (§ 77 poſ. XIV), non tamen pluribus, quam lex naturae et ſana ratio poſtulat, opibus inhiat. Componit enim actiones ſuas ad legem naturae (§ 159). Atque adeo non eſt auarus (§ 160).

Contraria ratione ignaui deſidisque hominis notae ac proprietates facile manifeſtari poterunt.

§ 164.

Ad diligentiam excitandam et ignauiam ſupprimendam haec accommodata dixerim.

I. Viuere, nec tamen, unde uiuas, parare uelle, ſumma eſt ſtultitia.

II. Eſt ita corpus noſtrum factum, ut, niſi continuo agitetur motu, laboribusque exerceatur, putreſcat, et, ſucco corrupto, morbos contrahat, qui deinceps, in uenis uiſceribusque concluſi, aegre expelli poſſunt.

III. Quo magis laboribus litterariis, ſi diſcendi potius labor eſt quam uoluptas,

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0557
DFG

mentem ſubegeris, eo melius excolitur perficiturque ea, at, labore intermiſſo, torpet animus, ingeniique uires per ſocordiam defluunt.

IV. Illud quoque probe ponderandum eſt, otio ad libidinem multaque alia atrociſſima flagitia ianuam aperiri. Cum enim, qui otioſus eſt, nihil, quod agat, habeat, temporis mora ipſi taedium faſtidiumque parit. Quae temporis taedia ut leniat depellatque, aut ſodalitia quaerit, aut conuiuiis et compotationibus intereſt, aut, ſi ſolus fuerit, mentem cogitationesque ad ea conuertit, quibus ſe poſſe fallere tempus, libidinesque explere putat. Hinc prodigalitas, ſtupra, adulteria, furta, rapinae, concertationes, caedes, nonnunquam naſcuntur: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum non otium et ſocordia impellat.

§ 165.

Haec de diligentia et otio. Iam ea adducemus axiomata, quae ad illuſtrandas uirtutes et uitia, in opibus acquirendis obſeruari ſolita, pertinent.

I. Qui ſua ſorte contentus eſt, ſiue αὐταρκὴς, neque reſpuit, aut, ut ueterum philoſophus quidam, in mare proiiciendas putat opes, a fortuna oblatas, neque anxie appetit eas, aut, ſi appetit, tantum cupit, quantum ad naturae deſideria explenda ſufficit, et decenti honeſtoque modo acquiri poteſt (§ 153).

II. Ha-

II. Habet hoc αὐτάρκεια, ut homo, mente tranquillata, nullo amittendi opes metu torqueatur.

III. Aut, si amiserit, non, quod facit auarus, de erepto omni solatio euersoque spei praesidio conqueritur, sed in diuina prouidentia, rerum humanarum domina ac moderatrice, sibi unice acquiescendum putabit.

IV. Non aliorum rebus, ut poeta ait, tabescit opimis ἀυταρκὴς, sed, quem cuique benignioris sortis uarietas distribuit opum cumulum, eius accessione se neque miseriorem, neque decessione meliorem fortunatioremque fieri existimat.

V. Multo aliter se res habet cumauaro, qui, ut est insatiabili opum accumulandarum cupiditate inflammatus, ita, α) quicquid agit, cogitat, moliturque, eo refert, ut corradat facultates, idque non in suum aliorumque usum, sed ut possideat, β) nunquam est animo quieto et tranquillo, sed aut habendi auiditate aut metu amittendi torquetur, γ) querulus est, inuidus, anxius de futuris, meticulosus, decori cultusque externi negligens, cetera.

VI. Frugalis homo et parcus nec profundit opes, nec se ad earum custodiam ita restringi patitur, ut existimationem laedi, quam numum insumi, malit.

VII. Auaritiam detestabilem efficiunt, ut

multa, ita illud maxime, quod auarus inuisus sit omnibus bonis ridiculusque, nec sibi, nec aliis, nisi mortuus, prosit.

VIII. Cum prodigus plus expendat, quam aut necessitas uitae, aut decentia requirit, dubitari non potest, nulla re certius paupertatem reique familiaris detrimentum attrahi, quam opibus decoquendis.

Quod unum, quamuis plura adhuc alia incommoda consequantur opum profusionem, sufficere poterat ad prodigalitatis turpitudinem damnumque demonstrandum.

§ 166.

Liberalitas est uirtus actiones nostras dirigens in largiendis donis, et erogandis eleemosynis. Quae si paullo maior fuerit, dicitur *magnificentia.*

§ 167.

I. Liberalis et beneficus ideo sibi diuitias concessas putat, ut hominibus indigentibus de re familiari impertiatur. Adeoque non potest, qui liberalis est, idem esse auarus.

II. Quamuis liberalis non sit restrictus et sordidus, non tamen inconsulte largiendo patrimonia effundit, ut, fonte benignitatis exhausto, ipse tandem egeat eo, quod est ad uitam necessarium. Ita uides, liberalitatem inter et profusionem opum maximam esse distantiam.

III. Ad

III. Ad liberalitatem nemo perfecte obligatus est. Quia ad dona conferenda et erogandas eleemosynas nemo perfecte obligatur, siue cogitur.

Hic ergo, quid amor honestasque suadeat, dispicias, α) num prosis aliis, tibi non fraudi sis, β) num, de quibus bene promereri studes, ex eorum numero sint, qui beneficentia digni possint iudicari, i. e. qui ipsi sibi rationibusque suis non queant consulere. Instar omnium regularum, in moderanda rectequе instruenda liberalitate, potest esse sententia CICERONIS, qui, *nec ita*, inquit, *laudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur, isque referatur ad facultates.* De officiis Lib. II cap. 15.

CAP. VII.

De Modestia.

§ 168.

Iubet lex naturae, ut famae honorique seruiamus, neque adeo negligamus, quid de nobis quisque sentiat. Cumque, quo nititur honor, fulcrum uirtus sit (§ 85 pos. 1), eadem, qua ad uirtutem uia panditur, ratione peruenimus ad honorem.

§ 169.

Virtus ea, quae in laudis honorisque studio, cogitata actionesque nostras ad naturae legem attemperat, dicitur *modestia*, (Ehr-Liebe) et is, qui ita laudem honoremque consectatur, ut rationem ducem sequatur, nec a norma discedat,

is dicitur *modeſtus* (Ehrliebend). Cum uero quis honores, quos non capit, aut eos, quos conſequi nequit, appetit, is dicitur *ambitioſus*. Eſt enim *ambitio* (Ehr-Geitz) uitium eos honores appetendi, quos nec meretur, qui appetit, neque conſequi poteſt. Cum uero quis tam humili eſt abiectoque animo, ut famam infamiamque iuxta aeſtumet, neque de honore, aut potius honoris genitrice, uirtute cogitet, is uocabulo, barbaro illo quidem, ſed ad rem exprimendam perquam apto, *inambitioſus*, (niederträchtig) appellatur.

§ 170.

Modeſtiae modeſtorumque characteres hi fere ſunt.

I. Modeſti in eo omnes ingenii animique neruos contendunt, ut uirtutum ornamentis eniteſcant, et, quibus ornati ſunt, dotes luculentis ſpeciminibus conſpiciendas aliis praebeant, et, ſicubi opus fuerit, in lucem proferant.

II. Modeſti, ad uirtutes bonaeque mentis decus conniſi, aliorum de ſua uirtute iudicium et opinionem non tam expetunt, quam exſpectant, denegataque laude facile carent.

III. Modeſtus nec plus ſibi tribuit, nec minus, quam decet, ſed tanti ſe aeſtumat, quanti ſe eſſe uere, perſpicit. Quod qui facit, ille eſt *ſubmiſſus*, uel, ut alii malunt, *humilis* (demüthig). Qui uero plus ſibi tribuit,

tribuit, quam decet, is dicitur *arrogans* (hoch-mûthig).

IIII. Ex his, quae sint ambitiosorum ambitionisque notae, intelligi potest. Ambitiosus, omnibus licet uirtutibus nudatus, iusto tamen impatientius id auet unice & desiderat, ut alii bene de ipso sentiant.

V. Ambitiosi, nimia gloriae cupiditate accensi, extorquere quasi ab aliis honorem, et ad bene de se sentiendum eos propemodum cogere uelle uidentur.

VI. Ambitiosi gloriae umbram, et non tam uirtutem, quam uirtutis insignia, quae etiam sine uirtute flagitiosissimus quisque consequi potest, consectantur, e. gr. titulos, primum locum, cetera.

VII. Vt in aliorum animis bonam de uirtutibus suis excitent opinionem, ipsi solent se suasque collaudare uirtutes, et plerumque falsa de se praedicare. In quo quantum insit deformitatis, ostendi in dissertatione de laude propria.

VIII. Qui ambitiosum ad sanam redigere mentem cupit, is ipsi ostendat, in quo uerum decus positum sit, et quam uana, uel potius nulla, sit ea gloria, quae uel in opum affluentia, uel in maiorum nobilitate, uel denique in specioso phaleratoque titulorum apparatu quaeritur.

VIIII. Qui abiecto est animo, ideo difficulter emendatur, quia nullo sensu honesti

ducitur, et, pudore omni protrito, hominum de se iudicia honorifica malaque iuxta aestumat.

X. ARROGANS, quem, caue, cum ambitioso confundas, cum sibi tribuat plus, quam decet, peropus est, ut, si ipsum emendare, elatioresque ipsius spiritus reprimere uelis, ostendas, α) quam parum, aut prorsus nihil habeat eorum, quibus superbire possit. β) Atque adeo arrogans ad cognitionem sui ducendus est, iubeaturque mentis suae latebras excutere, ut uideat, quam sit sibi curta supellex. γ) In primis uero ad cristas deponendas, uanamque sui persuasionem exuendam magnam habere uim putatur illud, si quis se cum aliis, qui sunt meliores praestantioresque, comparare iussus fuerit. δ) Denique, cum arrogantis hoc uitium fere proprium sit, ut alios contemnat, seque multo inferiores putet, ostendendum ipsi est, quam periculosum sit, inuidiaeque plenum, se praeferre aliis, et, qui tribui dignis debet, honorem iis denegare.

CAP. VIII.

De Virtutibus in fortuna aduersa et secunda.

§ 171.

Fortunae aduersae casus cum complurium animos ita persaepe conturbent, ut, fracti debilita-

litatique, ad cetera munia sua obeunda minus habeant uirium, peropus est, ut, qua ratione aduersus turbidioris fortunae impetum pectus muniri possit, in morum philosophia doceatur.

§ 172.

Habitus actiones suas in fortuna aduersa legi naturali conuenienter instituendi, dicitur *patientia*, quae, uel maxime, eo conspicitur, si animus, in aerumnarum concussu, tranquillus fuerit et erectus.

§ 173.

Ad animum in rebus aduersis tranquillandum, cum multa alia, tum, quae nunc dicemus, non exiguam habere uim uidentur.

I. Perpendas, fortunam, quae inciderit, aduersam ad ea pertinere, quae nec nostra prudentia, nec uiribus possint immutari. Frustra ergo est omnis lamentatio aegritudoque omnis, qua, tantum abest, ut, quod tibi opinaris accidisse, malum tollatur et leniatur, ut potius augeatur, et tu ipse in ulcere tuo tanquam unguis exiltas.

II. Animus distincta et uiua prouidentiae diuinae cognitione imbuatur. Est enim prouidentia diuina, ut omnium rerum humanarum, ita fortunae uel secundae uel aduersae moderatrix et domina. Cuius consiliis si quis suo se dolore intercedere posse existimet, nae is, nauiter se delirare, haud obscure declarat.

III. Prae-

III. Praeterea id ad mentem in rebus aduerſis tranquillandam plurimum ualet, ſi quis, cogitationibus a praeſenti calamitatum acerbitate ad earum conſecutiones commodaque conuerſis, longe in poſterum proſpicit, expenditque, ut cum amariſſimo quoque medicamento corporis connexa ſit ſalubritas, ita ex aduerſitatibus iucundiſſimos in mentem corpusque redundare fructus.

IV. Neque ſcio, num quid ad animum contra turbidioris fortunae procellas praemuniendum ſit accommodatius, quam ſi dudum ante, quam in nos impetum fecerit aduerſitas, cogitauerimus, quibus fortunae telis propoſita ſit uita noſtra, quamque uaria commutabilisque ſit ſecundae, qua fruimur, fortunae ratio.

Pertinent huc ea, quae ex TERENTIO in Metaphyſica p. 295 adduximus. Addo his ea, quae hanc in rem praeclare pronunciat CICERO. *Omnes*, inquit, *cum ſecundae res ſunt maximae, tum maxime meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam aerumnam ferant.* 3 Tuſcul.

§ 174.

Quemadmodum patientia ad animum tranquillandum in rebus aduerſis plurimum adfert adiumenti, ita fortitudo dirigit actiones noſtras legi naturali conuenienter in periculis adeundis. Eſt enim *fortitudo* uirtus, metum in periculis legi naturae attemperandi.

CICERO

CICERO ita definit fortitudinem: *Est scientia perferendarum rerum, uel affectio animi, in patiendo et perferendo summae legi parens sine timore.* 4 Tuscul.

§ 175.

Quae de fortitudinis natura et adminiculis adferri merentur, enunciata haec fere sunt.

I. Qui uere fortis est, nec temere audet, nec inconsulte timet. Illud enim aduersatur legi naturae, quae uitam nostram quam diutissime conseruari jubet, et, sine ratione periculis eam obiici, uetat. Hoc itidem legi naturae est contrarium. Lege enim naturae sancitum est, ut nos uitamque nostram, et, quicquid bonorum diuinitus est nobis concessum, aduersus uiolentum hostium impetum tueamur. Quod cum saepius sine praesentissimo uitae periculo fieri non possit, manifestum est, nec timidum, nec tergiuersantem te pericula, quae, necessitate cogente et pro caussa honesta, subeunda sunt, adire debere.

II. Si quis, nulla cogente necessitate, nec pro caussa honesta uitam periculo obiicit, tum dicitur *audax*. Vitium illud, quo quis sine cogente necessitate et sine ratione idonea caput periculis exponit, dicitur *audacia* uel *temeritas*.

III. Quamquam ei, qui natura meticulosus est, uix addes animum, quantumcunque ipsi inuitamentorum proposueris, quae mentem ad pericula despicienda mouere queant;

queant; multum tamen ad timorem imminuendum haec ualebunt, si, α) periculum tantum non esse, dixeris, quantum sibi animo fingat is, qui metuit, β) si, plurimum ex hoste deuicto in ipsum redundaturum esse emolumenti laudisque et gloriae, demonstraueris, γ) si denique ipsius animo subieceris, quantum debeat rei publicae, a cuius salute singulorum incolumitas seiungi non possit.

IV. Ad audaciam temeritatemque comprimendam pertinent cum alia plurima, tum uel maxime illud, quod inter αὐτόχειρας iure referendus sit is, qui temere pericula adit, quodque plus turpitudinis, quam gloriae, ex eo nascatur, si quis sua culpa suoque uitio calamitates aut mortem non necessariam sibi attraxerit, et quae sunt alia plura huiusmodi.

§ 176.

Quemadmodum in rebus asperis cauere debemus, ne simus animo nimis fracto et prostrato, ita, cum prospero fortunae flatu utimur, uidendum est, ne efferamur fastidio et contumacia, animumque adeo ab insolentia retrahamus. Virtus, dirigens in fortuna secunda actiones legi naturali conuenienter, dicitur *moderatio animi*.

§ 177.

Moderatioris animi adiumenta haec sunt.

I. Co-

I. Cogita, fortunam prosperam, uno momento, conuerti posse in aduersam, quam, donec eris felix, continuo, aut certo futuram, aut iam praesentem, animo tuo subiicias. Metuit rebus, monitore HORATIO, secundis alteram sortem bene praeparatum pectus. Lib. II Od. 10.

II. Nemo tam attrahit sibi aliorum inuidiam odiaque, quam ii, qui antea commodis fuerunt moribus, postea uero imperio, potestate, prosperisque rebus immutantur.

III. Illud quoque, quam potes diligentissime, animo tecum uoluas, te, si reflauerit fortuna, sique lapsu grauiore ex alto decideris, omnium expositum iri ludibrio, neque futurum quemquam, qui, ob pristinam insolentiam, uices tuas miseretur.

CAP. IX.

De uirtutibus erga alios.

§ 178.

Quem in officiis erga alios praestandis utramque facere paginam, diximus, amorem quemadmodum unicuique hominum praecipit lex naturae, ita eius excitandi alendique et conseruandi rationem nunc distinctius tradamus, necesse est.

§ 179.

§ 179.

Ad igniculos uero amoris erga alios exſuſcitandos nutriendosque plurima ſunt accommodata, ex quibus haec adduxiſſe, nobis ſufficerit.

I. Dubitari non poteſt, quin, quo ardentius alios amaueris, hoc facilius uehementiusque aliorum animas ad bene tibi faciendum tuamque felicitatem amplificandam ſis concitaturus. Vt enim quemque tenerrime amamus, ita, niſi ſit ſine ſenſu, ſine ſapore, ad redamandum mouetur efficacisſime. Quo fit, ut, aliis amandis, nos reddamus feliciores.

II. Perquam utile eſt ad amorem erga alios excitandum, ſi, inde ab ineuntis aetatis primordiis, ita conſuefiamus, ut, quae in aliis laudabilia ſunt, egregia, et pulchra, ea, quam poſſumus acerrime, et attentis oculis contemplemur, neque eos audiamus temere, qui, quid carpant in aliis et uituperent, diligenter circumſpiciunt.

III. Amoris erga alios quaedam quaſi inuitamenta continet peruulgata illa, omniumque trita ſermonibus, regula: *Quod tibi uis fieri, idem alteri feceris, quod contra tibi non uis fieri, idem ne feceris alteri.* Fingas, te a nemine amari. Fac, te ita omnibus eſſe exoſum, ut quisque, qui eadem tecum communitate continetur, aut calumniando tuas obterat laudes, aut fortunis inſidietur,

dietur, aut, cuniculis uelut actis, ſalutem tuam ſubuertat. Haec omnia num grata tibi erunt? Non putarim. Quid ergo? Eundem, quem hae criminationes, laeſionesque in mente tua producent, ſenſum in aliorum animis, ſi laeſeris eos, excitari putato.

§ 180.

In officiis erga inimicos occurrit uirtus, quam *Placabilitatem* ſiue *Manſuetudinem* dicimus.

§ 181.

Manſuetudinis uis maxime cernitur in ira moderanda, iniuriisque perferendis. Eſt enim *manſuetudo* uirtus, per quam actiones noſtrae legi naturali attemperantur circa iniurias, ab aliis nobis illatas.

§ 182.

Hominis manſueti haec fere indicia ſunt.

I. Homo manſuetus et placabilis nemini uult nocere et aegre facere, ne lacesſitus quidem.

II. Manſuetus ita ignoſcit, tanquam ipſe quotidie peccet, et exorabilis iſtis etiam eſt, qui dare ueniam, niſi ſibi, neſciat.

III. Qui manſuetus eſt, non malum malo compenſandi lubidine effertur, i. e. non ulciſcitur iniurias. Eſt enim VLTIO ſiue VINDICTA, nihil aliud, quam cupiditas malum malo compenſandi.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0571
DFG

IV. Qui manſuetus eſt, generoſo animo eſt erga inimicos. GENEROSVS ANIMVS in eo conſiſtit, ſi quis, etiamſi poſſet, non ulciſcitur iniurias, ſibi illatas.

§ 183.

Cum alia multa ad placabilitatem manſuetudinemque commouere animum poſſunt, tum haec plurimum ad hanc uirtutem colendam adferunt adiumenti.

I. Perpendas, humilis eſſe paruique animi, leuiſſimis quibusque iniuriarum punctiunculis commoueri.

Praeclarum eſt illud SENECAE. *Magni*, inquit, *animi eſt proprium, placidum eſſe tranquillumque, et iniurias atque offenſiones ſuperne deſpicere. Muliebre eſt, furere in ira, ferarum uero, nec generoſarum quidem, praemordere et urgere proiectas.*

II. Si qui ſunt, quos, putas, iniurios in te eſſe, conſidera tecum, in quo uerus honor conſiſtat, in quo turpitudo. Omnes criminationes iniuriaeque, quantae demum cunque illae ſint, nullam uim habent ad honorem uerum imminuendum, propterea, quod honor fulcitur uirtute, quae demi non poteſt.

III. Si iniurias concoquere non potes, easque ulciſci allaboras, quid efficis aliud, quam, ut et animum tuum turbatiorem reddas,

reddas, et inimicum irritas, quem, satius erat, cedendo uincere.

IV. Denique cum omnes, quas non mereris, iniuriae inter aduersae fortunae casus recte referantur, intelligis, idem, quod ad aduersam fortunam patienter tolerandam conducere diximus, moderatam iniuriarum perpessionem efficere.

§ 184.

Sunt praeterea quaedam uirtutes, quae cum officiis erga alios in sermocinando et promittendo sunt arcto uinculo connexae, *ueracitas* scilicet et *taciturnitas*.

§ 185.

Veracitatem dicimus uirtutem, quae dirigit sermonem legi naturali conuenienter, siue cum in sermone adest conuenientia oris et mentis.

§ 186.

Quamquam incidunt tempora, cum falsum dicere non licitum modo, sed etiam necesse est, id, quod supra ostendimus, uiri tamen boni est, non fallere alios mentiendo, neque temere aliud in lingua promtum, aliud in pectore clausum habere. Causae hae sunt:

I. Quisquis assuetus est mendaciis, aliosque, orationis uanitate adhibita, semel iterumque in fraudem induxit, nae is, cum men-

dacium diligenter inſpectum, perlucet, efficiet, ut nemo ipſi habeat fidem. Fide uero amiſſa, quam utilitatem praeſtabis ſocietati?

Recte CICERO: *ubi quis ſemel peierarit, (nihil autem intereſt inter periurum et mendacem), nam qui mentitur, peierare conſueuit, ei credi poſtea, etiamſi per plures Deos iuret, non conuenit.* Pro C. Rab. Poſthum.

II. Qui fingendo ementiendoque fucum facit aliis, is turpitudinis notam ſibi ipſe inurit, recteque ab aliis habetur ueterator, cuius conuictum conſuetudinemque, ut quisque eſt bonae mentis uirtutisque amantiſſimus, ita ſolicitiſſime uitat.

III. Neque fieri poteſt, quin ii, qui tum demum, cum, conſutis dolis, mendaciisque confictis, deludunt alios, lepidi ſibi argutulique uidentur, in omnia proni ruant flagitia, quae mentiendi artificio tegi callide uelarique poſſe arbitrantur. Atque ita proponunt ſibi impunitatem, quae peccandi maxima eſt illecebra.

§ 187.

Veracitati adiungimus *taciturnitatem*, quae eſt uirtus dirigens actiones noſtras in ſilentio, legi naturali officiisque conuenienter.

§ 188.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0574
DFG

§ 188.

Quae quidem uirtus, dici non potest, quam necessaria sit in societate colenda, quamque admirabiles sui concitet amores.

I. Nihil tam attrahit et allicit aliorum beneuolentiam, quam taciturnitas; at, qui, rimarum pleni, hac atque illac perfluunt, effutiuntque ea temere, quae sibi commissa sunt, ii omnium animos abs se abalienant, pluribusque persaepe inconsulta garrulitate sua sunt exitio.

Scite HORATIVS:

- - *Commissa tacere,*
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.
Sat. 4 L. 1.

II. Huc accedit, quod is, qui, quicquid in buccam uenit, garrit, haud raro se turpiter det, cum effutiat ea, quae turpitudini ipsi sunt, quaeque reticeri et sua et rei non nunquam publicae, intererat. A taciturnitate *morositas* est distinguenda, quae consistit in obstinato silentio, cum nonnulli id, quod cum aliis communicare poterant et debebant, ita premunt mente, ut in congressionibus familiaribus, quae sermonibus, ultro citroque habitis aluntur, obmutuisse uideantur.

Dicacitas et *Obscenitas* in sermonibus cum

aliis magnopere noceat, illa quidem, famam innocentium arrodendo, haec uero libidines incendendo: manifestum est, dicacitatem aeque ac obscenitatem esse, tanquam uitia teterrima, euitanda. Accedit, quod, qui dicaces nimium sunt, plerumque funestissima sibi arcessant fata, id, quod in dissertatione: de Satyricis infelicibus, uberius demonstratum dedi.

FINIS ETHICAE.

Index praecipuarum rerum.

Numerus indicat paginam.

A.

Abſtrahere quid ſit 27, abſtrahendi artificio formantur notiones uniuerſales 26
Acquieſcentia in ſe ipſo quid ſit 286, in uoluntate Dei unde oriatur 435
Accidens quid 155, poteſt a re ſeparari 156, *praedicamentale* quid 199
Actio in genere 195
Actionum humanarum differentia 351, actiones naturales et liberae 351, mixtae 352, humanae et hominis 352. uel bonae, uel malae 358, indifferentes num dentur 358, actio bona num intrinſece et neceſſario bona 360
Acumen quid ſit 258, quomodo perficiatur 509
Aequalia 160
Aemulatio quid 295
Aeternum quid 324
Affectus quid 273, unde oriantur 274, ſunt uel gratiae uel ingrati, uel mixti ibid. ſunt uel originarii, uel deriuatiui 275, quomodo compeſcendi 519
Ambitio quid 536
Ambitioſorum characteres 537
Amicus quid ſit 465, eſt amandus 466
Amor quid 280, unde oriatur 281, eius character ibid. eius effecta 282, erga Deum 431, erga alios 463, erga inimicos 468
Analyſis notionum quid 21, in ea quousque progredi liceat 22
Analogon rationis quid 263, recte tribuitur brutis 315
Anima et animus quomodo differant 238, quid ſit 237, num recte diſpeſcatur in rationalem ſenſitiuam, et uegetatiuam 238
Animus abiectus in quonam conſiſtat 536, difficulter emendatur 537

Appetitus quid 270, eſt uel ſenſitiuus, uel rationalis 271, quando augeatur 271 ſenſitiui et rationalis pugna 299
Arrogans quis ſit 538, quomodo emendandus ibid.
Ars quid 518, eius acquirendae ratio ibid.
Athei num dentur 321
Atheiſmus quid 321
Attentio quid 253, eius gradus 254, eius augendae adminicula 255
Attributa quid 155, ſunt neceſſaria 156
Auaritia quid ſit 529, eius character 533
Auerſatio 272, eſt uel ſenſitiua, uel rationalis 273
Αὐτάρκεια quid 533
Audacia quid 541
Autochiria quid 445, cur illicita et turpis 445
Auctoritatis praeiudicium quid 78
Axioma quid 51, quomodo formari ſoleat 119

B.

Beatitudo philoſophica quid 395
Bona, eorum communio cur ſit impoſſibilis 471
Bonitas quid 335
Bonum quid 268, uel uerum uel apparens 269
Bonum ſummum quid 397, quomodo acquiratur 507
Bruta habent animas 310, ſunt ſibi conſcia 311, ſentiunt et imaginantur 311, appetitu ſenſitiuo et affectibus gaudent 312, carent intellectu et ratione 313, et libertate 315

C.

Calumnia quid 457, quomodo calumniae ſint repellendae 459
Caſtitas quid 526, eius adiumenta 527
Cauſſa quid 203, efficiens 203, materialis 209, formalis 210, finalis 207, principalis uel inſtrumentalis 204, phyſica uel moralis ibid.
Ceremoniae quid 507, earum utilitas ibid.
Cibus, uitae conſeruandae remedium 447, quomodo ſit ſumendus ibid.

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0578
DFG

Cogitatio quid 311
Cognitio quid 239, uel historica, uel philosophica, uel mathematica 2, uel uiua uel mortua 497, symbolica uel intuitiua 257
Compositum ens quid 183, est extensum 184, habet magnitudinem 190, est diuisibile 190, habet figuram 191, continuum et interruptum 185
Conductor quis 489
Conclusio 60
Concursus diuinus 339
Connexa quae dicantur 214, ratione spatii et temporis 215
Conseruatio diuina quid 338
Conscientia quid 398, uel antecedens, uel consequens 395, uel recta uel erronea 399, uel certa uel probabilis 400, uel libera, uel serua 401, eius scrupuli 399, eius accusatio et excusatio 402, eius morsus 402, conscientia dormit et euigilat 403, tranquilla 404, eius custodia 405, conscientia sine ratione esse non potest 406
Conscientiosus quis 404, non quicquam suscipit, quod, dubitat, honestum sit, an turpe 410
Consuetudo agendi quid 506, mala quomodo sit tollenda ibid.
Contestationes quid 481, earum usus caute instituendus 482
Contingens quid 170, potest esse hypothetice necessarium 171
Contractus quid 488, nititur mutuo consensu ibid.
Conuincere alterum quid? 127
Copula quid 45
Corpus quid 224, eius requisita ibid.
Cosmologia quid 212
Creatio quid 337
Cryptis Syllogismi quid 67
Cultus Dei quid 428, uel internus uel externus 431

D.

Damnum quid 464, nemini inferendum 465, num et quando compensandum 465

Definitio quid 36, eius formandae regulae ibid. uel nominalis uel realis 40, eius et descriptionis differentia 41, quomodo efficiatur 88
Demonstratio quid 91, quotuplex 92, est remedium alios conuincendi 128, scrupulis conscientiae eximendis inseruit 411, eius analysis quantum ad scientiam acquirendam ualeat 512
Depositum quid 492, est reddendum ibid.
Desperatio quid 292
Deus quid 316, existit 317, est ens necessarium 322, ens a se 323, independens, immutabilis et aeternus ibid, est simplex 324, infinitus 325, unicus ibid gaudet intellectu perfectissimo 326, est omniscius 327, gaudet uoluntate perfectissima 328, uult optimum 329, libertate summa gaudet 332, est sapientissimus, benignissimus, iustissimus, sanctissimus 334 seqq est omnipotens 336, condidit mundum, et omnibus rebus prouidet 338 seqq. est auctor legis naturalis 387, est colendus 429, amandus 431, reuerendus 432, adorandus 435
Decretum Dei quid 336
Determinare quid 162, *Determinatum* 163, *Determinationes* 164
Dicacitas quid 149
Differentia specifica quid 26
Diligentia quid 528
Dissimilia 179
Dispositio naturalis quid 197
Disputare quid 132, disputantium requisita 133
Diuersa quid 158
Dominium quid 471, non est turbandum 472, eius acquirendi ratio 473
Donatio quid 475

E.

Eadem quid 157
Ebrietas quid 525, cur uitanda ibid.
Effectus quid 203
Eleemosynae quid 476
Elementa corporum quid 225
Emtio quid 478

Ens

Ens quid 150, uel actuale uel potentiale 150, rationis quid 151, uel compositum uel simplex 192, uel finitum, uel infinitum 200
Ens a se quid 323
Essentia quid 151, est necessaria 152, immutabilis 153, aeterna ibid.
Error quid 77
Enunciatio quid 45, quotuplex 47
Enthymema quid 68
Epicherema quid 74
Ethica quid 493, eius requisita 494
Exceptio a regula perfectionis quid 179
Existentia quid 149
Experientia quid 83, quotuplex 84
Extensio quid 184

F.

Fabulae num ad uoluntatem emendandam quid conferant 501
Facultas quid 197, cognoscendi inferior et superior 239, appetendi superior et inferior 265
Falsiloquium quid 479, est interdum licitum 480, est a mendacio diuersum ibid.
Fatum quid 218, Muhamedanum 218, Stoicum 219, Astrologicum 220, Spinosisticum 220, rationi consentaneum 221
Felicitas hominis quid 395, eius acquirendae ratio 396
Fictio quid 248, quotuplex ibid.
Fides quid 100, eius requisita 101
Fiducia quid 290, in Deo collocanda 435
Figura quid 191, Syllogismi 60
Finis quid 207, uel principalis, uel minus principalis 208, sine mediis obtineri nequit 209
Finitum quid 200
Forma rei quid 210
Fortitudo quid 540, eius excitandae ratio 541
Fortuna quid 391, eius casus uel secundi, uel aduersi obligant ibid.
Futurum quid 189

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0581
DFG

G.

Gaudium quid 275, durabile quid 395
Generositas siue *generosus animus* quid 546
Gradus quid 199

H.

Habitus 5
Honestas externa quid 393, eius et uirtutis differentia ibid.
Harmonia praestabilita quid 305
Honor quid 453, num appetendus 454, eius fundamentum 454
Humilitas quid 536
Hypotheca quid 491

I.

Idea quid 15, uel clara, uel obscura 16, uel distincta uel confusa 19, uel completa uel incompleta 20, uel uniuersalis uel indiuidualis 24
Idearum associatio quid 246
Ignauia quid 449
Ignominia quid 456
Ignorantia uel uincibilis uel inuincibilis 416, num imputari possit ibid.
Imaginatio quid 243, eius lex quaenam 246
Immortalitas animae in quonam consistat 306
Impedimentum quid 208
Imperfectio quid 177, partis facit ad perfectionem totius 180
Impossibile quid 147, uel absolute uel hypothetice tale 147, *moraliter impossibile* quid 148
Impotentia naturalis 415
Imputatio quid 413, quaenam imputari possint 414
Inambitiositas quid 536
Incuria eius definitio 529
Independens quid 323
Indeterminatum quid 163
Individuum quid 23
Infelicitas hominis quid 395
Infinitum quid 200
Infirmitas naturalis quid 415

Ingenium quid 258
Inimicus quis 465, officia erga eum 467
Intellectus quid 256, purus uel impurus 257, perfectissimus 256, ab eo emendario uoluntatis est inchoanda 505, eius emendandi ratio 508
Intelligentia quid 511, eius perficiendae modus 512
Intemperantia quid 523, cur uitanda 523
Inuidia quid 284
Inuocatio Numinis interna quid 436
Ira quid 297
Iudicium quid 45
Iuramentum quid 482, cui deferendum 482
Ius inculpatae tutelae quid 469, quando licitum 470
Ius naturae quid 348, continet Ethicae theoriam 494
Iuſtitia quid 335, Dei in quo conſiſtat 336

L.

Labor quid 449
Lacdere alterum quid 464, cur nemo laedendus 464
Laetitia quid 275, durabilis quid 395
Lex quid 380, naturalis in quo conſiſtit 381, naturalis eſt immutabilis 385, adaequata 386, diuina 387
Leges motus quid 224
Liberalitas quid 534, quomodo ſit inſtituenda 535
Libertas animae quid ſit 301, non competit brutis 315
Libido quid 528
Libri hiſtorici 123, quid in iis legendis obſeruandum ibid. dogmatici 124, quid in iis attendendum ibid.
Locatio quid 489
Locus 187
Logica quid 12, uel naturalis uel artificialis 13

M.

Magnificentia 534
Magnitudo 190, eam habet ens compoſitum 190
Maieſtas diuina 341
Maledictiones 484
Malum 340, metaphyſicum, phyſicum, morale ibid. uel uerum uel apparens 269, cur Deus permittat 340
Manſuetudo 545

Materia

Materia ex qua, in qua, circa quam 209, corporis in quo consistat 224
Medium quid 208
Memoria quid 250
Mendacium 479, quomodo differat a falsiloquio 480, cur sit illicitum et uitandum ibid.
Mensurare corpus quid sit 190
Merces quid 477
Metaphysica quid 138
Methodus mathematica quid 8, eius leges ibid.
Metus quid 291
Miraculum quid 227, differt ab eo, quod est mirabile 228, fit per saltum 229, ordinem naturae turbat 230
Modestia 535, eius character 536
Modus quid 155
Monades quid 226
Moneta 479
Moralitas actionum interna 363
Morositas quid 549
Motus quid 191
Motiua quid 271, sine iis non appetit uoluntas ibid.
Mundus quid 214, optimus quid 329, est contingens 222, eius perfectio in quonam consistat 231

N.

Natura quid 226, eius lex 381
Naturale quid 227
Necessarium quid 168, est uel absolute, uel hypothetice tale 169
Necessitas moralis quid 373
Nexus quid 215, causae efficientis et effectus 214, mediorum & finium 215
Nihilum quid 151
Non ens 151
Nota characteristica quid 159
Notio, clara uel obscura, uid. *Idea*.

O.

Obiectum quid 209
Obligatio quid 367, quotuplex 379
Obscenitas in sermonibus 549
Odium quid 281

Officium quid 427, erga Deum in quo consistat 427, erga se ipsum 438, erga alios 460
Omnipotentia quid 336
Omnipraesentia quid 341
Ontologia quid 140
Opes quid 450, quotuplicis sint generis 451, officia circa eas 451
Opinio quid 109
Opponens 133
Ordo quid 172
Organa sensoria quid 240
Origo mali quid 340
Ortus simplicium 193
Otium 532

P.

Pactum 486, eius requisita 487
Paralogismus, uid. Sophisma.
Pars 166
Parsimonia 530
Patientia 539
Passio 196
Paupertas quid 453
Peccatum quid 408
Pecunia 478
Perceptio 239, distincta ibid.
Perfectio quid 176, simplex uel composita 178
Periurium 484, cur non committendum ibid.
Phantasmata quid 243
Phantasia quid 243
Philosophia quid 5, quotuplex 9
Physica quid 16
Placabilitas quid 545
Poena quid 388, naturalis uel positiua 389
Poenitentia quid 286
Politica quid 10
Possibile quid 146
Postulatum quid 51
Potentia quid 197
Praedicatum quid 45

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0585
DFG

Praemium quid 389, uel naturale uel positiuum ibid.
Praes quis 491
Praeses 132
Praesens 189, 341
Praeteritum 189
Preces 435
Pretium 477
Principium quid 202, quotuplex ibid. contradictionis 142, rationis sufficientis 145, indiscernibilium 161, principia demonstrandi 92
Probabile quid 96
Problema quid 52
Prodigus quis 530
Profunditas quid 510
Prouidentia diuina quid 338, eius requisita 339
Promissio quid 485
Prudentia quid 516, eius acquirendae ratio 517
Pulchrum quid 180
Psychologia quid 236

R.

Ratio (die *raison*) sufficiens quid 144
Ratio (die Vernunft) 260, eius gradus 261
Ratiocinari quid 56
Ratiocinium quid 56
Rationi consentaneum quid 262
Rationis analogum quid 263
Reflexio quid 255
Regimen affectuum 519
Reseruationes mentales 483
Reuerentia erga Deum quid 432

S.

Saltus quid 216, uel absolutus, uel respectiuus ibid.
Sanctitas Dei quid 336
Sanitas quid 445
Sapientia quid 513, perfectissima quid 334
Scientia quid 511, eius acquirendae ratio 512
Scholion quid 51

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0586
DFG

Sensatio 240, eius regula 242, est necessaria 241, non imputari potest 417
Sermo 479, officia in sermonibus ibid. obscenitas 549
Seruitus moralis quid 298
Signum quid 210
Similia quaenam 159
Simplex ens 191, eius affectiones 192
Simultanea quid 186
Sobrietas quid 526
Soliditas quid 513
Somnium quid 249, unde oriatur ibid.
Sophismata 79
Sordities quid 530
Sorites quid 73
Spatium quid 187
Spes quid 290
Species quid 23
Spiritus quid 235
Spontaneitas quid 301
Status quid 196
Subiectum quid 45
Substantia quid 197
Successio quid 188
Syllogismus quid 56
Symbolica cognitio quid 258
Systema quid 125, influxus physici 305, harmoniae praestabilitae 305, causarum occasionalium ibid.

T.

Taciturnitas quid 548
Taedium quid 267, uel uerum uel apparens 268
Temperantia quid 522
Tempus quid 189, tempore connexa quaenam 214
Terminus 30, medius 58
Terror quid 293
Testis oculatus uel *auritus* 101
Theologia naturalis quid 316
Timor 291
Totum quid 166

Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0587
DFG

V.

Vacillatio animi quid 295
Venditor quis 478
Veracitas quid 547
Verba quid 30
Veritas logica 75, metaphysica 175, moralis 547
Vindicta 545
Virtus quid 393, eius requisita ibid. eam acquirendi modus 496
Vis quid 197
Vitium et *uitiositas* quid 393
Vnitas metaphysica 157
Voluntas quid 298, perfectissima 328, eius emendandae ratio 505
Voluptas quid 265, uel uera uel apparens 267
Vsura quid 491

Z.

Zelotypia quid 295





Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0592
DFG

Officium quid 427, erga Deum in quo consistat 427,
erga se ipsum 438, erga alios 460
Omnipotentia quid 336
Omnipraesentia quid 341
Ontologia quid 140
Opes quid 450, quotuplicis sint generis 451, officia
circa eas 451
Opinio quid 109
Opponens 133
Ordo quid 172
Organa sensoria quid 240
Origo mali quid 340
Ortus simplicium 191
Otium 532

P.

Pactum 486, eius requisita 487
Paralogismus, uid. Sophisma.
Pars 168
Parsimonia 530
Patientia 539
Passio 196
Paupertas quid 451
Peccatum quid 408
Pecunia 478
Perceptio 239, distincta ibid.
Perfectio quid 176, simplex uel composita 178
Periurium 484, cur non committendum ibid.
Phantasmata quid 243
Phantasia quid 243
Philosophia quid 5, quotuplex 9
Physica quid 10
Placabilitas quid 545
Poena quid 388, naturalis uel positiua 389
Poenitentia quid 286
Politica quid 10
Possibile quid 146
Postulatum quid 51
Potentia quid 197
Praedicatum quid 45

Praemium

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
Landesbibliothek Mecklenburg-Vorpommern Günther Uecker
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727138562/phys_0593
DFG